BIBLIOTECA NAZ.LE
XXVI*
B
25
NAPOLI

116
6
71

116
B
76

116
B
17

JOANNIS HENRICI BOECLERI,

Sac. Cæſ. Maj. & Elect. Mogunt: Conſiliarii, Com. Pal. Cæſ. Hiſt. in Argent. Univerſ. Prof. Publ. & Cap. Thom. Canonici,

DISSERTATIONUM ACADEMICARUM

TOMUS TERTIUS

& ultimus.

quarum ſeries poſt Præfationem exhibetur.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

ARGENTORATI,

Sumptibus JO. REINOLDI DULSSECKERI,

M DCCXII.

Ad Lectorem

PRÆFATIO.

EXhibemus tibi, *Lector Benevole*, tertium hunc Tomum *Operum Bœclerianorum*, ſaltem eorum, quæ Diſſertationum Orationumve modulum non excedunt. Nam cætera celeberrimi Viri ſcripta, quæ ſuo complexu libros integros ſingula conſtituunt, in hunc cenſum non veniunt. Ea tamen qualia ſint, catalogus præfationi generali in totam hanc Syllogen annexus docebit. Producuntur autem in hoc ultimo volumine, quæ omiſſa in præcedentibus, nec tamen negligenda eſſe, æqui harum mercium æſtimatores dudum monuerunt. In prima fronte collocavimus Hiſtoriam Sæculi IX. & X. quæ olim per ſingula Diſſertationum Academicarum penſa, ſub generali tamen titulo *Iſagoges in Hiſtoriam Aug. & univerſalem* edita, cum propter præſtantiam rarior eſſe cœpiſſet, ad ſupplendum hunc defectum excitavit Bibliopolam, ut & hac in parte, ſicut in cæteris, deſiderio publico velificaretur. Non ignoramus quidem, ſupereſſe alias tanti Viri

Diſſertationes, quas vel in *Taciti Annal. librum I. & Ejuſd. Hiſtor. libros* ſcripſit, vel *in Suetonii Cæſares*, vel quæ *Ipſius Inſtitutionibus Politicis ſubjuncta* ſunt: eas tamen cur præteriremus, ratio erat quod & reperiri ſuo loco, & in promta copia poſſint. Quicquid hic damus, non minore favore quam priora exceptum iri ab eruditis, ultrò nobis pollicemur; quorum maximè ſententiâ ſtudium noſtrum probari cupimus. Reliquiæ ſunt Herois noſtri literarii, quas non religioſo quidem cultu adorare, ſed erudito tamen judicio æſtimare & admirari par eſt. Si fuit olim (teſte *Luciano in Indoctum &c.*) qui Epicteti Stoici fictilem lychnum ter mille drachmis emit, futurum ſperans, ut noctu ad illius lucernam legenti ſapientia ſenis illius, vel in ſomnis, ſe inſinuaret; quantò juſtius ipſa ſcripta à *Bœclero* noſtro relicta in pretio haberi convenit, unde ingenii doctrinæque ejus radii luculentiſſimi emicant, & legentibus communicantur. Intelliges ergo, B. L. nobis eam curam fuiſſe, ut hæc quaſi cimelia & ſerventur tutius in poſteros, & noſtro quoq; tempore in plurium uſus diſpertiantur. Vale.

Ordo

Ordo Materiarum
Tomo hoc Tertio comprehenſa-rum.

I. D*E Rebus Sæculi à Chriſto nato IX. & X. per ſeriem Germanicorum Cæſarum Commentarius.* *pag.* 1.

II. Muſeum ad Amicum. *p.* 293.

III. De Studio Politico bene inſtituendo, Diſſertatio Epiſtolica. *p.* 341.

IV. De Politicis Lipſianis, Diſſertatio. *p.* 352.

V. Σύνοψις *de Legato, occaſione Polybianarum de Legationibus Eclogarum, ex Hiſtoriis collecta, eorumque qui de hac materia præcipue ſcripſerunt, auctoritate illuſtrata.* *p.* 386.

VI. Decas Quæſtionum Hiſtorico-Politicarum ex Juſtini Libro primo collectarum. *p.* 426.

VII. Epiſtola ad Amicum. *p.* 439.

VIII. Excerpta Controverſiarum Illuſtrium. *p.* 445.

IX. Excerpta è Præfatione ad Ambroſii Officia, *p.* 486.
& Rudimenta Officiorum, Extemporali Specimine Doctrinæ de Officiis Prudentiæ & Juſtitiæ breviter delineata. *p.* 488.

X. Diſſertatio de comparanda Latinæ Linguæ facultate. *p.* 532.

XI. Sceptrum Apollinis ad Illuſtriſſimum Comitem Guſtavum de la Gardie &c. cum Ubſaliæ Rectoris Magnificentiſſimi munere fungeretur 1666. *p.* 569.

DE REBUS SÆCULI
A CHRISTO NATO IX. & X.
PER SERIEM
GERMANICORUM CÆSARUM
COMMENTARIUS.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
REGNIQUE SUECIÆ,
SENATORI ET CANCELLARIO MAGNO,
Illuſtriſſimo ac Excellentiſſimo
HEROI ac DOMINO,
DOMINO ERICO
OXENSTIERN,
Comiti Moreæ Auſtralis, Libero Baroni in Kymitho,
Domino in Tydoen, Wyby & Giwälen &c. &c. &c.
Domino meo Per-Clementi,
Vitam, Salutem, Incolumitatem perpetuam!

ILLUSTRISSIME DOMINE,

INter arma & victorias auguſtiſſimi REGIS, tam aſſiduis verſanti curis Tibi, non horam non animũ vacantẽ contingere, ut ad clientum obſequia, quantum velis, reſpicere poſſis, imperitus ſim omnium, quæ geruntur, rerũ, ſi neſciam. Intempeſtivi tamen officii, ut reus ageretur, non verendum ſibi duxit hic Liber, poſtquam illuc ſemel viam cœpit affectare. Præterquam enim, quod indulgentiæ Tuæ
genius.

genius, quo minus ſuam in omnia & omnes vim permittat, nullis ſe retineri obſtaculis patitur: materies etiam non aliena videbatur à cogitationibus ejus viri, qui tot & tanta pacis bellique negotia, conſilio & ope in primis ſuſtentat. Magnorum Principum opera & fata, quibus per duo amplius ſæcula, præcipua orbis terrarum ſors non vulgariter jactata eſt, illis paginis continentur. Veri prorſus eſt ſimile, non alio affectu legi talia poſſe, quàm quo à me ſcripta ſunt. Cui non ſtatim in oculis, in animo, in ore ſit, excelſiſſimum CAROLI GUSTAVI nomen, quando Caroli Magni, Conradi, Henrici, Ottonum virtus commemoratur? Habent & alii Cæſares aliqua, unde comparentur. Sed horum ingenia & merita ſolennioribus fortunæ publicæ vicibus, articulis, ſpatiis ac circulis adhibentur. Magno ipſis, magno patriæ ſtetit (ita erant tempora) præclarorum gloria facinorum: quibus feroces pacique adverſos ſpiritus comprimi, religionem pactorum à perfidis vindicari, hoſtes undique emergentes propulſari, in fatis erat. Nec aliis ad emendanda aut mutanda populorum imperia auctoramentis Heroes conducuntur: prædurâ utique ſorte, niſi paribus ad ardua onerum profliganda, viribus, artibusque divinitus inſtruerentur. Conſtat ſibi temporum & exemplorum ſeries: redeunt in orbem perpetua ſimilitudine Rerumpublicarum proſpera & adverſa: magnisque mutationibus iterandis feſtinare, ut in ſenectute mundi, rerum natura contendit. In hoc cæli magna omnia minantis ac deliberantis motu habituque, novum ac ſalutare ſidus Arctoâ è plaga refulſit: ſplendoremque ſuum, aucto in dies lumine, longe lateque oſtentare cœpit. In uno SVECORUM REGE CAROLO GUSTAVO, & Ottonum excultus omni humanitate ac diſciplina civili animus, & Henrici Conradique invicta bello dextera, & generoſa Caroli illius Magni altitudo men-

mentis, eminent; nec minoribus auſpiciis fata ſæculo, poſteris miracula partiuntur. Sed, quibus hæc rerum temporumque arcana vinculis conſerantur, [illegible]omo repetendum eſt. Rerum Suedicarum inde ab ultima vetuſtate per varias fortunæ vices inſignium, nova & ſubinde in majus profectura ſeries, à GUSTAVO PRIMO cœpit procedere. Ille domeſticis externisque diſcriminibus jactatum ac pæne diſſipatum imperii corpus, recollegit; morumque & legum diſciplina ordinavit: ut decedens indubiam ſecum ſpem ferret, manſura in veſtigio ſuo fundamenta Reipublicæ, quæ jecerat, ejusque ſpei certiſſima civibus ſuis pignora relinqueret. Redierunt quidem priorum temporum pericula; nec defuerunt foris hoſtes, numero & viribus cuicunque imperio formidabiles: ſed quæ domi melius, quàm olim, valebat, externam vim haud improſpere propulſabat Suecia: invicti adverſus Polonicas, Moſchicas, Danicas, Wandalicas opes, roboris; & à bellorum novorum vel metu vel clade ſemper incrementum novum mutuata. nam & Regum ſeries, ſingulari quodam fato, nullâ magis notâ quàm Reipublicæ attollendæ profectu numeratur ac diſtinguitur: quando, poſt ſuſtentatam fortiter tot negotiorum ſub aliis ante Regibus molem, CAROLUS militem Suedicum, nudo fere ad ictus corpore Martio operi ſe offerre aſſuetum, galeâ & thorace munivit: GUSTAVUS autem MAGNUS artem bellandi de integro condidit; atque diſciplinæ & exempli ſui fructu, Patriæ ſecuritatem, & incomparabilis Filiæ ſolium, in immenſum vel celebravit, vel collocupletavit. Secutum eſt tempus, quo Pace remollitam Suecorum virtutem, exarmatosque Triones, vario affectu ſpeculari Fama concupivit. nec harioli jam deerant, ſtudia partium, ut ſortes, ut oracula, in conſilio habentes, parumque magnifica populo pridem victori

augu-

augurantes : cum ex necopinato DEUS, vocato ad rerum gubernacula CAROLO GUSTAVO, & Avi Materni, & Avunculi (quorum nomina non ſine præſagio participat) animos, gloriam, merita perficienda, nomenque Suedicum in majus provehendum ultro decernit & commendat. Nolebat ſummus regnorum arbiter, contemni majeſtatem, interverti ſucceſſus, convelli contextum, quibus ipſe auſpicium, ætatem, munia, haud parca manu deſcripſerat. Ne ergo quisquam mortalium tantum ſibi poſſe videretur, ut cælo conſtituta migraret, juſſus ire Rex maximus, hoſtibus licentiam injuriarum demere, debellatos armis, pace componere; inaudita celeritate hactenus negotium Dei agit, venit, vincit, ſervat, quicquid ſervari idoneum eſt; demeretur, qui beneficiis non indigni ſunt; terret, qui niſi terreantur, ſalvi eſſe non poſſunt. Unis nec totis, æſtivis, unis hibernis, quid actum ſit, quanta rerum ad omnem Europæ ſtatum pertingentium commutatio provenerit, non eſt hujus paginæ, ordiri. Interim domi munimenta novæ felicitatis ſurgunt; & inter victorias Patris, quid niſi ad triumphos & victoriarum præmia naſcitur Filius? cui CAROLORUM, quos hactenus veneramur, non modo nomen, ſed virtutes, gloriam, merita, incrementa, vel gratulari vel ominari, res ipſa nos hortatur. Sed hæc majore cura dicenda ſunt: in quæ traxit me reputatio ſæculorum, repetito ſubinde ordine ac novato, eadem fata, quamvis non ad eaſdem ſemper gentes, referentium. Cujus ſecreti, Te ILLUSTRISSIME DOMINE, ſingulari munere adeo conſcium Divina voluit eſſe Providentia, ut REGI ad ſumma omnia conficienda delecto, inter præcipua regni inſtrumenta, Tuam ſapienti-

am, vigilantiam, conſtantiam demonſtraret & propius admoveret: ſicut olim GUSTAVO MAGNO in ardua omnia comes & adjutor, laborumque & arcanarum cogitationum particeps, Parens Tuus datus erat. Non damnabis ergo, quamvis in abdita minus porrectas, piis tamen ac ſeriis momentis incitatas, de Germanis Cæſaribus ad exempla temporis noſtri exigendis, cogitationes. Forte, nec dedignaberis, ILLUSTRISSIME HEROS, admittere ad animum, quod de alia hujus reverentiſſime dicatæ Tibi præfationis cauſſa dicturus ſum. Vides, de rebus ſummorum Principum, quorum hic tempora deſignantur, plurima interiiſſe. Quantas res bello geſſerint, plerumque per titulos & apices ſcimus. ſed, qui Pacis mos, quæ civilis diſciplinæ diſpoſitio, quæ agendarum rerum formulæ, quæ conſilia & inſtituta regiminis, maximam partem ignoramus. Deficit hiſtoria in iis rebus, ubi maxime debebat abundare: & pulcerrimam ſcripturæ partem, imperitia ſcribentium intervertit. Qui leve hoc damnum putant, non dicam, quam abſurdi apud homines haberi debeant, ſed quam ſint irreligioſi adverſus Deum. Divini ſunt operis, quæ Heroum miniſterio pace belloque, terra marique præclare diſpenſantur ſine divino numine, non evertuntur, aut transferuntur, non amplificantur aut perornantur imperia. Tantarum memoria rerum quin in archivo generis humani, ut ita loquar, cuſtodiri debeat, nemo ſanus dubitandum exiſtimabit. Quibus tabulis, quibus commentariis? Hiſtoriæ profecto unius hoc munus, hoc beneficium eſt. Hanc negligere, eſt injuriam facere publicarum rerum actoribus, fraudare poſteros profectu, ſilentio tranſire Dei gloriam. Sunt, ni fallor,

lor, ea ex iſto genere, quæ nemo intellectu reipublicæ præditus, parum accurate perſequenda crederet, etiamſi finem rerum inſtare, neque longævam nobis ſperandam eſſe poſteritatem, conſtaret. Alios ambitio huc vocaverit, ut ſuæ civitatis facta narrari gentibus, extendi ſæculis cuperent: qui ſanctius ſapiunt, neceſſitudinem pietatis, & grati religionem animi, ad reddendam acceptorum rationem, pro argumento habent. In quos majora & plura publice conveniunt, apud eos teneriorem hujus officii ſenſum, & ſtudium incitatius reperiri, æquum eſt. Quo nomine gravitatem ſummi Herois, Parentis Tui, ſæpe admirari contigit. Is, ut nihil, quod ad uſum aut ornatum ſæculi faceret, extra curas ſuas poni voluit; ita hac muneris ampliſſime diffuſi ſolicitudine, quæ hiſtoriæ ſcribendæ modum, auctoritatem, ſubſidia commodare ſolebat, non obiter delectari videbatur. Venerari per omnem vitam debeo illos dies, quibus in Sueciâ me conſtitutum, tum cætera indulgentiâ, tum ſuis de hoc negotio oraculis benigniſſime beavit, quotiens demandati Regio juſſu laboris propoſita aut ſpecimina ad Eum deferebam. Tibi, ILLUSTRISSIME DOMINE, qui non in ſtationem modo Paternam, ſed in eaſdem artes ſucceſſiſti, cottidiana Regiorum operum conſuetudo, familiarius denuo perſuadet, ut digna novis annalibus, digna æternitate temporum Suedici nominis gloria, non promiſcuis declamationibus, aut privato temere auſu fabricatis commentariorum libellis, ſed publice juſſis, publice adjutis inſtructiſque monumentis, conſignanda judicetur. ita fiet, ut Auguſtiſſimi Regis Noſtri CAROLI GUSTAVI virtus (quam Deus ſoſpitet!) Carolis, Conradis, Henricis,

)( )(2 Ottoni-

Ottonibus undique æquanda, diſſimillimo famæ publicæ genere, ubique tota, ubique plena pervigeat perennetque: nec divinorum conſiliorum miraculis ad inſigniendam hujus ævi memoriam cumulatis, quicquam ſubtrahatur. Minime autem hæc eò à me dicuntur, quaſi tantis rebus condendis ego meas vires longe longeque impares eſſe haud agnoſcam atque ſentiam. Sed quia in Hiſtoriographis Regiis, me ante quinquennium, & quod excurrit, adſcriptum, SACRA REGIA MAJESTAS, ab initio auſpicatiſſimi Regiminis, in eodem munere retinere, pro inſita Heroici animi indulgentiâ, Clementiſſime decrevit, non alienum utique videbatur, prima quaque occaſione demiſſiſſime venerari illum Heroëm, quem his ſtudiis proprium Patronum lex Regni conſtituit. Accedebat recordatio beneficiorum, quæ non tantum Illuſtriſſimæ Familiæ Veſtræ, ſed Tuæ nominatim comitati me debere, nunquam non pie grateque profitebor. Debebam forte & formam hujus Commentarii, non alio quàm peculiaris inſtituti nomine probandam, Tibi ILLUSTRISSIME DOMINE excuſare. Sed occupationum Tuarum reverentia me pridem jubet deſinere. VIVE, HEROS ILLUSTRISSIME, & propitio vultu animoque admitte obſequia

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Scr. Argentorati 20. Mart. 1656.

devoti perpetuum famuli

JO. HENR. BOECLERI.

Beni-

Benivolo Lectori

S. P.

DUorum eſt ſæculorum hiſtoria, Lector Benivole, quam nunc publicamus: Intermittendi aut continuandi cœptam ſeriem conſilium a Tua prudentia ſumturi; ſi tanti videbitur, nos admonuiſſe. Præcipua nobis cura fuit, fontes ipſos demonſtrare, unde repetere fas eſſet, cujusque ævi hiſtoriam. Quod in Germanicis rebus noſtris, ut arduum, ita rarum deprehenditur. Plerique Aventino, Mutio, Urſpergenſi Abbate, Ottone Friſingenſi, & ejuſcemodi ſcriptoribus, magna quidem laude dignis, ita contenti ſunt, ut auctoritatem aliam non requirant. Sicut autem non prorſus repudiandi ſunt, qui à Mutio rerum Germanicarum principium autumant hodie repetendum feſtinanter hæc talia tractantibus: ita in plurimis a delectus & contextus accuratioris regula eum excidere, palam eſt. Aventino haud dubie plurimum patria debet. Multæ in eo viro literæ: ſubſidia quoque plura, quàm quisquam alius, habuit. Quibus ille fretus, non raro vulgarium, ut appellat, Chronicariorum, tumultuarium genus hiſtoriæ conſignandæ deſpicit. Sed quid deſiderari merito in illis Annalibus poſſit, nemini licebit clarius cognoſcere, quàm qui aliquam ſibi hiſtoriæ partem, aut Imperatoris cujusdam vitam, ex antiquiſſimis quibusque monumentis repetendam, & ad contextum illud opus contendendam deſumſerit. Solus interim eſt, quo gloriari præcipue hiſtoria Germanica poteſt. Verumenim-

vero, ſunt omnino pauci, qui intelligunt, quomodo contexta hiſtoria judicanda & examinanda ſit: id eſt, ſoli & unici, qui commentarios & monumenta ac memorias rerum vel ad contexendum ipſi adhibuerunt, vel ad contexta aliorum opera compararunt. Scio vix toleraturas multorum aures, ſi quis dicat: Paulum Æmylium, *cui de ſcriptoribus Gallicis plurimum creditur, ſæpe hiſtoriam confundere, ſæpe non ex rerum fide, ſed ex impetu calami interpolare, fingere multa ut animo concepit, non commemorare, ut memoriis publicis ea debere potuit. Sed nec illud neſcio, ſenſuros mecum, qui hiſtoriæ non legendæ tantum diligentes, ſed judicandæ etiam, ſeu, quod eodem recidit, ſcribendæ periti ſunt. Si tantis viris iſta evenerunt, quid putandum eſt illis fieri, qui nec bonas artes, nec prudentiam idoneam, ad concinnandam hiſtoriam attulerunt? Intelligis, Benivole Lector, me nunc de illis loqui, qui juniore ævo ad id negotii animum appulerunt. In remotioribus, quin* Ottoni Friſingenſi, *&* Abbati Urſpergenſi, Conrado à Lichtenavv, *quos ante laudavi, plurimum tribuendum ſit, quotiens res ſui temporis, aut iis proximas exequuntur, nemo negaverit. Quæ ab aliis accepere, non eadem æſtimatione metienda ſunt. Prima enim hujus cognitionis lex eſt: hiſtoriam quamcunque ex monumentis coævis arceſſere, illa omni ſtudio indagare, & reliquorum juniorum regulam facere. In iis, ut quidque magis ad publici actus morem & formam accedit, ita ſtudioſius præhabendum meminerimus. Cumque in condendis Chronicis & annalibus rerum noſtrarum, operam inſumſerint haud raro homines, ſine prudentia, ſine facundia, qui eventus ſolos in oculis haberent, cauſas & rationem parum*

rum commentarentur, multo minus ad rempublicam, cujus intellectu deſtituebantur, referrent: illorum quidem voluntatem laudare, tempori ignoſcere, monumenta colere, ad omnes pertinet; ab imperitâ autem ſcriptura, plenam quandoque peritiam mutuari, jam non cujuſvis ſed ſubacti ingenii eſt. Sylvam quandam habemus & congeriem rerum Germanicarum, depradicando ad omnem poſteritatem magnorum virorum ſtudio, cumulatam. Materiam inde deſumere diligentiori ſcriptura, voti ſane mei, non item temporis fuit. Neque privatis iſta auſpiciis conſiliisque proveniunt. Æquis interim judicibus non poterit non probari hoc qualecunque voluntatis meæ indicium: etiamſi vires, & occaſio, & ſæculi genius parum ſublevent honeſtos in bonis literis conatus. Eò enim, proh dolor! ventum eſt, ut, ne in Academiis quidem, quas Deus & Respublica, non hujus aut illius, ſed omnis doctrinæ cuſtodes & magiſtras eſſe voluit, impune liceat, variæ eruditioni aut politioribus Muſis operari. Boni auctores apud eos, qui ſtudiorum titulos præferunt, ne vocabulo quidem noti; neque inter neglecta modò, ſed inviſa etiam nomina ſunt. Platonem, Ariſtotelem, Homerum, Thucydidem, Euripidem, denique Græcos, ſurdis auribus laudabis: Cicero, cum omni eloquentia, ad pueriles nænias damnatur: Cæſares, Livios (& quid dicam Virgilios, Horatios, Terentios?) amare, in probro habetur. Longe ſcilicet longeque ſupra hæc tam vilia, tam abjecta, ſapimus, quando in Academiis id ſtudemus ſtrenue conſequi, ut altiora omnia intelligendo, nihil ſatis intelligamus. Si hæc non eſt, quæ ad Barbariem ducit, via, nulla erit, quam timeamus. Quod ſi liceret hîc auctores illos, tam inviſos

Studioſorum multis, ciere teſtes, illi profectò non aditum ad barbariem, ſed ſummam & compendium barbariei illic reponerent, ubi tot pretioſæ ſcientiarum & eruditionis opes pro ſcrutis & quisquiliis ſperni cernerentur. Quid ſi ergo magis blandirentur nauſeantibus ſtomachis, quæ totiens in his Cæſaribus barbarâ dictione extulimus? nam ut ſuo quemque ore, utcumque loquentem induceremus, ſumma ratio fuit, quæ jubebat. Neque unquam nos tam ſeriò juvit βαρβαρίζειν. *Videbamus enim cum intertrimento rerum Germanicarum conjunctum eſſe, quod alii minus audere decreviſſent. Verum nihilo felicius res ſucceſſit. Amata alibi barbaries, hic diſplicuit illis, quibus quid placeat aut diſpliceat, ego parum aſſequor. Sed hæc ſilentio operientes, Deum ſupplici prece expoſcimus, ut in ſtudioſæ Iuventutis animis extinctum bonarum artium amorem ſuſcitet; neque pèrmittat, ut Academicus mos conculcet ac diſperdat, quæ in his ipſis officinis ad vigorem & complementum unicè perfici debebant. Te autem, quisquis es, Benivole Lector, per Deum rogo, ut judices, pronunties, diſcernas, ſintne patriæ uſui, nec indigna ſtudiis Academicis, quæ docemus, & muneris ſuſcepti religione ſubinde nos hortante, ſcribimus. Atque nunc adeo, ad elegantiſſimi & avi & ſtili ſcriptorem, non ſine metu quidem, quo dixi, ſed ſummo ſtudio & candore poliendum, & Juventutis myſteria Latini leporis nondum plane peroſæ uſibus repræſentandum, DEO favente, redimus. Vale, Lector Benivole, & innoxiis propoſitis ſucceſſus proſperos precare.*

C. B. D.

I.

C. B. D.

COnſtitutum habeo cum animo meo, ὑπόμνημα εἰσαγωγικὸν, ſive libellum commentarium, in publico commilitonum honeſtiſſima ſtudia æmulantium cœtu, proponere; ut habeant, qui memorias temporum prudentiæ parandæ cauſa meditantur, quo vel in partienda rerum varietate, vel in ordinanda obſervationis amplitudine, vel in requirendis hiſtoriæ fontibus, non intempeſtive queant admoneri. Initium laboris deſtinavi ſæculum, quod à Chriſto nato *Nonum* uſurpamus. Sed quia certis de cauſis, *Imperatorum* ſeries inſcriptionis & ordinis mihi auſpicium facere debet; hujus autem, quod cœpi dicere, ſæculi, primordia ſignat grande CAROLI MAGNI nomen: igitur non licet mihi intactos præterire priores regiminis ejus ævique annos, quin ex iis tantum repetatur, quantum decorè ordiendis, in quæ tendo, ſatis videbitur. Cæterum in hoc ſcribendi genere, quæ ad Reipublicæ ſtatum ſpectant, eo diligentius expendentur, quo incautius & audacius vulgo vel negliguntur iſta, vel corrumpuntur. Immenſa eſt, unde excerpimus, copia: modus temporis anguſtus & reciſus. Fieri ergo nequit, quin ex iis, quæ nobis in mente & manu verſantur, minimum ſit, quod apparere poteſt. niſi quod anguſtioris ſcripturæ brevitatem, diſſertatio è cathedra quodammodo diffundet, ſpero. DEUS faveat cœptis, &, in quo deficiunt noſtræ vires, doctiori bonorum virorum operâ ſuppleat; ne amanti ſapientiam juventuti unquam deſit occaſio medi-

tandi, quæ vita, quos mores, quæ ſtudia, quæ pii civis officia poſtulet.

CAROLVS MAGNVS.

Annotatio Temporis.

CHronologiam vitæ & Imperii Caroli, per ſeriem digeſſit *Onuphrius Panvinius, Rom. Princip. lib.* 3. Plures & meliores Scriptores tribuunt ei annos vitæ 72; & nativitatem ad annum Chriſti 742; exceſſum, ad 814. referunt. Annos Imperii, ab anno 768. putant 47. *Eginhardus* & *alii.* ultimo ſcilicet non impleto; ſive, ut interpretatur *Codex Tilianus Chron. Reg. Franc. apud Andream du Cheſne tom.* I. *regnavit annos plusquam* 46. *Marianus Scotus* annos 46. *menſes* 4. De anno ſuſcepti regni 768. Imperatorii nominis 801. & mortis 814, ceteris pleriſque melioribus conſentiunt *Annales Francorum Bertiniani* & *Metenſes*, qui ultra aut citra ponunt, non merentur comparari. Diem nativitatis nemo annotavit; mortis dies conſenſu traditur V. Kal. Febr.

Elogium.

CAROLVS Pipini Francorum Regis filius; ejus, qui ademtum Meroveis imperium, in ſecundam Regiam familiam Carolingorum intulit: cujus ſeriem attexuit priori *Henninges in Theatro Genealogico*; & *Scriptor Gallus* *de vera origine ſecundæ & tertiæ familiæ Regiæ domus Francorum*; & *Reuſnerus*, qui ab ultima & fabuloſa antiquitate arceſſit. Natum eſſe Carolum Ingelhemii, plures tradunt; aliqui Carlsburgo eum honorem vendicant, adſtruente non ſegniter famam rei *Aventino.* Ceterum *Eginhardus*, cui

Bouchet. Lib. 4.

ui plurimùm in hujus Principis rebus omnes tribuunt, *in vita*,
lertis verbis fatetur, *de nativitate Caroli atq; infantia, vel*
iam pueritia, neq; ſcriptis uſquam aliquid declaratum eſſe,
eque quemquam, qui ſcripſit, inveniri, qui horum ſe dicat
abere notitiam: adeoque *ineptum* putat de incompertis
ribere. Germanum fuiſſe nemo poteſt dubitare, qui
omen & regnum Francorum, quale eo tempore fuit,
ntelligit. Bene educatum, res ipſa docuit, non paucis, per
mnem vitam, melioris diſciplinæ, probiq; cultus ſpeci-
ninibus. Studia ejus & præceptores paſſim memorantur;
uibus, non junior tantum ſed inter ipſas imperii curas,
peram dedit. Pius inprimis: non religionis modo ſtu-
io officioque, publice ac privatim; ſed vel maximè ani-
no & interiore propoſito. Religionis in Chriſtiano Prin-
pe pars, Juſtitia eſt. Utriusque moderamine, virtus
nilitaris ad faſtigium excellentiæ, ad ſolatium Chriſtiani
ominis, ad auſpicium novi ſæculi evaluit. Certe, ſi quis
ummatim velit Divini Numinis, qua fas eſt, conſilium
ſtimare beneficiumque, Hic eſt ille, qui excolendæ Ger-
naniæ, ordinandæ novo contextu Europæ, fatalis auctor
ontigit. Omnibus major futurus, ſi cultiora tempora
venire potius, quam facere licuiſſet. Quamquam ſic
uoque, non ex more adulandi, ſed meritorum ampli-
idine, cognomentum MAGNI adeptus, quibus poſt-
rri queat, neſcio an quisquam in omni Principum
umero inventurus ſit, ſi ſerio examine res penſetur.
nvictus inter diſcrimina animus; induſtria in labore
fatigabilis; celeritas in conficiendo negotio, qualis
eroum propria fertur: liberalitas in pauperes aſſidue
xpedita; magnificentia in publicum, DEO ſacra, Rei-
ublicæ decora, mixta gravitati regaliter comitas; conſi-
i, pace belloque, domi foriſque, non copia modo, ſed

felicitas : veriſſima ſunt in hujus elogii titulis nomina. In domeſticis quoque non exigua laudum materies offertur. Pietas in matrem, qua cum ſemel tantum in gratiam rediit; amor in ſororem, in fratrem, etiam imperii per biennium conſortem, non demutata in diſcordiam, æquitas; filiorum filiarumque educatio & diſciplina in exemplum magnæ fortunæ inſignis; victus ſobrius, & à profuſo luxu alieni plurimum aulæ mores. Cultus corporis habitusque, nec pretio nec peregrinitate notabilis. At vero, è conjugibus quinque, ſecunda divortio infortunata, quarta per licentiam maritalis fortunæ crudelis, minus decore ſplendidioribus hiſtoriis interponuntur. Octo autem concubinarum agmen, & temporis & Principis maculam, haud obſcure præ ſe fert. Nonnulli & clementiam deſiderant alicubi in Principe, cui hæc virtus inter primores titulos fuit. Non dicam de iis, quæ Faſtradæ indulta jam notavimus; quatuor millia Saxonum cum quingentis, rebellii quidem crimine, ſed uno velut ictu, per modum cladis potius, quam pœnæ cecidiſſe, dixeris. Niſi velis reputare, deditam ultro ad ſuppli-
An. 782. cium eam noxiorum multitudinem, quod ex *Annalibus Francorum Regino* notat: neque levioribus remediis iteratum totiens rebellandi impetum ſiſti potuiſſe. Quid de Thuringorum pœna dicemus, qui in Carolum conſpira-
Ap. Andr. du Cheſne tom. 2, p. 5. verant? ſi verum eſt, quod *alii Annales Francorum* tradunt, confeſſos, ad jurandam fidelitatem circum loca ſancta dimiſſos, in reditu exilio, cæcitate, publicatione bonorum multatos eſſe; inſolentiam potius, cum ad noſtra tempora reſpicimus, quam injuriam; ordinem magis, quam ſeveritatem vindictæ mirari liceat. Illud quoque reprehenſum eſt, quod nimium *amabat peregrinos, & eorum ſuſcipiendorum magnam habebat curam, ut eorum multi-*

ultiitudo non ſolum palatio, verum etiam regno non immerito videretur oneroſa. Ita *Eginhardus:* cujus excuſatio nguidius ſubjecta, excitari poteſt ſtudio & ardore *Mutii*, nimoſius in laudem capientis, quicquid hunc in mo- *lib. 8.*
um peccatur. Admiratione non indignum eſt, quod *ullam filiarum cuiquam aut ſuorum aut exterorum nuptum re voluit, ſed omnes usque ad obitum ſuum in domo ſua tinuit; dicens ſe earum contubernio carere non poſſe.* Hæc *ginhardus* ille Caroli arcanorũ particeps, alumnus; an & ener ex furtivo amore Immæ? Illam ſane texit fabulam *hronicon Laurishamenſe;* bene refutatam, ut puto, à *Baronio:* quanquam alii hiſtoriis inſerunt; alii an fabulis accen- *Ad an. 805. tom. 9. ad an. 826.*
ant, dubitant. Non unas utique fabulas in tanti Herois ebus inſertas licet comperire. Ita, quam de Hildegarda *Freher. ad Eginh.*
aroli conjuge & Talando, ex otioſo, ut ipſe fatetur, Monacho *Cruſius* refert fabellam, neſcio cur pro hiſtoria *Chronico Spirenſi* inſeruerit *Lehmannus.* Nam *Friſchlinum,* hanc *Ann. Suev. par. 1. lib. 12 cap. 2.*
ramati cognomini materiam aptantem, non deeſt quæ *lib. 3. c. 31.*
eatur ratio. Haud æque aſſenſerim *Mutio*, qui Pipini *lib. 9.*
othi conſpirationem in dubium vocat; tanto conſenſu arratam, etiam ipſi *Eginhardo*, qui inter adverſa Caroli *Eginhard.*
oc non omiſit; quin ceteris conſpirationibus (quæ non aucæ fuerunt) adjiceret. Magnos viros magna exercent ericula: fortiter illa quidem & generoſe vel tolerata vel iſcuſſa Carolo; niſi quod *mortes filiorum & filiæ, pro ma-nanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit.* Quamuam has lacrymas, non inane pietatis nomen ultro ommendat. De corpore & ſtatura Caroli, quæ confictis d miraculum narrationibus traduntur à *Siffrido Presbyero, & Wernero Rolevvinckio, & aliis*, erudite diſcuſſit *Marquardi Freheri in hoc argumento* φιλοπόνημα. Secutus ſt hic, ut in aliis, ſtilum Eginhardi, *Anonymus ille Poëta,*

qui ſub Arnulfo Cæſare res Caroli pro captu ævi ſcripſit, Reineccio primum editus, ac nuper ſcriptorum Francicorum corpori inſertus:

Corpore robuſto fuit ipſe decenter & amplo,
Inceſſu firmus, vividus atque agilis.
Egregie procerus, & hoc moderamine juſto,
Septem namque ſuis longus erat pedibus.

& quæ ſequuntur. An credimus in filio paternum illud robur, quo cervicem Leonis una cum cervice Tauri, cui incubabat Leo, uno ictu, gladio ſuo præcidiſſe Pipinus memoratur, apud *Monachum San-Gallenſem* (Goldaſtus *Notkerum Balbulum* putat, male id quidem, ſi videre lubet *Ekkehardum Decanum*, in vita *Notkeri cap. 2.*) *qui de rebus Caroli M. ad Carolum Craſſum libros duos confecit?* Referat aliquis hoc ad vim exercendi corporis, ſicut Perſarum Rex de Carolo credidit, *quod aſſiduitate venandi, & infatigabili ſtudio corpus & animum exercendi, cuncta quæ ſub cœlo ſunt,*
lib. 2. *conſuetudinem habeat edomandi*, referente *eodem Scriptore*. Sed relinquamus iſta iis, quos famæ ſecurius credere nulla religio vetat. Valetudinem non parum in hoc Principe firmabat ipſa laboris conſuetudo: tum ſobrietas, de qua dictum. Poſtremis vitæ annis infirmior, Teſtamento pie prudenterque ſcripto, rebusque omnibus probe ordinatis, morte non improviſa defunctus eſt Aquisgrani, loco ſibi perdilecto; in cujus magnifico templo, à ſe extructo, locum ſepulturæ ſolenni ritu accepit; deſiderium autem & illuſtrem nominis ſui memoriam toti Chriſtiano orbi reliquit. Quæ cum nequeant omnia in brevem elogii modum cogi, ſuo ſingula profectu, per publicam meritorum ſeriem mox ſpectanda venient.

Status

Status Imperii Carolini; ſive ea quæ ad Reipublicæ notitiam pertinent, regnante Carolo.

INcipiemus à *Finibus* Imperii Carolini: *quos* ut recte intelligamus, reſpiciendum eſt ante omnia ad Francorum nomen, quod regno Caroli primum, ac præcipuum fuit. Horum fines *Hadrianus Valeſius*, poſt *Nicolaum Vignierium* & *Iſacium Pontanum*, non indiligenter ita deſignat: *Francorum regio ab Oriente, Toringiam & Saxoniam, hoc eſt, Albim flumen, aut (ut quibusdam placet) Viſurgim; ab Occidente Rhenum & Gallias; à Septentrione Oceanum Germanicum, vel Septentrionalem; à meridie Alemanniam habebat, & Sueviam, multosque populos continebat è quibus Rhenum accolebant Attuarii, Bructeri, & Chamavi ad oſtium fluminis poſiti, ac Salii. Oceani litora tenebant Friſii, & Chauci. interiora terrarum habitabant Amſivarii, Catti, aliique, omnes in unum Franci vocati, & nonnunquam Sicambri, propterea, quod agrum veterum Sicambrorum poſſidebant.* Eginhardus, quid ab initio acceperit, quid poſtea adjecerit Carolus, in hunc modum explicat: *Cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, Oceanumque & mare Balearicum jacet, & pars Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam fluvium, qui Turingos & Sorabos dividit, poſita, ac à Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemanni atq; Baioarii ad regni Francorum poteſtatem pertinerent: ipſe per bella primo Aquitaniam & Vaſconiam, totumq; Pyrenæi montis jugum, & usq; ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros ſecans, ſub Dertoſæ civitatis mœnia Baleario mari miſcetur: deinde Italiam totam, quæ ab Auguſta Prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum & Beneventanorum*

Præfat. ad Geſta vet. Franc.

rum

rum conſtat eſſe confinia, decies centum & eo amplius paſſuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica eſt, & ad eam, quæ à Francis incolitur, latitudine dupla putatur, cum longitudine poſſit eſſe conſimilis. Poſt quam, utramq; Pannoniam, & oppoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam & junctum cum eo fœdus, Conſtantinopolitanum Imperatorem habere permiſit. Deinde omnes Barbaras ac

Add. Aventin. Annal. 4. *feras nationes, quæ inter Rhenum & Viſtulam fluvios, Oceanumque & Danubium poſitæ, lingua quidem penè ſimiles, moribus vero atque habitu valde diſſimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit: inter quas*

Chron. part. 17. *fere præcipui ſunt Welatabi, Sorabi, Abotriti, Bohœmi.* Gottridus Viterbienſis ita deſcribit: *Regni ejus tunc erat terminus à Bulgaria ſive ab Illyrico usque ad Hiſpanos, atque à Danis usque ad Pharum Siciliæ. Exceptis adjacentibus regionibus, utpote Boëmia, Polonia, Dalmatia, Hiſtria, Venetia, Britannia, aliisque provinciis.* Ita etiam *Chronicon Belgicum Magnum ex Alberico. Mutius* Eginhardum deſcribit. Conſulatur *Clariſſimus Vir Hermannus Conringius de finibus Imperii Germanici lib.* 1. *cap.* 2. *& lib.* 2. *cap.* 29.

Ceterum in muniendis Imperii finibus præcipua Caroli diligentia elucet. Cum enim primo aſſidue cum Saxonibus, nec raro de finibus, aut occaſione contiguorum finium decertandum eſſet, *diſpoſitis per congrua confiniorum loca præſidiis*, incurſiones coërcuit; memorante *Eginhardo*; & caſtella paſſim extruxit. è quibus aliqua ad magnarum urbium celebritatem evecta ſunt. Talis Hochburgi, ſive, ut poſtea dictum eſt, Hamburgi ſors fuit, ſicut diligenter explicat Doctiſſimus *Lambecius de Originibus Hamburgenſibus.* Sicut autem hoc caſtellum Albi impoſitum eſt (*vid. Lambert. Schaffnab.* 808.) ita adverſus Danos

trans

ans Albim civitatem, ſuper ripam fluminis Sturiæ, Eſſes-
lt (ſeu Esfelt) magno apparatu extruxit, ut eſt in *Annali-* Ad an. 809.
is Francorum ab Aſtronomo Ludovici conſcriptis : qui, &
ia caſtella apud Albim; itemque Eresburgum ſæpius in-
auratum; nova ad Lippiam, ad Salam, ceterisque locis
pportunis munimenta ac præſidia memorant. qui-
is tuendis *cuſtodes limitum atque Comites* impoſitos,
nſtat: dum modo *Britannici limitis præfectus*, modo
iſpanici limitis cuſtodes, modo aliarum partium fini-
is præpoſiti nominantur. Nec à partibus maritimis
inor diſpoſitio. Quia enim (utar verbis *Eginhardi*) *Nord-*
anni Gallicum litus atque Germanicum aſſidua infeſtatione
ſtabant, per omnes portus & oſtia fluminum, qua naves
cipi poſſe videbantur, ſtationibus & excubiis diſpoſitis, ne
a hoſtis exire poſſet, tali munitione prohibuit. Fecit idem
parte meridiana in litore provinciæ Narbonenſis ac Septi-
inia, toto etiam Italiæ littore usque Romam, ac per hoc
llo gravi damno vel à Mauris Italia, vel Gallia atque Ger-
inia à Nordmannis diebus ſuis (Caroli) affecta eſt. Con-
itiunt *Annales modo laudati ad ann.* 800. Hac diligentia,
i armorum perpetua felicitas robur addidit, factum eſt
Saraceni Turcique jam tum nimium valentes, fruſtra
olirentur pleraque. Ab his ergo temporibus, & auſpi-
im & exemplum ejus laudis repetendum eſt, qua *Wil-* lib. 1. cap. 4.
lmus Malmesburienſis Francos non immerito dignatur,
m conſiderat, ex quo tempore Saraceni Africam &
iam majorem invaſerint. Et *profecto*, inquit, *niſi Dei cle-*
ntia ingenitum robur Francorum Imperatorum animaſſet,
dem Europam ſubjugaſſent. Habuit iſta virtus inſecutis
nporibus ſua intervalla, & ex otio ſubinde reſuſcitata
; ſed interpoſitis magnis detrimentis. Id quod etiam
aliis partibus orbis obſervare licuit. Neque vanum fuit
gurium Caroli, quo conſpectis apud litus Gallicum,

Nordmannorum piratis, *maximo dolore ſe torqueri* dixit, *quia prævideret, quanta mala poſteris ſuis & eorum ſint factu-*
lib. 2. c. 22. *ri ſubjectis.* Refert *Monachus San-Gallenſis.*

Pertinet ad tutelam Imperii, *Amicitia Externorum.* Itaque fœderibus jungendis & ſocietatibus contrahendis ſtudioſiſſimus fuit Carolus. *Eginhardus auctam regni gloriam, quibusdam Regibus & gentibus per amicitiam conciliatis*, narrat; ac ſubinde, fœdera cum Adelfonſo, Galliciæ & Aſturicæ Rege, cum Scotorum Regibus, cum Aarone Perſarum Rege, cum Imperatoribus Conſtantinopolitanis, nominat. Effecerat Virtus & Fama, præſertim militaris, tanti Regis, ut amicitia ejus ultro ambiretur, à venerantibus & timentibus. Fructus inde petebatur, Regni firmitas, ſicut dictum eſt. Suberant & aliæ cauſæ, quarum glorioſiſſima eſt, quod *ob hoc maxime transmarino-*
Eginh. *rum Regum amicitiam expetiit, ut Chriſtianis ſub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac relevatio proveniret.* Serviebant etiam iſta fœdera negotiationum commerciis, & mercaturæ; cujus non poſtrema magnis Imperiis cura eſt. Itaque *Alcuinus* in epiſtola quadam apud *Will. Malmesburienſem* queritur valde, quod ex orto inter Carolum & Offam Regem Merciorum diſſidio, *navigatio utrinq; interdicta negotiantibus ceſſet.* Inſtaurato mox fœdere, *ille ipſe Offa Caroli familiaritate fretus, licet multorum impeteretur odio, dulci tamen vitam conſumſit otio,* ut ibidem habetur. Erat autem Carolus in legationibus recipiendis, & invicem mittendis, ſplendidus ac perofficioſus.

Legum quam geſſerit curam, ita deſignat *Eginhardus: Cum adverteret multa legibus populi ſui deeſſe, (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diverſas) cogitavit quæ deerant addere, & diſcrepantia unire, & prava quoque & perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum eſt, quam quod pauca capitula, & ea imperfecta, legibus*

*bus addidit. Omnium tamen nationum, quæ ſub ejus ditio-
erant, jura quæ ſcripta non erant, deſcribere, ac literis
andare fecit.* Quod de duabus Francorum legibus dicit, *Ap. Andr. du Cheſne tom. I.*
rbis *Hermanni Comitis Nuenarii* explicandum eſt: *Duas
ancos habuiſſe leges, ipſorum auctores teſtantur, Salicam
que Ripuariam, quibus nullus Regum ante Karolum M. ad-
ere quicquam tentavit. Ipſarum quoq; penes me exemplar
t ipſius Caroli Magni temporibus conſcriptum, in quo paſſim
atis vocabula, quæ Latinis verbis reddi non potuerunt, ver-
cula Germanorum lingua exprimuntur.* De additis capi-
lis *Sigebertus* videndus eſt ad ann. 802. & 803. Ceterum
Salicam Legem & *Ripuariam, & Capitula Caroli Magni*
bemus in egregio opere *Lindenbrogii*, qui *codicem Le-
m antiquarum ſive* Νομικὸν Γερμανικῶν Βασιλέων edidit; &
præfatione, de ceteris quoque legibus Germanorum an-
tat, quod ſcripto comprehenſæ non fuerint antea,
*nec paulatim humanioribus ſeſe ſtudiis dedentes, quas me-
ria & uſu retinebant leges*, conſcripſerunt. *Quorum
igentiam* (ita pergit) *Karolus Magnus Imp. poſtea gnaviter
juvit, omniumque*, (ut *Eginhardus* ait) *nationum, quæ ſub
s ditione erant, jura deſcribi ac literis mandari fecit.*
que hoc tantum, ſed *auctoritatem perpetuo valituram
conceſſit.* In iis etiam exhibetur vetus *Lex Saxonum*
VIII. capitulis diſtincta: diverſa ab illa recentiore quam
o titulo *Speculi Saxonici* compilavit *Eccardus à Repka*;
ut diligenter & accurate demonſtrat *Krantzius Saxoniæ*
. 2. *cap.* 21. cui ſuffragatur *Henricus Meibomius in eruditis
Witekindi annales Saxonicos notis.* Addatur de Legibus
roli Magni & conſtitutionibus Civilibus & Eccleſia-
cis, *Melchior Goldaſtus in Tomis conſtitutionum*; & *Cl.
rm. Conringius de origine juris Germanici cap.* 7. 10. 12. 13. 14.
ſanctione Edictorum ejus, variæ occurrunt clauſulæ

 pœnam

pœnam definientes. Memorabilis eſt illa, apud *Auctorem Fragmenti Hiſtorici ab Urſtiſio editi: Quicunque hujus edicti mandata non peregerit, ipſe in vita ſua & filii ejus ſimiliter, ex Regis decreto, de capite quatuor nummos, quaſi ſervi ſolvant.* Oeconomici argumenti *eſt Capitulare*, quod putatur *Caroli Magni de villis ſuis, Conringiana induſtria*, ante annos aliquot editum. Notabiliter autem ad nomotheticum Caroli munus pertinet locus *Chronici Moiſſiacenſis* (*apud Franc. du Cheſne tom.* 3.) ad ann. 802. *Imperator congregavit Duces & Comites, & reliquum populum Chriſtianum cum Legislatoribus: & fecit omnes Leges in ſuo Regno legere, & tradere unicuique hominum Legem ſuam, & emendare ubicunque neceſſe fuit, & emendatam Legem ſcribere.*

Qualia fuerint ſub Carolo Magno *Judicia, idem Conringius*, de rebus Germanicis præclare meritus, ſingulari diſſertatione *de Judiciis Reipublicæ Germanicæ* diſquiſivit. Itaque nihil hic addemus, præter unum & alterum memorabilem locum ex hiſtoria. *In excerpto Chronici Novalicienſis* ita annotatur: *Poſt paucos dies advenerunt Legati Karoli Imperatoris in Italiam, ad cauſas hominum diſcutiendas, inter quos adfuerunt Raperto* Comes, *& Andreas* Epiſcopus atque Capellanus *Domini Imperatoris. cum quibus etiam interfuerunt multi* Judices *&* Scavini, *cum* Sculdaxibus. Mittebantur enim ſubinde *Legati in provincias, ad juſticias faciendas*, ut ſcribit *Regino* ad ann. 798. quibus poſtea in judicando accedebant inferiores cujusque loci Judices, Scabini & Sculteſii. Illa plane ſingularis cura eſt, de qua *Chronicon Moiſſiacenſe: Recordatus piiſſimus Karolus Imperator in die ſua de pauperibus, qui in univerſo Imperio ejus erant, & juſticias pleniter habere non poterant, noluit de intra Palatio ſuo pauperiores vaſſos ſuos transmittere ad juſtitias faciendas, propter munera; ſed elegit in Regno ſuo Archi-*

Apud Andr. du Cheſne tom. 2.

An. 802.

rchiepiſcopos & reliquos Epiſcopos & Abbates, cum Ducibus Comitibus, qui jam opus non habebant ſuper innocentes unera accipere. Et ipſos miſit per univerſum regnum, ut cleſiis, viduis. orphanis & pauperibus, & cuncto populo ſtitiam facerent. Poſtea: *ut Judices per ſcriptum* (intellige xta legem ſcriptam) *judicarent, & munera non acciperent; d omnes homines pauperes & divites in Regno ſuo juſtitiam aberent.* Ceterum, inter judicia Caroli duo valde eximia int: quorum *altero* in cauſa *Taſſilonis Bajoariæ Ducis* judex dit. Acta eſt cauſa in *generali conventu populi*, ut *Eginardi Annales* loquuntur. Quæ fuerit autem Regis ipſius oteſtas in hoc judicio, inde colligitur, quod, *uno omnium ſenſu, ut læſæ majeſtatis reum, capitali ſententia damnaım*, ipſe *liberavit*, & quidem in crimine, quod non tanım in Regem, ſed in Proceres etiam Regni commiſſum rat. Convictus enim eſt, quod *in vitam Fidelium Regis onciliatus eſſet.* ut eſt apud *Reginonem. Alterum* judiium eſt in cauſa Leonis Pontificis & adverſariorum. Reus Pontifex. Actorum principes Paſchalis Primicerius Campulus Sacellanus. Judex Carolus, poſtquam reus ırejurando ſe purgaſſet, accuſatores condemnavit. Hæc nagno conſenſu traduntur; ne quis cum *Mutio* (*lib. 9.*) *Vauclerum* potius audiat, *quaſi Carolus noluerit* judicare in ıac cauſa, reliqueritque judicium Pontifici. *Baroniana* ıutem formula jurisjurandi Pontificii quin conficta ſit, vix dubitabit, qui hiſtoriæ tenorem accurate perſpexerit. De tota conſuetudine judiciorum, & formula, qua Reges Francorum vel per ſe, vel per alios uſi ſunt, eximia eſt annotatio *Viri ſummi Hieronymi Bignonii ad Formul. Marculfi lib.* 1. *cap.* 25. Quid de *Weſtphalico Judicio*, quod ad Carolum auctorem referunt, ſentiendum? Præter Scriptores *Conringio* citatos, videri debet *Paulus Æmylius libr.* 3. &

Ad an. 788.

Annal. Franc.

Regino.

Annal. Eginh.

Tom. 9. *An.* 800.

Wehnerus in obſervat. pract. Vt à Carolo noſtro proficiſcatur res exempli minime probabilis, tacente antiquiore Hiſtoria, non eſt cur credamus.

Comitia & Conventus crebri ſub Rege Carolo, variis locis, tum omnium Ordinum, tum quorundam Procerum. in quibus vel exponebat Rex & communicabat cum ſuis res ante actas, vel deliberabat, vel jus dicebat. Solenniorem conventum annuum fuiſſe, licet animadvertere. Anno Regni ſecundo *Curia generalis* celebrata Wormatiæ. notante *Godefrido Viterbienſ. part.* 17. *conventum populi generalem habere more ſolenni; placitum generale tenere, ſecundum conſuetudinem; Synodum placitumq́; publicum, conventum magnum, conſilium magnum tenere;* ſolennes Scriptoribus horum temporum formulæ ſunt. Apud *Eginhardum in Annalibus*, & qui exſcripſit, Reginonem an. 806. *cum Primoribus & Optimatibus Francorum placitum feciſſe* dicitur Carolus de pace inter filios ſuos conſtituenda. Annales Francorum Tiliani 791, *peractum conſilium Francorum, Saxonum, Friſorum*, propter malitiam Avarum, memorant. Alii *Annales* (an. 778.) referunt *Francos, Bajoarios, Langobardos, Saxones*, & plures *ex aliis provinciis, qui ad Synodum* in cauſa Taſſilonis *congregati erant.* Eſt etiam alia, & ævi propria locutio. *Fragmentum Annalium Nibelungi Comitis Chronico ſubjectum* ad ann. 777: Habuit *Carolus conventum Francorum, id eſt, Magis Campum in Saxonia ad Padresburnon.* Alii *Annales* an. 755: *Venit Thaſilo ad Martis Campo, & mutaverunt Martis campum in Menſe Majo.* Annales Francici breves ad an. 779: *Maj campus ad Dura.* quod in *Annalibus aliis* effertur: *& fuit Synodus in villa nuncupante Duria.* Eginhardus *generalem conventum* vocat. An vox *Campi*, quæ duellum illis temporibus non raro notabat, ad judiciorum certamina adhiberi cœpit?

Apud Andr du Cheſne tom. 2.

quam-

ımquam &alia in his conventibus tractabantur. *Goldaſt.* *ım. Antiq. t.* 1. *part.* 2. *ortum id ab oppido Rhæt. Cur. Mei-* *ld*, ait: ubi Legati Reg. Franc. mallos annuos celebra- ıt. *Franciſcus Hotomanus in Franco-Gállia ſua cap.* 18. affir- t penes Concilium hoc generale, etiam ſub Carolo Ma- ɔ majeſtatem Regiam fuiſſe, non penes ipſum Regem. irmat, inquam, non probat; ſicut poſtea dicetur.

Addendum aliquid eſt de *Officiis*, *Dignitatibus*, *Mini-* *iis*, *Actusque Publici Formulis.* Pleraque in militari diſ- ſitione & civili jurisdictione per Comites gerebantur. i interdum integre, *Regum Comites* vocabantur. Sin- lis civitatibus, & provinciis, etiam pagis, Comites nt præpoſiti. More à Romanis, an à vetuſtiſſimis Ger- nis accepto? Poſterior ſententia multos habet fau- es: prior à *Bignonio* firmatur ad *Chartam de Ducatu, Pa-* *iatu aut Comitatu*, ubi etiam ordinem ſive gradum, er *Duces* & *Comites* oſtendit ex *Walafrido Strabone*, qui *nites Epiſcopis, Duces Metropolitanis* comparat. *Patricio-* *n* his temporibus idem munus, quod *Ducum*: provin- s adminiſtrare, exercitus regere. Qui putant, jam Ca- i Magni temporibus *Ducem habuiſſe ſub ſe XII. Comites* quorum ſententia *Limnæus J. P.* 4, 3, 21.) illi oppido luntur. Ceterum *Vicarios* ſub ſe habuiſſe & *Officiales* os, Duces & Comites, id vero certum eſt. *Comitis Palatii* gna dignitas: officium deſcribit *Hincmarus epiſt.* 3, 21. deatur omnino *Petri Pithœi obſervatio de Comitib. Palati-* *Germ. & Gall.* An major, quam *Seneſcalli*, cujus men- in rebus Caroli an. 786. & 787. *Annal. Francorum?* Ne- *Bignonius ad Marculfi Form. lib.* 1, 25. ubi putat, hoc offi- m ſucceſſiſſe *Majori Domus*, itemque *Hotomannus Fran-* *Galliæ cap.* 15. *Idem*, qui (*cap.* 17.) *Pares Franciæ* à Pipino Carolo noſtro inſtitutos fuiſſe, contra alios, merito gat. Quæ autem (*cap.* 17. & 19.) de *Comite Stabuli* diſſerit, eum-

Marculf. 1, 8.

v. H. Bign. ad Marc. 1, 35.

eumque, in locum *Magiſtri Palatii, & Seneſchalli conſtituit,* accipi debent citra confuſionem temporum. Nam temporibus Carolinis, etiam præter *Comitem Palatii*, & infra eum, *Comes Stabuli* fuit. *Baronum* nomen temporibus Caroli inſerit *Fragm. Hiſtor. quod Alberto Argent. præfigitur in Mſc.* Sed puto, Auctorem verbo ſui ſæculi alieno loco & tempore uſum eſſe. ex hoc videtur hauſiſſe Petrus de Andlo, quod habet *lib.* 1. *cap.* 13. Officia Aulica *majora* & *minora*, res ipſa facit: unde diſtinctio *Monachi San-Gallenſis* in *Palatinos Proceres Caroli*, & *exiguos Palatinos*, ſive *tenuiores Palatinos*. *Quæ* de *cuſtodibus corporis ejus & excubitoribus, Turpinus* memorat (cap.20.) ex quo *Chronicon Belgicum*, aliique deſcribunt, propter ſubleſtam ſuppoſititii ſcripti fidem, non audemus referre. De officiis, quæ attigimus, reliquis, non poſſum, quin adjungam animadverſionem *Monachi San-Gallenſis Fuit* (inquit *l.* 1. *cap.* 32.) *conſuetudo in illis temporibus, ut ubicunque aliquod opus ex Imperiali præcepto faciendum eſſet, ſiquidem pontes, vel naves, aut trajecti, ſive purgatio, ſeu ſtramentum, vel impletio cœnoſorum itinerum, ea Comites per Vicarios & Officiales ſuos exequerentur, in minoribus duntaxat laboribus: à majoribus autem, & maxime noviter extruendis, nullus Ducum, vel Comitum, nullus Epiſcoporum vel Abbatum excuſaretur aliquo modo.* Qualis *Palatii & Comitatus Regii ſplendor*, nemo diligentius deſcripſit *eodem Monacho lib.2. cap.9. &* 11. cum exciperentur Legati Imp. Conſtantinopolitani, itemque Regis Perſarum. *Regia* ſive *ſedes* Regni præcipua *Aquiſgranum*, quam etiam *Godefridus Viterbienſis*, quatuor ſedes Imperii recenſens, primo loco ponit. *Auctor Fragmenti Hiſtorici in opere Urſtiſiano*, luculenta narratione factum eſſe decretum aſſerit, in dedicatione Templi à Carolo exſtructi, *ut in templo eodem ſedes unctionis Regiæ locaretur, & locus regalis, & caput Galliæ trans Alpes haberetur, & in ipſa*

part. 17.

ſede Reges ſucceſſores & heredes Regni initiarentur.* itemque: *ut
isgrani ſedes Regni trans Alpes habeatur, ſitque caput omnium
atum & provinciarum Galliæ. atque hoc decretum banno cor-
atum eſſe.* Adde *Freher. ad Petr. de Andlo lib. 2. cap.* 14.
naum J. P. VII, 2. Diu manſit loco ſua gloria, id eſt, usque ad
ora Caroli V. Nam quod Carolus IV. Bonnæ, Rupertus Pa- *v. Cuſpinian*
us Coloniæ coronati ſunt, ideo factum eſt, quod Aquisgranen- *in vit.*
inter controverſias temporum, religioni ſibi ducerent, hunc
illum admittere. Poſtea mutatus honos, ad alias urbes mi-
it. Vid. *Limnæus J. P.* 2. 4. 6. *& ſeq. Archivi* non omitten-
ſt mentio, quamquam parum ſit, quod hiſtoria nobiſcum in
nagni momenti communicat. *Annales vetuſtiſſimi Franco-
ad ann.* 813. memorant: *Conſtitutiones conciliorum coram Im-
ore collatas eſſe, & earum exemplaria, non tantum in ſingulis
atibus, ubi habita ſunt concilia, ſed etiam in Archivo Pala-
aberi.* Ex *libellis* quoque, quos *Marculfi formulis* adjecit
nus ille Bignonius, ad Carolinum ævum pertinentia *unus* habet.
t autem etiam *Archiva Civitatum*, & *Eccleſiarum:* quæ certo
ſitu ad Archivum Palatii referebantur. Si quis ſupplere quo-
nodo velit hunc locum, ille huc conducet *Diplomata*, cete-
que *ſcripturam formalem* hujus ævi: quamquam occupatum
liis plerumque laborem, ante notavimus. *Chartam evin-
oriam*, ſive *præceptum evindicatorium*, nominat exhibetque
nicon Lauriſhamenſe an. 776. ſuper cauſa proprietatis, qua
nericus Gundelando ceſſit in judicio, per feſtucam; quod
tionis ſymbolum erat. *Annales Francici breves* Thaſſilonis
ionem ita deſcribunt an. 787. *Veniens Deſſilo Dux Bejuverio-
ad Carolum, reddidit ei cum baculo ipſam patriam, in cujus
ſimilitudo hominis erat. & effectus eſt vaſſus ejus, & Theo-
n filium ſuum dedit ei obſidem.* Formula, qua fides juraba-
talis extat inter Fragmenta horum temporum, apud *Andre-
u Cheſne tom.* 2. *Sacramentale qualiter promitto ego, quod ab
lie inantea fidelis ſum Domino Karolo piiſſimo Imperatori, filio
i & Berthanæ Reginæ, pura mente abſque fraude & malo in-
de mea parte ad ſuam partem, & ad honorem Regni ſui, ſic-
r drictum debet eſſe homo Domino ſuo, ſi me adjuvet Deus
a Sanctorum patrocinia, quæ in loco ſunt, quia diebus vitæ meæ*

C *per*

per meam voluntatem, in quantum mihi Deus intellectum dederit, ſic attendam & conſentiam. Adjectam aliquando juratæ fidei clauſulam commiſſoriam, patet ex *Annalibus Francorum an.* 777. ubi *multitudo Saxonum baptizati ſunt, & ſecundum morem illorum omnem ingenuitatem & alodum* (Alode proprie eſt, quod à parentibus acceptum poſſidetur, hæreditas) *manibus dulgtum fecerunt* (al. exemplaria *gurpierunt*; eodem ſignificatu, dimittendi ſcilicet) *ſi amplius mutaſſent, ſecundum malam conſuetudinem eorum, niſi conſervaſſent in omnibus Chriſtianitatem, vel fidelitatem Domini Karoli Regis & filiorum ejus, vel Francorum. Eginhardi Annales*, qui Adelmo vel Ademaro vulgo attributi ſunt, ita efferunt: *ſi ulterius ſua ſtatuta violarent, & patria & libertate privarentur.* Confer cum formulis inſequentis ſæculi, quas habes in *Gloſſario Lindenbrogii ad LL. Antiq. voc. Fidelis Regis.*

Fuit Carolinæ memoriæ tanta veneratio, ut, non ſumma modo religione cuſtodirentur, quæ Aquisgrani, quæ Oſnabrugæ & alibi aſſervantur monumenta Regiæ ſupellectilis ac privatæ; ſed inter ſanctiora pignora & Clinodia, quæ vocantur, Imperii Germanici, *Caroli Magni gladius, Corona, Toga, pallium, pomum aureum, duæ chirothecæ, ſceptrum argenteum*, numerarentur; non ſine contentione & prætextu locorum, cuſtodiam hujus myſterii jactantium. Vid. *Limnæus J. P.* 1, 14. *f. præſertim in Additionibus.*

Quando jam de *Forma Imperii Carolini* quærimus, & an poteſtatem vere Regiam habuerit Carolus, nihil eſt, quod ſinat nos de ea re dubitare, ſi ſeponamus, quæ animis à vero devertendis vulgo valent. Primo enim, in univerſa Hiſtoria Caroli, nihil eſt, quod nos citra ambages & figuras doceat, jura Imperii diviſa fuiſſe inter Carolum & Proceres. Deinde, argumenta fortiſſima ſunt iſthæc: Leges tulit, Privilegia dedit Carolus ſuo nomine; In judiciis ſupremo arbitrio nemini ceſſit; Magiſtratus & præfectos ſolus conſtituit & deſtituit; Bella ſuſcepit & finivit; Tributa indixit & remiſit; Legatos miſit ſuo nomine & recepit; Fœdera inivit ſolus: Quantum ejus jus fuerit circa ſacra, poſtea noſcetur. Hæc ex hiſtoria. quibus nullo modo obſtant, quæ *Franciſcus Hotomanus in Franco Gallia* ſubinde differit. ad quæ æſtimanda ſciri debet: 1. Non bene argumentum peti, à temporibus Merovin-

ingorum, aut antiquioribus Regibus Francorum, ad Pipinum
ræſertim Carolum Magnum. ſicut enim ante, qualiscunque
, Regum poteſtas, imminuta penitus obſoleverat: ita Carolini
auſpiciis ad illuſtre & plenum faſtigium evaluit. 2. Vnde patet,
cilio publico eandem ſemper poteſtatem tribui, nequaquam
. *Conſuluit* Carolus *Fideles ſuos*, egit negotia publica *cum con-*
Fidelium & Sacerdotum, *cum conſilio Optimatium Regni*, quæ
m in Hiſtoria occurrunt formulæ, exemplis etiam ab Hoto-
o inculcatis: ſed nullibi occurrit locus, unde conſtet Concilii
auctoritatem, plus quam conſiliariam fuiſſe. non inde profecto,
 ſæpe, quod annuis vicibus ſolenniter, Concilium coëgit. Id
 Princeps bonus & prudens etiam citra neceſſitatem impo-
 agere ſolet. 3. Quæ de mixta ex omnibus formis Reipubli-
forma diſputantur ab *Hotomano* ὑπόθεσιν habent, à pluribus
em olim & hodie, nec unas ob cauſas, vix unquam ſerio,
tam; exemplis autem vitæ deſtituuntur. Si quis ergo ex *Ariſtot. 4.*
 & mente incomparabilis *Philoſophi* diſputaret; in formis, *pol. 1.*
er δυνατὴν ſive eam, quæ dari poteſt ac ſolet, requirendam ſi-
ederet. Quo conſilio Tacitus, *Delecta*, inquit, *ex omnibus* *4. A. 33.*
nſtituta Reipublicæ forma, *laudari facilius*, *quam evenire*; *vel*
enit, *haut diuturna eſſe poteſt*. Dicam clarius: Dari formas
as certum eſt; dari, quæ ex Optimatum & Populi Impe-
 dari, quæ ex unius & Optimatium poteſtate conſtent, itidem
tari nequit. Eſſe poſſe Rempublicam, quæ ex unius & opti-
um & populi imperio conſtet, ſcio & credo: At fuiſſe unquam,
cio nec credo: quod futura ſit unquam, nec ſcire poſ-
, & credere nolo. 4. Exempla abrogati Regibus Imperii
ncilio, non ſtatim probant ſummam poteſtatem Concilii,
le ea aliunde conſtet. Niſi, inquam, ex Lege fundamen-
 ut hodie loquuntur, ſive ex formula & deſcriptione Rei-
icæ, conſtet, diviſa eſſe Imperii jura; non licebit ex facto con-
Regem deſtituentis id colligere. Id enim eveniſſe; etiam in
s vere talibus, hiſtoriarum peritos latere nequit. 5. In ſcri-
bus citandis, alias res agit, qui non obſervat artificium, ἐν
λέγειν τῇ ὑποθέσει. ne de ipſis dicam ſcriptoribus, in quorum
 , neſcio cur totiens locus datus nugaciſſimo *Hunibaldo*. 6.
utem tota ſcriptio Hotomani, ut antea *Claudii Seyſelli*, vel

 illi

illi ὑποθέσει innixa, quod omnis omnium Regum poteſtas populi arbitrio ſit obnoxia, id eſt, quod poteſtas vere Regia non detur; vel periculoſæ prudentiæ accommodata, qua virtutis Regiæ colores juri Regio inumbrando adhibentur, eo propoſito, quod nemini obſcurum eſſe poteſt. Sunt ejusmodi exempla cottidie ante oculos, cum de ſtatu Imperii diſputatur: dum nonnulli credunt, ſe ad formam, quam animo deſtinarunt, pervenire non poſſe, niſi ejus continuam ſeriem inde ab antiquo oſtendant, cum interea minime ita ſtatuendum ſit: Hic eſt Imperii ſtatus, quia olim talis fuit, illis & iſtis ſæculis. Imo ſi vel heri Reipublicæ forma mutata eſſet, ut ſolet fieri, hodie nulla antiquitatis auctoritas eſſet. Ita etiam in hæreditate & electione ſe res habet: quæ in uno eodemque imperio mutari, alteraque in alterius locum induci poſſunt. Fruſtra eſt certe Hotomanus, dum Caroli Regnum non ſucceſſione & hæreditate, ſed electione ad poſteros ejus propagatum contendit. Loca ſcriptorum, quæ adducit, hoc non evincunt. *Chronicon breve* (apud *Franciſc. du Cheſne tom.* 3.) an. 780. *Carolus Rex diviſit ſua regna inter filios ſuos, & perrexit Romam.* Anno 806. *Carolus Imp. diviſit Regnum ſuum inter filios ſuos.* Charta diviſionis extat apud *Eundem Editorem Francicorum Hiſtoricorum*: in qua formulæ αὐτοκρατορικαὶ in inſcriptione, in contextu toto continuantur. *De hac partitione* (inquit *Eginhardus in Annalibus*) *eſt & teſtamentum factum, & jurejurando ab Optimatibus Francorum confirmatum, & conſtitutiones pacis conſervandæ cauſa facta.* Jurarunt Proceres ſe conſtituta à Carolo ſervaturos. Si quid ultra vis, conſilium Procerum adhibitum eſt: ut & poſtea, cum defunctis reliquis, ſuperſtitem Ludovicum Aquitaniæ Regem ad ſe vocavit Carolus, & *congregatis ſolenniter de toto Regno Francorum Primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius Regni, & Imperialis nominis hæredem conſtituit: impoſitoque capiti ejus Diademate, Imperatorem & Auguſtum juſſit appellari.* Iterum *Eginhardus in vita.* Addantur omnino ejusdem *Annales Francorum*, qui *Ludovici Aſtronomo* tribuuntur, citra omnes ambages rem veram complexi: *ann.* 813. Neque minus aperte *Marianus Scotus*. *Eligendi* vocabulum, quando *charta diviſionis* de nepote loquitur, abunde explicatur, per ea, quæ ſtatim adjiciuntur.

Zimna. addit. ad I. P. 2, 3, 2.

Francog. cap. 6.

Impe-

Imperatoris Titulus, ſive, de Tranſlato in Carolum Imperio Romanorum.

HIſtoriam ſummatim proponemus verbis *Eginhardi ex Annalib.* an. 801. (alii 800. notant, quos ſequuntur *Baronius* & *Æmilius* ex cauſa ſatis nota.) ubi, *Karolus autem* (inquit) *cum die ſacratiſſima Natalis Domini ad Miſſarum ſolennia, Baſilicam beati Petri Apoſtoli fuiſſet ingreſſus, & coram altari, ubi ad orationem ſe inclinaverat, aſſiſteret, Leo Papa coronam capiti ejus impoſuit, cuncto Romanorum populo acclamante,* KAROLO AUGUSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PACIFICO IMPERATORI ROMANORUM VITA ET VICTORIA. *Poſt quas laudes, à Pontifice more antiquorum Principum adoratus eſt. ac deinde omiſſo Patricii nomine Imperator & Auguſtus appellatus.* Monachus Egoliſmenſis addit: *Antea enim Dominus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum & Patricius Romanorum.* Alii addunt *unctionem.* *Theophanes* de Pontifice loquens: ἔχρισεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου· χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν. Eodem modo *Conſtantinus Manaſſes in Annalib.* Unde *Fragmentum Urſtiſiani operis: Sciendum eſt, quod primus omnium Regum vel Imperatorum poſt Chriſti nativitatem, Carolus unctus eſt: bis equidem, primo in Francia cum fratre ſuo Carlomanno adhuc puer in Regem: deinde Romæ in Imperatorem. Ex eo Reges & Imperatores, more antiqui Dei populi, ungi cœperunt.* Sed hæc obſervatio, hiſtoriæ non congruit. Ita enim *Chronicon breve* (*tom. 3. Franciſci du Cheſne filii*) an. 751. *Pipinus in Regem unctus eſt apud Sueſſiones.*

Pontifex, de quo hic ſermo eſt, Leo III. fuit: qui indignis modis ab adverſaria factione habitus ad Caroli noſtri opem confugit. à quo cum reſtitutus eſſet, *cogitare de referenda Carolo gratia cœpit, quem ad liberandam maximo periculo, ac turpi infamia Eccleſiam ex Francia venire non piguiſſet.* quæ *Sigonii* verba ſunt. qui & hoc addit: *Leonem arrepta ex novis Romanorum turbis occaſione ſibi explendum eximaviſſe, ut Catholicum eundem ac potentiſſimum Regem firmum ac fidum Chriſtianis atque ipſi Romana* *de regn. Ital. 4.*

næ Eccleſiæ tutorem ac patronum pararet, ipſumque Imperatorio titulo inſigniret.

Atque hæc eſt illa, quam vocant, *translatio celebris Imperii Romani ad Germanos ſive Francos*; de qua copioſe hactenus & ſecure plerique philoſophantur. Et illi quidem id ſibi tantum negotii dari fere crediderunt, ut inquirerent, *ſitne illa translatio à Pontifice facta, an alio nomine Imperatorius titulus ad Carolum pervenerit?* Diſceptavit eam rem adverſus Pontificios *Matthias Flacius Illyricus*, in cujus libellum non ineruditæ extant *Franciſci Junii notæ*. Verſati ſunt & alii in hoc argumento; ut, *Declaratio cauſæ Regiæ*, quæ *Caſauboni* putatur: & qui præterea *in Monarchia S. Romani Imperii* à *Goldaſto* exhibentur. præſertim etiam *Auctor Anonymus in Politicis Imperialibus part. 9.* Reſpondit Flacio *Bellarminus*, & poſtea *in Annalibus Baronius. Arniſæus* peculiari libello, *de translatione Imperii*; & *Scriptores Juris Publici*, itidem in hoc caput prolixe incubuerunt, ut jus Pontificis examinarent, ſicut videre eſt apud *Theod. Reinking. l. 1. claſſ. 2. cap. 4. Limnæum J. P. 1, 5. & Addition. Grotius* quoque attigit hanc diſputationem J. B. 2, 9. infeliciter ſane, nec pro cetera eruditione. Nullo enim modo admitti poteſt, quod de jure populi Romani dicit, quaſi à Conſtantinopolitanis Imperatoribus imminui non potuerit: cum Roma ſe illis ſubjectam, etiam in hoc ipſo negotio ſciverit, defectionisque ſuæ & deſtitutionis, non juris antiqui & inconvulſi titulum adornarit; non diſſimulantibus *Sigeberto* (*ad ann.* 801.) *Wernero Rolevinckio*, *Sigonio*, *Æmilio*, aliisque Pontificis partes haud ſegniter tuentibus. Cetera plane indigna ſunt Grotiano nomine, quæ *de Jure Pontificis manente, conſtituendi Imperatorem Romanum & Regem Italiæ; tribuendi inveſtituras feudorum Imperii Romani vacante imperio; conſtituendi certo caſu vicarium imperii.* annectuntur refutata ſolide ab *Herm. Conringio in commentario de Imperio Romanorum Germano*; ubi totam hanc quæſtionem tractatam eſt reperire: diſtinctis diligenter, quæ confundi ſolebant. Nos pauca tantum annotabimus. An omnino nova aliqua poteſtas in urbem Romam à Pontifice in Carolum cum Imperatorio titulo ſit translata, non immerito dubitatum eſt. Clariſſima ſunt verba *Chronici Moiſſiacenſis vetuſtiſſimi: Tunc viſum eſt ipſi Apoſtolico Leoni, & univerſis ſanctis Patribus, qui in ipſo concilio*

lio aderant, ſeu reliquo Chriſtiano populo, ut ipſum Karolum Regem Francorum Imperatorem nominare debuiſſent: quia ipſam Romam matrem Imperii tenebat, ubi ſemper Cæſares & Imperatores ſedere ſoliti fuerant. ſeu reliquas ſedes, quas ipſe in Italia & Gallia, nec non & Germania tenebat. Quia Deus omnipotens has omnes ſedes in poteſtate ejus conceſſit, ne pagani inſultarent Chriſtianis: ideo juſtum eſſe videbatur, ut ipſe cum Dei adjutorio, & univerſo populo Chriſtiano petente, ipſum nomen haberet. Quorum petitionem ipſe Karolus Rex denegare noluit, & quæ ſequuntur. Ecce: rem habebat, nomen tantum acceſſit. Nec ab alia mente *Theophanis Chronographia*, ex quo Karolus Romam venerit, auxiliatum Leoni, Romam Francorum imperio ſubjectam aſſerit. Interveniſſe etiam aliquam pactionem de tradendo Imperio conſtanter produnt *Siffridus Presbyter*, & *Gotofridus Viterbienſis*. *Ille* quidem, jam ſub Pipino pactionem factam refert: *Intervenerat*, inquit, *pactio inter Papam & Principes Teutoniæ, & Romanos, ut devictis Longobardis, & aliis imperium vaſtantibus, imperium ad Teutonicos transferretur. Translatum ergo eſt ad eos, in perſonam Caroli Magni, filium Regis Pipini. Godefridus* fuſe:

Fertur ad hac Procerum ſententia talis haberi,
Si velit Eccleſiam Francorum marte tueri
Carolus Imperio præficiendus erit.
Nam labor eſt vacuus ſic Italiam ſuperari;
Ni maneat Princeps, qui poſſit ei dominari.

Poſtea:

Curia Francorum precibus conſentit eorum,
Tollat ut imperium victoria Teutonicorum.
Stringat & Italicum fiſcus ubique ſolum.

Non placet hoc quibusdam, *Eginhardo* magis auſcultantibus, qui memorat, Carolo invito, neque cogitanti nomen Imperatoris datum. *in vita.* Sed non videtur plane repudianda hæc pactio: cum de re ſatis conſtet; nimirum ante acceptum Imperatoris titulum, Romæ imperium habuiſſe Carolum. Vocabula autem facile confunduntur in ejusmodi narrationibus. Certe Karolum Judicem ſediſſe in cauſa Leonis, etiam ante acceptum titulum Imperatoris magno conſenſu tradunt *Annales Francorum*, & optima quæque monumenta. Illud quoque non eſt prætermittendum

dum, quod *Paulus Æmilius*, non parum adulari Pontificiæ curiæ doctus, in deſcriptione illius judicii, notabiliter ſcribit: *Carolus quæſitor, Leo idem & accuſator & reus, conjuratores utrunque & accuſatores & rei. Francus dici, reticeri, perorari jubebat.* Et quamquam poſtea (parum conſentientibus ſibi in hac re Pontificiis Scriptoribus) addat, Epiſcopos interceſſiſſe ſententiæ dicendæ; tamen agnoſcit ipſe liberam Caroli indulgentiam, qui *non agrè tulerit demtum ſibi grave onus de Pontifice judicandi.* En figuram, ex qua haud difficulter agnoſcas veritatem hiſtoriæ: Carolum potuiſſe eodem jure ſententiam ferre, quo cauſam cognoverat, niſi maluiſſet Pontifici, cui valde indulgebat, concedere jusjurandum. Quid potuerit nomine Romani Imperii, tum venire, commentario Conringiano ſupra laudato ſatis oſtenditur. Quid in poſterum acceſſerit amplitudini ejus tituli, ſuis temporibus locisque rectius tradetur; donec denique, ſumma hiſtoriæ in unum collecta, notitia rei accuratior ob oculos ponatur. Interim, antiquitate & celebritate Romanæ urbis, quæ auguſtiſſimi poſt hominum memoriam imperii ſedes quondam fuit, valuit nomen Romani Imperatoris, quantum ad ſplendorem titulorum attinet, juxta; & pòſt, quodammodo ultra Regnorum maximorum, & ſummorum Principatuum vocabula.

De rebus bello geſtis excerpta quædam.

IN *Cauſis bellorum* à Carolo geſtorum, plerumque *auxilium aliis latum*, magnifice præſcribitur. In quem ſenſum *Mutius* (*lib.* 8.) *Carolus ſæpe apud alias nationes juſtitiam petentibus, & injuriam patientibus contra injuſtos communem ſocietatem turbantes auxilium tulit.* Ita bellum Longobardicum rogatu Papæ Hadriani ſuſcepit; ut & ceteras Italicas expeditiones, Pontificibus tuendis. In Sclavico bello Abotritos fœderatos defendit. Ab Anglis quoque, auxilio accitus, per Adolphum egregium Ducem bellavit. Venetos, non diu grate laturos, per filium Carolum liberavit. Alia *injuriis vindicandis* geſta ſunt bella; & *rebellibus ulciſcendis.* Non neglexiſſe eum ordinem, quo ad arma veniri poteſt, teſtimonio eſt, *quod miſit prius legatos, qui verbis agant cum Deſiderio, ut Eccle-*

ſiæ reddat poſſeſſiones, quas occuparat; pollicetur amicitiam: vim præterea magnam ſe dare velle pecuniæ, ut res componatur, ne bello tam gravi agendum ſit. Mut. lib. 7. Thaſſiloni quoque ante bellum illatum, opera Pontificis, non ſine ſuperſtitione quidem formulæ, denunciari jubet: *ne per ejus obdurationem & perfidiam ſanguis Chriſtianorum funderetur, & terra devaſtaretur:* & ſi ipſe Dux nullatenus obedire vellet, *tunc Carolus & exercitus ejus abſoluti eſſent à Deo & ſancto Petro, & quicquid in Ducatu ejus perpetratum eſſet, incendiis & homicidiis, vel qualicunque malitia, totum hoc in Thaſſilonem & ſocios ejus vertatur, & Rex & Franci perſiſtant innoxii.* Verba ſunt *Reginonis lib. 2. an.* 787.

Duo *maxima* bella fuere *Saxonicum*, & *Avaricum ſive Hunnicum.* Illud duravit 32. annis, ſicut accurate putat *Meibomius in not. ad Witekind.* Hoc octavo anno finitum, multo ſanguine con ſtitit. *Eginhard.* Illo plurimum ditionis, hoc plurimum divitiarum Franci adepti ſunt; unde opulentiæ Francicæ non aliud aſſignatur initium.

Fabulis permixta ſunt bella Saracenica, & Turcica, & Hiſpanica. In Hiſpania enim Saracenorum per hæc tempora magnæ opes. *Godefridus Viterbienſis: In Hiſpaniis (ut ajunt) per annos quatuordecim laboravit, plurimas gentes convertit, plurimos amiſit.* Hos annos quatuordecim, qui computet, nullus erit, credo; etiamſi, intervalla ſeorſum & numerentur, & inſerantur. Non certe conveniunt illi expeditioni, quæ in *Faſciculo Temporum* breviter conſignatur: *Hieruſalem circa hæc tempora recuperatur per Carolum cum tota terra ſancta. & Saracenorum ſecta ubique vaſtatur atrociter.* *Ad an. 784.* Prolixius in *Hulderico Mutio: Sunt autores quoque, qui ſcriptum reliquerunt, poſt hactenus omnia dicta, ab eo petiiſſe auxiliares copias & conſilium Conſtantinum Conſtantinopolitanum Imperatorem adverſus Turcam. ipſumque Carolum collecta undique ex Germania, Gallia, Hiſpaniis, & Italia, manu, in Aſiam profectum, Turcos frequentibus præliis victos profligaſſe, & in ea expeditione uſque Hieroſolymam perveniſſe incolumem, incolumique exercitu multas illinc apportaſſe reliquias, quæ adhuc hodie in quibusdam Germaniæ & Galliarum Eccleſiis majoribus oſtentantur.* *lib. 8.* Verboſiſſime, ſed & fabuloſiſſime, *Fragmentum Urſtiſiani operis*; Hieroſolymitanam illam militiam, & reportatas reliquias, & Jacobi Apo-

Apoſtoli ſigna monituſque, tum bis repetitam adverſus Agiolandum expeditionem & in ea cladem acceptam maximam denarrat. *lib. 4.* Videndus omnino *Rob. Gaguinus*, qui commenti vanitatem arguit.

German. De *diſciplina militari* ſubtilis eſt Taciti ſententia: *alios ad prælium ire videas*; *Cattos ad bellum.* De Carolo liceat hoc dicere, quod ad bellum potius, quàm ad prælium ire ſolitus fuerit. Semper illi ad manum, operæ, inſtrumenta, artifices. itaque tempore expeditionis, una nocte potuit ſurgere baſilica, quæ vix annuo tempore perfici potuiſſe videretur, memorante *Monacho San-Gallenſi l. 2. c. 26.* Idem, qui armaturam ferream Caroli totiusque comitatus ejus, non vahe, ut arbitror, deſcribit.

De *claſſibus*, *& rebus mari geſtis*, ſummatim cognoſcere licet ex *Claud. Barth. Moriſoti Orbe Maritimo lib. 2. c. 7.*

Imperatores Conſtantinopolitani.

Onuphr. QUi in Caroli tempora incidunt, ita numerantur: I. CONSTANTINUS VI, cui à fœdo omine *Copronymi* cognomentum datum eſt, poſterioribus annis huc pertinet. Imperavit poſt obitum patris annos 35. initio ſumto ab anno 741. Omnibus vitiis infamatus eſt; religione varia ac pæne nulla, magicis incantationibus deditus, crudelis, ſacrilegus, luxurioſus, ac ob hæc odiis inſidiisque petitus. præſertim ab Artabasdo, qui per biennium ipſi oppoſitus erat. Propinquus exitio, æternos cruciatus veluti præſentiſcere viſus eſt. Res ejus, ut & inſequentium Principum, memorant præſertim *Georg. Cedrenus*, & *Johannes Zonaras.* Inter aſſidua mala domeſtica, bella Turcica, Bulgarica, aliaque cum finitimis, parum illi curæ erant res Occidentis; ad quas vix inanibus Legationibus reſpexit. *Cuſpinianus*, *poſt alios*, bene notat duos ſequioris Hiſtoriæ errores, qui occaſione hujus Principis ad Conſtantinum Magnum accommodati ſunt. Quia enim hoc Conſtantino VI. imperante, à Pipino & Carolo in Italia quædam Pontifici conceſſa putantur, potuiſſe fieri autumat, ut ob nomen Magno illi Conſtantino commune, error de donatione Conſtantini mentes occupaverit. Sicut elephantiaſin quoque hujus Principis Magno illi perperam attribuerunt.

II. LEO IV. Copronymi filius κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, omnia pa-

patris vitia non imitari modo, ſed ſuperare ſtuduit; opes ab illo quæſitas prodegit; nobilitatis inimicus, popularis auræ captator. Res Occidentis neglexit. Res ab eo geſtæ, præter Syriacam ex-peditionem parum felicem nullæ memorantur quinque illis annis, quibus imperio incubuit.

III. CONSTANTINUS VII. Leonis filius, ſuſcepto poſt pa-rem imperio (anno 780.) Matre *Irene* omnia adminiſtrante, poſt lecennium, detruſit matrem, & ſolus imperavit annos ſex; excæ-catur ſubinde. Perpetuæ enim inter Matrem & Filium æmula-iones & inſidiæ excitatæ, multis illuſtribus viris exitio fuere. Et Matris quidem auſpicio bene geſta pleraque Scriptores memorant: iiſi quod cupido dominandi flagrantior eam in ſcelus erga filium mpulit.

IV. Itaque IRENE ſola præfuit imperio 5. annis, ut *Onuphr.* utat. alii tres annotant. Mulier, ſi Græcos ſequimur, prudens, nagnanima, pia, ſi ambitio abeſſet. Hæc & antea, Filii imperio, rancorum increſcere vires animadvertens, de concilianda filio in natrimonium Caroli Magni filia, conſilia agitaverat; in ſpeciem amen magis, ut res ipſa docuit, quam ſerio: ſuo autem imperio, e tanta rerum mutatio in Italia, ſe prorſus excluſa, accidiſſe vi-eretur, miſſis legatis nuptias Caroli ambiviſſe memoratur. quan-uam alii Carolo ipſi hoc conſilium tribuant. In Carolo pruden-a fuerit; Irenen ignominia & metus partim amiſſi totius Occi-entis, partim inſidiarum domeſticarum huc compulerit. Sed es ingentis momenti parum celata, imperio ipſam ſpoliavit.

V. Ea enim occaſio fuit, ademtum ipſi imperium transfe-endi in NICEPHORUM Patricium anno 802; quod octo annis ille enuit. Homo omnibus vitiis commaculatus. Domi crudeliſſi-nus, avariſſimusque: neque foris honeſtior. Perſas pudendo tri-uto placavit: quod, cum Bulgaris exſpoliandis reſarcire vellet, rimo prælio victor, mox reddita clade, occiſus eſt. Hic eſt il-, qui cum Carolo Magno, ultro tranſegit de finibus imperii: Le-tisque ad Irenen miſſis reſponſum dedit, ſuosque Legatos ad-idit. conditiones fœderis hæ memorantur: *ut alter Orientis, al-r Occidentis Auguſti, fratresque, eſſent dicerenturque. Simul inc à Neapoli, illinc è Siponto quicquid ulterioris Italiæ in mare rocurrit, cum ſuis è regione inſulis à Græco, reliquum à Franco ju-* Sigon. regn. Ital. lib. 4. Paul. Æmil. lib. 3. Abbas Urſp.

D 2 *ra*

ra peteret. Inter duo Imperia medius Cardo Venetiæ, utriusque Imperii majeſtatem pie conſervarent. In quibus agnoſcendus eſt ſtilus vulgaris, & opinioni potius hominum receptæ, quam rerum fidei conſentaneus. Neque enim vel Nicephorus dare Carolo potuit, quæ jam olim Byzantinis adempta erant: neque Carolus titulo Auguſti ſeu Romani Imperatoris tenere ſe putavit, quicquid in Occidente adeptus erat. Exiguum fuiſſe, quod ſub hoc titulo obtinuerit Carolus, ſupra dictum eſt: cetera accurate, ac diſtincte ſub aliis titulis, proponuntur. Sed conſuetudo loquendi, translationem & diviſionem imperii, ex opinione vulgata deſcribit.

VI. Succeſſit Nicephoro STAVRATIVS filius; debilis vulnere, qui cum uxori tradere Imperium, & affini Michaeli Curopalatæ inſidiari deſtinaſſet, excidit ipſe imperio, quod per duos tantum menſes tenuerat; & in monaſterio anno inſequenti moritur. Itaque à nonnullis omittitur in ſerie Impp.

VII. MICHAEL autem ille cognomento RANGABE, qui & CVROPALATES, ab officio, quod geſſerat, nominatus, voluntate procerum, & vi exercitus Imperator fit anno 811. Hic renovavit fœdus Nicephori cum Carolo; pius, bonæ fidei: ſed ingenii ſimplicioris, & qui nimium obediret alienis conſiliis: pacis quam belli ſtudioſior. Hinc occaſio nata traducendi, ut imbellem. unde imperium bienniq non toto potitus (quamquam alii quatuor amplius annos ponunt) re adverſum Bulgaros infeliciter geſta, conſpiratione Leonis Armenii amiſit, & in monaſterium redactus eſt.

His fere moribus per hæc tempora in Imperio Orientali res agebantur. Apud Regiam & ſedem Imperii perpetuæ factiones, conſpirationes, inſidiæ; atque hinc parricidia, exilia, atque illud, ordinarium jam geſti infeliciter imperii præmium, excæcatio, tonſura, monaſterium. Solutam pridem militarem diſciplinam, imbellia dominantium ultro corrumpebat. Diſcordiæ atroces in religione, circa imagines, immenſum proruperant. Inter quæ vitia Imperii & Imperantium, facile fuit Bulgaris, Perſis, Turcis, bella ex bellis ſerere; omnia ſurſum deorſum ferre; incurſionibus & latrociniis ad quæſtum uti. Adſciti plerunque à Patribus Imperatoribus Filii, in conſortium imperii, res novas cupientibus, paratus fuere titulus. Moribus aulæ nihil corruptius: inter adulatores avaros & infidos. Evnuchi, fatale Orientis malum. Fortuna

tuna Principatus, in oſtentatione & faſtu rerum externarum potius, quam in diſpoſitione conſiliorum eminebat. Byzantinorum ingenia mobilia, ad omne ſervitium fracta, non aliud ſerviendi levamentum, quam ex crebra mutatione Dominorum ſperare docta. In quo rerum animorumque habitu, quid ſperes aliud, quam publicas publicorum ſcelerum pœnas?

Externa Imperia & Dominationes.

SAracenorum opes primo loco notandæ ſunt, Romano Imperio ſemper infeſtæ, ſæculoque jam tum ſesquialtero, magnis ſubinde auctibus fataliter ſupervectæ. Congruunt his temporibus præcipue, *Habdallas* Amiras ſive Rex à Mahometo conditore hujus tyrannidis nónus decimus; *Mady* (ſive Muhamat) viceſimus; cui ſucceſſit filius *Moſtech* ſive Moyſes; qui imperium reliquit *Aaroni* fratri; quem & Perſarum regem uſurpant, cum Perſicum Parthicumque nomen Saracenorum titûlus abſorpſerit. Hic eſt ille Aaron (ſeu Acheron) qui Carolum noſtrum legatis & muneribus coluit: quique Nicephorum ad pactiones pudendas adegit. Reliquit filium ſucceſſorem *Muhamad*; civili bello mox cum fratre colliſum. Qua occaſione Arabes in plures Principatus diſperguntur. Adeundus eſt *Philippus Lonicerus Hiſtor. Turc. lib.* 1. *Thom. Fazell. rer. Sic. dec.* 2. *lib.* 6. Hoc toto tempore Chriſtianis, præſertim Imperatoribus Græcis, ſucceſſere pauca; Saracenis ad ſummam rerum ſemper proficientibus. Qui & amplius evagati eſſent, niſi fama & virtus Caroli, tanquam obice eos cohibuiſſet, ſicut ante diximus. Præcipuus, qui iſta Saracenica horum temporum deſignavit, ſcriptor, eſt *Paulus Diaconus libris* 22. 23. 24. nam de *Joanne Monacho, ſive Zonara*, & *Cedreno* ſupra eſt mentio facta.

756.
777.
787.

Hiſpaniam, Saraceni ſive Mauri ex Africa transgreſſi, extincto Rege Roderico, Gothorum ultimo, in ſuam ditionem pridem redegerant. niſi quod Aſturum & Legionis regnum inſtauravit Pelagius. Qui ab hoc quartus numeratur *Froila ſive Froilla*, ad tempora Caroli pertinet: rebus contra Saracenos geſtis clarus. cui ſuccedit *Aurelius* frater, ſervili bello conflictatus. Hinc *Sillo*: deinde *Mauregatus* (vocant & Margaretum, & Mauracatum) tyrannide regnum invaſit. Hic pudenda pactione, quinquaginta

v. Baron. tom. 8. *ad an.* 713.

 nobi-

nobiles puellas, totidem plebeji generis, Arabum libidini, veluti tributum annuum conceſſit. Poſt hæc *Veremundus I.* regnum *Alphonſo II. Caſto* tradidit. Nonus hic Aſturum & Legionis Rex virtute & fortuna, rebusque in Saracenos fortiter geſtis valde celebratur. Ab hoc etiam Carolum Magnum, qui ad exuendum eum Regno venerit, in Roncesvalle Bernardi Carpii nepotis virtute magno prælio victum fugatumque, aliqui tradunt. Sed neque tempora congruunt, neque aliæ rationes. *Eginhardi* quinimo longe aliud vult narratio, qui de hoc rege ita ſcribit: *Adeo* Carolus *Adelfonſum Galliciæ atque Aſturicæ Regem ſibi ſocietate devinxit, ut is cum ad eum vel literas vel Legatos mitteret, non aliter ſe apud illum, quam proprium ſuum appellari juberet.* Si intelligatur autem illa expeditio, quam Carolus in Hiſpaniam ſuſcepit, remque proſpere geſſit, niſi quod in reditu à Vaſconibus eſt clade affectus: locus quidem convenit; cum clades illa acciderit in Roncesvalle; ſed Alfonſi hic nulla culpa, quem Carolus in illa ipſa expeditione non levibus amicitiæ officiis devinxit. Ibnabalæ autem Saraceni, qui antea ad Carolum confugerat, fraus ſuſpecta fuit. Vid. *Jac. Meier. Annal. Flandr. an.* 778. & adde *Baronium tom.* 9. ad an. 712. extr. ubi itidem commentum hoc redarguit. Defecerunt quidem ſubinde aliquæ Hiſpanæ civitates in limitibus à Carolo ad Saracenos, & in vicem ab iis receptæ ſunt. Sed inter Alfonſum & Carolum res illa non eſt armis diſceptata. Æmulationis autem, ſed obtectæ, aliquid interveniſſe putes, ex illa narratione *Eginhardi*: *Venere de Hiſpania Legati Adelfonſi Regis, Baſiliſcus & Froia, munera deferentes, quæ ille de manubiis, quas victor apud Oliſſiponam civitatem à ſe expugnatam ceperat, Regi mittere curavit. Mauros videlicet ſeptem, cum totidem mulis atque loricis: quæ licet pro dono mitterentur, magis tamen inſignia victoriæ videbantur.* Sed additur: *Quos & benigne ſuſcepit, & remuneratos honorifice dimiſit.* Ceterum, quæ de Hiſpanicis regibus diximus, apud *Tudenſem*, *Vaſæum*, & *Rodericum Toletanum*, copioſius requiri poſſunt. Confer etiam *Catalogum Regum Legionis & Caſtellæ in Chronico Chronicorum Gualterii.*

in vita.

Eginh. annal. 778.

Annal. 798

In *Italia* regnum Langobardorum finitur ann. Chr. 773. & Fran-

Francorum titulis accedit: cum duraſſet annos ducentos & ſex; ſicut numerat *Paulus Warnefridi de geſtis Langob. libri 6. fine.*

Veneti libertatem ſuam, quamvis gravi bello, quod Caroli filius Pipinus in eos geſſit, petiti, armis & mox pactionibus tutati ſunt. Sicut autem certum eſt, in jus Francorum non conceſſiſſe eos: ita an Imperatori Conſtantinopolitano ſubjecti fuerint, diſputatur. Si fides inſtrumento Pacis inter Carolum, & Nicephorum initæ, ſicut ſupra monuimus, extra controverſiam ponitur libertas Veneta. Vid. *Petr. Juſtinian. rer. Venet. lib.* 1. *Petr. Marcell. in Principib. Venet. Grasvvinckel. in libert. Veneta.*

In *Britannia*, multis Regibus diviſa, aſſiduæ Regum cædes ac diſcordiæ, ſcenam Tragicam plerisque exteris nationibus ludibrio expoſuere: donec *prævalentibus tandem occiduorum Regibus, ſub Egberto Britannia fere tota in Anglorum Monarchiam ceſſit.* an. 801. Ita *Georgius Lilius in Chron. Reg. Angl.* Hic, ut officinam altioris fati Francorum aulam per hæc tempora agnoſcas, felix exul ſub Carolo M. ſuccrevit. Videndi *Malmesburienſis lib.* 1, *f.* & 2, 1. *Rogerus de Hoveden annal. part. prior. Polydor.*

Suecorum Regem Biornum III. (alii IV. vocant.) Carolo amicum faciebat Danorum inimicitia, non ſegniter tum animadverſa. quanquam fabulis permixta ſint, quæ de Refone legato in Suecia interfecto traduntur, apud *Joan. Magnum lib.* 17. *cap.* 1. & *alibi.* Adde *Cl. Loccen. Hiſt. Suec. lib.* 1. *cap.* 1.

Dania enim non parum obſtabat conſiliis Caroli. Ac ſub *Sigfrido* quidem, pacifico Rege, receptaculum tantum fuit, Radbodo Friſiorum regi à Francis ejecto; & Witekindo, qui Saxones ſuos hinc in arma ſemper extimulabat. At *Godefridus* (*ſ. Gotricus*) Caroli æmulum non obſcure ſe gerens, & ſibi vere Germano, avitisque Germanorum ſacris dedito, imperium deberi ferens, fortiter multa patravit, plura deſtinavit; interpoſita nequicquam pactione reſumtis armis; donec Carolo bellum apparatiſſimum moliente, de pace & limitibus regni Eidora flumine terminandis, denuo conventum eſt. Sed illud fœdus, pater ſcelere ſuorum interceptus, Hemmingo filio firmandum reliquit. Memorant *Annales Francorum*, *Saxo Grammaticus lib.* 8. *Iſacius Pontanus Hiſt. Dan. lib.* 4. *Erici Reg. Dan. Chron.*

Eccle-

Eccleſiaſtica.

IN hunc locum diſtuli, quæ, *de jure majeſtatis circa ſacra & negotium religionis in Imperio Caroli*, annotari debent. *Concilia* igitur, ſuper exortis controverſiis, & ordinando eccleſiæ ſtatu, ipſe indixit atque convocavit. Monendum hic eſt, eos, qui Synodos & Concilia ſub Carolo colligunt, interdum, & quidem ſæpius decipi, dum his vocabulis, quosvis etiam conventus & comitia denotari, non meminerunt. Nobis enim hic de congreſſibus ad res ſacras conſultandas ordinandasque inſtitutis ſermo eſt. De Con-
an. 794. cilio Francofurtenſi *Eginhardi Annales* clare: *Rex ad condemnandam Hæreſin Felicianam æſtatis initio, quando & generalem populi ſui conventum habuit, Concilium Epiſcoporum ex omnibus regni ſui*
an. 792. *provinciis in eadem villa congregavit.* Et jam ante, *Felix hujus rei cauſa ductus ad Palatium Regis* erat, *qui tum apud Reginum Bajoariæ civitatem reſidebat. ubi congregato epiſcoporum concilio, auditus eſt.* Inprimis illuſtre teſtimonium habent *Annales Francorum veteres* ad an. 813. *Concilia quoque juſſu ejus* (Caroli) *ſuper ſtatu eccleſiarum corrigendo per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt. Quorum unum Moguntiaci, alterum Remis, Tertium Turonis, quartum Cabillone, quintum Arelati congregatum eſt, & Conſtitutionum, quæ in ſingulis factæ ſunt, collatio coram Imperatore in illo conventu habita.* Quæ ex ipſis *Eginhardi Annalibus* deſcripta ſunt; unde & *Regino* ac *Annales Bertiniani*, *Metenſesque* hauſerunt. Jam quod *jus* habuerit *in Pontificem & Epiſcopos*, *Sigebertus Gemblacenſis* diſerte exponit ad an. 773. *Carolus iterum Romam rediit, ſynodum conſtituit cum Adriano Papa aliisque 153. religioſis epiſcopis & abbatibus, in qua Adrianus Papa cum univerſali Synodo dedit ei jus eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoq; principatus: inſuper archiepiſcopos & epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definivit, & ut niſi à Rege laudetur & inveſtiatur epiſcopus, à nemine conſecretur, omnesque huic decreto rebelles anathematizavit, & niſi reſipiſcerent,*
lib. 7. *bona eorum publicari.* Idem teſtatur *Huldericus Mutius*: *Adrianus poſt hæc cogit concilium adjutus à Carolo: in quo datur plena poteſtas Carolo eligendi Pontificem Romanum, nec licere ſtatuitur ulli religioſorum aut ſecularium, quos vocant, principum contra vel dicere vel*

l ſentire. Item in eo concilio decernitur, ut omnes epiſcopi & chiepiſcopi pallium à Carolo Germano Francorum Rege comparent. uicunque contra aut dixerint aut fecerint, ut excommunicentur dem habet conſtitutio. Hæ conſtitutiones multas contentiones pererunt, antequam poſteri Pontifices à poſteris Impp. Rom. hæc prilegia rurſus extorſerint. Aventinus idem conſultum refert, & *libris Pontificalibus referri*, ait. Extatque *oratio Gregorii VI.* ui antea Gratianus vocabatur, apud *Malmesburienſem lib. 2. c.* . ubi clariſſimis verbis conceſſa hæc Carolo poteſtas per Hadriaım, aſtruitur: idque non ſine ratione factum, prolixe oſtenditur; ıanquam ſuis temporibus alios mores convenire, idem Pontifex bjungat. In aliis provinciis Reges Francos pridem id habuiſſe ris, certum eſt: ergo præſertim de Romana urbe, & iis locis, uæ Pontifices ſibi vindicabant, hoc decretum exaudiri debet. ıcta ſcilicet eſt confeſſio, Carolo, cum ceteris Imperii in urbem omam ejusque ditionem juribus, etiam hoc jus deberi. Vid. *Cl. onringii diſſertationes de Imper. Rom. Germ. c. 6. & de Conſtitutione piſcoporum Germaniæ.* & *Grotius de Imp. ſumm. poteſt. circa ſacra ıp.* 10. Neque obſtat, quod electio interdum lege interdum privileio, noñunquam ſpeciali indultu, aliis conceſſa eſt: ſalvo jure approındi aut reſcindendi. Quare nihil agit *Baronius* iſta importuıus inculcans. qui & nodum in ſcirpo quærit, cum *inveſtituram* 'arolino ævo ignotam vocem contendit. Nam & *veſtitura* & *ineſtitura*, itemque *veſtiendi* & *inveſtiendi* voces, etiam antea in uſu iiſſe monſtrarunt tres doctiſſimi viri *Hieronymus Bignonius ad Aarculfi form. 1. cap. 26. Grotius loco laudato*, & *Lindenbrogius in loſſario ad LL. Antiq.* Francorum certe Reges in poſterum ſemer ad hæc Carolina, & antiquiora tempora provocarunt, cum de ıre in Epiſcopos ageretur. neque de Romano epiſcopo dubitatum ſt, donec Gregorius VII. Pontifex auſu Giganteo novis & inſontibus machinationibus operam dare cœpit. De pontifice Caro- auctoritate judicato, antea, quæ huc faciunt, oſtendimus. ut imıane quantum aberrent, qui tradunt Carolum tum ſtatuiſſe, *ne Pon- fex Dei in mundo vicarius, ullius hominis judicio in poſterum eſſet ıbjectus.* Inter quos eſt *Nicolaus Machiavellus in diſſert. de migrat. p. Sept.* ubi ad Caroli coronationem ſubjungit: *cum antea Pontifices b Imperatoribus ſoliti eſſent confirmari, ipſi nunc cœperunt opus habere*

lib. 4. p. 241.

tom. 9. ad an. 774.

re Pontificum confirmatione & auctoritate, perdiditque exiſtimationem ſuam Imperialis dignitas, acquiſivit Pontificia: & his artibus deinceps Principibus politicis ſe prætulit. Eſt *Machiavellus* alias Pontificum dominationi parum addictus: ſed in his verbis craſſa Minerva agit, neque quicquam ad hiſtoriæ fidem accurate, præter hoc unum ponit, quod Pontifices ex illa inauguratione Caroli conſiliis vaſtis & ambitioſis, quæ paulatim meditabantur, prætextum denique adornaverint. Sed redeundum eſt ad Hiſtoriam. Monachus ergo *San-Gallenſis* copioſe refert, quemadmodum Carolus *Epiſcopia & Abbatias* non tantum promiſerit, ſed ex omni occaſione dederit. *Idem ſcriptor*, nihil minus quam ſuſpectus, *exempla ſeverioris cenſuræ egregia* memoriæ tradit, & Carolum *Epiſcoporum Epiſcopum* vocat. Mutius quoque, cum ex *Nauclero* epiſcopatus conceſſi & mox ademti hiſtoriam memoraſſet, ſubjicit: *Legitur etiam de Carolo, quod quoq; alias non dubitavit, non modo verbis reprehendere & confutare epiſcopos, ſed ex eccleſiis ejicere, propter mores paſtore indignos.* Ceterum de his rebus diligens & erudita extat commentatio *Joachimi Vadiani de Collegiis Monaſteriisque Germaniæ veteribus.* In *Annalibus Francorum* ad an. 801, ut & apud *Reginonem* extat: quod *Romæ & in Italia non tantum publicas, ſed etiam eccleſiaſticas & privatas res ordinaverit* Carolus. quod *diſciplinam & decus Eccleſiæ in legendo & pſallendo inſtauraverit non ſemel, Eginhardo* conſentiunt *Monachus San-Gallenſis, Sigebertus*, alii. Quod *Vulgatam Bibliorum Verſionem* per Alcuinum emendaverit, ex Capitularibus & MSc. codice *Baronius ad an.* 778. quod *quatuor Evangeliſtas* ante obitum ſuum ipſe, *cum Græcis & Syris optime correxerit*, in opere ſuo *Theganus* (ap. *Andr. du Cheſne. tom.* 2.) ſcriptum reliquerunt. Quod *per manum Pauli Diaconi ſui decerpens optima quaque de ſcriptis Catholicorum Patrum lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in eccleſia legendas compilari fecerit*, Sigebertus & Wernerus Rolevvinckius annotarunt. Quod, ſub exemplo Hieronymi, Bedæ, Flori, per Uſuardum vitas ſanctorum & martyria colligi curaverit, *Chronicon Belgicum ex Vincentio* deſcribit. Quod veſtitum eccleſiaſticum ordinaverit, ita *ut ne janitoribus quidem liceret communi habitu in eccleſia miniſtrare, Sigebertus* auctor eſt. Illud pereximium eſt, quod in Synodo Francofurtenſi, Synodus Nicena II. quam illi œcumenicam ſepti-

lib. 1. cap. 1. & ſeqq.

ap. Goldaſt. Antiquit. Alam. tom. 3

ad an. 795.

timam vocabant, quamque Pontifex Hadrianus probabat, Le-
is ejus nequicquam obnitentibus, rejecta & damnata, contra-
: abuſum imaginum liber nomine Caroli M. publicatus eſt; fru-
ı conſenſum *omnium Annalium vetuſtiorum* elevante *Baronio:*
us effugia obſtructa eſt videre *in diſſertatione Magni Theologi*
Dorſchei ad Concil. Francof. Addatur *Reſcriptum Caroli de non*
randis Imaginibus tom. 2. Conſtitut. ap. Goldaſt. Quomodo igi-
, inquies, toties audio Carolum M. accuſari, tanquam qui
ınivendo & indulgendo, Pontificiæ dominationis non funda-
nta modo jaci, ſed ſtructuram ſurgere paſſus ſit? Indulgentiſſi-
m fuiſſe Carolum in Pontifices, nemo negaverit. huc eum, præ-
ingenitam lenitatem, induxerunt tot ſupplicationes & preces
ntificum, quibus Patris Pipini & Ipſius patrocinium implora-
ant. neque nullæ ſuberant rationes privatorum meritorum, &
vi ad hanc familiam delati in Francia Regni conſilia. Nihilo tamen
nus oſtendi poteſt, eum Regiæ auctoritatis ſatis memorem fuiſſe,
i Pontifices inſolentius ſeſe gererent. Sed illi, ſicut varie ten-
ant arcana poteſtatis Regiæ, ita deprehenſi mutabant ſtilum &
ltum, ſicut ex actis horum temporum perſpici poteſt. Quid in
igione fuerit facturus, vel ex doctrina de imaginibus conſtare
eſt, contra Pontificem ſtrenue defenſa: ſi nimirum eruditiores
ca ſe Theologos habuiſſet, & ad temporum caliginem diſcutien-
n majoribus ſubſidiis abundaſſet. Quod & ipſe exoptavit, te-
Monacho San-Gallenſi, cujus hæc eſt narratio: *Glorioſiſſimus* *lib. 1. c. 9.*
rolus per totum regnum ſuum ſtudia literarum florere conſpiciens,
ad maturitatem Patrum præcedentium non pervenire condolens,
plus quam mortale laborans, in hanc tædiatus vocem erupit: ô
nam haberem XII. Clericos ita doctos, omnique ſapientia ſic per-
te inſtructos, ut fuerunt Hieronymus & Auguſtinus. Qua re,
ıulationem ſuam Albinus appoſito magis, quam ſufficienti re-
ɔnſo texit an prodidit? cum diceret: *Creator cœli & terræ ſimi-*
illis plures non habuit, & tu vis habere duodecim? Quid? quod
ris ambagibus & ſpecie magnæ pietatis ac fidei ſuggeſta ſunt,
æ ſuperſtitioni dicata religionem mentiebantur. Legatur *Epi-*
la Cathuulphi apud Andr. du Cheſne tom 2. ubi Carolo poſt opti-
& ſanctiſſima præcepta boni regiminis, ad extremum ſuade-
, ut *Miſſam S. Michaelis & Paſſionem S. Petri* per regnum ſuum

E 2 cele-

celebrari curet. In propaganda interim & ornanda Religione Chriſtiana, quantum fuerit hujus Principis ſtudium, nullis laudibus quisquam ſatis expreſſerit. Quemadmodum populos Saxonicos Germanosque alios à paganiſmo ad ſacra Chriſtiana traduxerit, & relapſos in priores ſuperſtitiones, revocaverit, ipſumque tandem Witechindum diu deteriora ſecutum lucrifecerit, integris eſt operibus explicatum. In omnibus pactionibus, ſive, quæ victis dictæ ſunt, legibus, Chriſtianæ fidei formula, ſolennem locum habuit. Dimiſſi ſunt quaqua verſus Presbyteri, Epiſcopi, Abbates, qui baptizarent, & evangelium prædicarent. Deſtructa idola, & inter ea Irmenſula & Crodo. In Sueciam quoque & Daniam transmiſſa lux veritatis. Extructa paſſim & ornata templa, fundati & dotati Epiſcopatus; liberalitas denique & munificentia Caroli in omnes Eccleſias Regnorum ſuorum, imprimis etiam in Romanam, pæne incredibilis. Incitati tam auguſtis exemplis viri nobiles, dites, illuſtres, ut & ipſi eccleſias viroſque Eccleſiaſticos reditibus, prædiis, pecuniis donarent. Talis hiſtoriæ longa, & ex cujusque gentis annalibus repetenda ſeries naſceretur, ſi hoc agendum foret. Sufficiat illud notaſſe, quod ad Germanicas gentes & Boreales terras omnes, ad Hiſpaniæ partem non temnendam, ad Galliam & Italiam totas, ad Aſiatica loca non pauca, Carolina in religionem Chriſtianam merita pertinuerint. Præter *Alberti Krantzii Metropolim* & *Adamum Bremenſem*, & *Aventinum*, qui ſtudioſius hæc explanant, uniuscujuſque populi *Annales*, ut dixi, & *Chronica Eccleſiarum* conſuli debent.

In ipſa Chriſtianæ Religionis doctrina, *Controverſia de Imaginibus*, occidentem & orientem his temporibus conjunxit ſimul & concuſſit. Orientales pridem ægre ferebant, Epiſcopi Romani, quam ſibi arrogabat, prærogativam: accenſaque inde æmulatio, hactenus tantum commitigabatur, quatenus inter factiones Iconoclaſtarum & Iconolatrarum pars ſuccumbens, aut vincere moliens, nulla præſidia dedignabatur. Hinc factum, ut in Synodo Orientali (an. 787. al. 789.) quæ cultum Imaginum inſtauravit, multum Hadrianus Pontifex poſſet. Qui & in Occidente eam rem haud parum ſtabilivit, niſi quatenus, ut ante dictum eſt, cordata Caroli auctoritas obviam ivit. Ceterum Theologiam horum temporum, potiſſimum ex *Alcuini ſive Albini* operibus repetunt

petunt etiam *Centuriæ Magdeburgicæ*, *C.* præſertim *VIII. cap.* 4. Multus in externis rebus ſplendor: Sanctorum & notitia & cultus fabulis & confictis miraculis & translationibus corporum, & reliquiis propagabatur: ſedis Romanæ auctoritas & ambitio ex omni occaſione negotiis eccleſiaſticis ſe inſinuabat: Anathematum fulmina manifeſto abuſu vibrabantur. In *Synodis*, quas enarrant *Centuriæ VIII. 9. IX. 9.* præter ea, quæ tetigimus, memorabilis eſt *Controverſia de proceſſione Spiritus Sancti*, Aquisgrani agitata *an.* 809. cujus cauſſa legati Romam miſſi ſunt, *Annalibus Francorum* magno conſenſu teſtantibus. Ceterum res tota habetur in *Conciliorum opere* in *Actis Smaragdi*: unde excerpſit *Baronius*, & explicavit *Ger. Jo. Voſſius de tribus ſymbolis*, *diſſert.* 3. §. 27. *& ſeqq.* (*tom. 9. ad an. 809.*) Circa *Monaſteria* nimis hoc ævo occupati erant, quanquam Carolus ſtudiis potiſſimum colendis ea inſervire volebat. Videatur omnino *Aventinus.*

Pontifices Romani, in tempora Caroli tres referuntur: *Stephanus III. Papa* 96. qui anno ſui Pontificatus quarto obiit: (*an.* 768.) *Hadrianus I.* qui XIII. amplius annos præfuit: (*an.* 772.) *Leo tertius, annis XX.* (*an.* 796.) Chronologiam accuratius deſcriptam exhibet *Onuphrius Panvinius*: (*in Rom. Pont.*) hiſtoriam *Platina.* Stephani & Hadriani *epiſtolæ* ad Carolum editæ ſunt à *Franc. du Cheſne tom.* 3. & alibi. *Leonis* nihil extat, præter Epiſtolas. Stephani Papatus, fere in judicio contra Conſtantinum, factione Longobardorum creatum Pontificem, conſumebatur. Adrianus & Leo, Langobardicas & Byzantinas inimicitias exequi opportunum duxerunt: miſerabiles ſe Francis faciendo, ut omnibus ceteris fierent terribiles. Viri ſane, egregiis dotibus prædit, ſi tam religioni repurgandæ, quam potentiæ augendæ ſtuduiſſent. Hadrianus ædificator fuit, pietatiſque & prudentiæ ſuæ laudem, ornanda urbe æſtimari voluit. Leo, ab illa, quam pepererat, fama multum diſcivit, arrepta de ſanguine Chriſti Mantuæ reperto fabula, & ineptæ ſolennitatis ritibus diſſeminata. Produnt ſcenam rei *Annales Francici*, quam denuo adornat *Baronius* per diplomata Pontificum, (*ad an.* 804.) nec Ipſi, ut fatetur, nec cuiquam hominum, ut arbitror, viſa.

De *Judaiſmo* & *Mahumediſmo* horum temporum, ſatis diligenter conſignavit præcipua *Cl. Jo. Henr. Hottingerus in Hiſt. Eccleſ. ſæc. VIII. & IX. Capitibus iſto titulo prænotatis.*

Literæ, Artes, Inventa.

IN ipſo Carolo *Eginhardus* & cæteri laudant ſingulare ſtudium in artes liberales; & earum doctores; nominatimque Rhetoricæ, Dialecticæ, Aſtronomiæ, Logiſticæ, tum Theologiæ peritiam; linguæ Latinæ & Græcæ notitiam concelebrant. *Inter cœnandum aliquod acroama aut lectorem audiebat. Legebantur ei Hiſtoria & Antiquorum Regum geſta. Delectabatur & libris Sancti Auguſtini, præcipueque his qui de civitate Dei prætitulati ſunt. Item barbara & antiquiſſima carmina, quibus veterum Regum actus ac bella canebantur, ſcripſit memoriæque mandavit. Inchoavit & Grammaticam patrii ſermonis. Menſibus etiam juxta patriam linguam nomina impoſuit: item ventos duodecim propriis appellationibus inſignivit.* Quæ ab Eginhardo recenſentur, & à linguæ Germanicæ ſtudioſis explicantur. Vide præſertim *Aventinum.* Circumferuntur hodieque *opera Caroli* noſtri, in quibus *Capitula* quidem & *diplomata* ante nominavimus: ut & *de Imaginibus adverſum Synodum Nicenam II. Epiſtolæ* ejus, Hiſtoriis paſſim inſertæ ſunt; è quibus *unam, ad Faſtradam Reginam*, etiam *Andr. du Cheſne tom. 2.* edidit. Protulit & *Lazius* anno ſuperioris ſæculi LX, *Epiſtolam Caroli ad Albinum prolixam de ritibus nonnullis Eccleſiaſticis.* de qua eruditorum eſto judicium. An carmina, quæ circumferuntur, ſint Caroli, merito dubitatur, cum præſertim, id quo Hadriani mortem deflevit, inter Alcuini opera editum habeatur.

Eginh. Vit.

Scholas inſtituit plurimas. Initium Pariſienſis ſcholæ fecit adjutoribus duobus eruditis Viris, *Joanne* & *Claudio* Scotis Bedæ diſcipulis, & Alcuino, quem ex legato amicum & præceptorem habuit. Hinc factum eſt, ut in poſterum tam venerabile Bedæ nomen fieret; cujus diſcipulis certe debetur, præcipua, quæ his temporibus contingere potuit, eruditio. Adeatur *Monachus San-Gallenſis*, *Hulderícus Mutius lib. 8. & 9.* ubi & *Bononienſis ac Papienſis Scholarum* initia ad Carolum refert. Epiſcopis quoque præcepta Scholarum cura; & Monaſteria hoc nomine ordinata. Quanquam autem non eo uſque profecerint literæ, ut barbaries potuerit undique expelli, eſt tamen cur Deo gratiæ agantur, quod tanti Herois ani-

lib. 1. c. 1. & ſeq.

animum excitaverit in curas tum maxime neglectas iis, quorum ad officium ea res pertinebat.

Viri docti qui ſub Carolo floruerunt, jam fere nominati ſunt: *Eginhardus*, cujus opera habentur; *Alcuinus*, cujus *opera* ſæpius edita viſuntur; *Uſuardus* de cujus *Martyrologio* dictum: *Claudius Clemens, Altiſiodorenſis epiſcopus*, cujus opera publicata ſunt; *Joannes Mailroſius*, Clementis ſocius, cujus opera non viderunt lucem: *Paulus Diaconus*, Hiſtoriæ Longobardicæ & Miſcellæ auctor, de quo vid. *Ger. Jo. Voſſ. in Hiſtor. Lat.* 2. *cap.* 30. *Ludgerus*, de quo vid. *eundem ibid.* ut & de *Adelmo ſive Adhemaro Benedictino, cap. ſequens*; cujus tamen hiſtoria ab aliis *Eginhardo* tribuitur: *Turpinus*, de quo *Idem cap.* 32. *Chriſtianus Druthmarus Presbyter Corbeienſis*, cujus expoſitio Evangelii Matthæi publicata eſt: *Claudius Taurinenſis*, cujus apologeticus eſt *in Catalogo teſtium veritatis*; *Paulinus Aquileienſis Epiſcopus*, qui contra Felicem & Elipandum ſcripſit, ſeorſum, & in Tomis Conciliorum editus. In Oriente apud Græcos inprimis celebris fuit, *Theodorus Studita*, cujus opera partim in *Bibliotheca Patrum*, partim ſeorſum edita habentur. Vita ejus MSc. extat in Bibliotheca Auguſtana. *Johannes Hieroſolymitanus junior*, cujus opera edita ſunt. *Georg. Theophanes* de quo vid. *G. I. Voſſ. Hiſtor. Græc.* 2, 24: *Georgius Syncellus*, de quo *ibidem*: *Nicephorus Conſtantinopolitanus*, de quo *c. ſeq. Antipatri Boſtrenſis* & *Taraſii Patriarchæ Conſtantinopolitani* ſcripta in *Bibliotheca Patrum*, & *Conciliis* reperiuntur: quod & de *aliis Orientalium epiſtolis ad acta eccleſiaſtica pertinentibus* intelligi debet.

Non indignum annotatu videtur; vulgo obtinuiſſe per hæc tempora *ſermonem ruſticum*, id eſt Latinum quidem nomine, ſed nec phraſi, nec Grammatica emendatum. De hoc *Vir Magnus* *præfat. in* *Hieronymus Bignonius* accipi debere putat, quando Patres Synodi *form. Marc.* Turonenſis III. ſub Carolo Magno celebratæ, juſſerunt unumquemque epiſcopum curare, ut homiliæ ſanctorum in *ruſticam Romanam linguam* transferrentur, quo facilius poſſent intelligi. adducitque teſtimonia *Gregorii Turonenſis*, qui & uſum ſe aliquando illo ſtilo fatetur, &, qualis ſit, deſcribit. comparat etiam huc ipſas Marculfi formulas, in quibus erraret, qui ad Grammaticam vellet emendare, quæ ab auctore non aliter ſcripta ſunt. *Regino lib.* 2. *ad ann.* 814.

ita

ita notat: *hæc quæ ſupra expreſſa ſunt, in quodam libello reperi*, plebejo & ruſticano ſermone *compoſita, quæ ex parte ad Latinam regulam correxi*. Ipſe libellus, *Annalium* ſcil. *rerum Franc. ab ann.* 741. *usque ad* 814. habetur auctior, quam *Caniſius* ediderat, ap. *Andr. du Cheſne.* Adeo ſcilicet barbaries inveteraverat, ut exorientibus quoque melioribus ſtudiis, ultro inſtauraretur, inſequentibusque ſæculis per omnes fere libros, veluti lolium tritico adnaſceretur.

tom. 2.

Poëſeos ſtudia omnibus eruditis per hæc tempora curæ fuiſſe, multa arguunt: ſed pro captu ſæculi. Hinc eſt, quod ipſi Carolo non una tribui carmina ſupra diximus: Alcuini autem plurima feruntur. Ne de *Poëta*, qui Caroli & Leonis congreſſum deſcripſit, dicam. ac de *Epitaphiis, elogiisque* variis, huc congruentibus. Etiam *Theodulphus* Epiſcopus his temporibus clarere cœpit: majorem poſtea laudem adeptus. Extant carmina ejus, de Carolo; de Liberis ejus, de Aulicis, valde memorabilia apud *Andr. du Cheſne tom. 2. pag.* 647. In hoc certe eruditionis genere nemo ei præferri tum potuit. Ceterum, ſicut multis ingenium non defuit; ita genio ſæculi in minora fere elabebantur. Id quod plerumque faciunt, qui invita Minerva, fiducia quam doctrina majori, poëtas ſe ipſi promulgant. Magni operis ſcilicet; jam inde ab initio ſæculi octavi videbatur carmen *Aldelmi*, cujus literæ verſibus initium & finem dantes, hunc primum carminis verſum efficiebant,

Metrica tirones nunc promant carmina caſtos.

Quod inventum *Rabano Mauro*, qui ſub Ludovico Pio claruit, à nonnullis poſtea attributum eſt, ſicut in *Editione Wolfg. Lazii* cognoſcitur, ubi tamen, bis in poſtremis verſuum vocibus *iſtis* pro *iſtic* legitur, cum detrimento artificii, ſi quod eſt, quod dixi.

Inter Inventa hujus ævi, ſolent etiam *Organa*, quæ in templis Chriſtianorum nunc paſſim uſurpantur, referri. Res ipſa ſane antiquiſſima eſt; extatque in *Operibus Juliani Imperatoris Apoſtatæ* eruditum epigramma, quo Organum, qualia noſtra ſunt, accuratiſſime deſcribitur: Latine ex Græco converſum à *Dionyſio Petavio*. Sed ad Germanos his fere temporibus venit. *Annales Francorum breves* rudi ſermone, *ad ann.* 757. *Venit Organa in Franciam.* organum debuit dicere, *quod* nimirum *cum aliis donis Conſtan-*

ſtantinus Imper. Regi Pipino miſit, ut alii *Annales* tradunt. Innotuit amplius ſub Carolo; donec ſub Ludovico Georgius (an Gregorius? nam & ita dicitur) Presbyter Venetus artem conficiendi more Græcorum organa profeſſus, Aquisgrani impenſis Imperatoris ſpecimen fieri curavit; ſicut tradunt *Annales Eginhardi*, & *ad ann. 816.* *Scriptor Vitæ Ludovici.*

Memorabilia alia.

IN hunc locum nolim equidem congerere, quæ de portentis, prodigiis, ominibus; eſt ubi vere; aliquando tamen non ſuperſtitioſe modo ſed mendaciter commemorantur. Unum ponam impudentiſſimi mendacii ſpecimen, unde de judicio quorundam Scriptorum conjecturam capere liceat. *Wernerus Rolevvinckius* ita *Æt. 6. ad* ſcribit: *Sol ſtetit ſpatio trium dierum, ut Carolus vinceret.* Mirum, *an. 794.* ni nugator miraculum Joſuæ temporibus dicatum, non referre *804.* modo, ſed plusquam altero tanto ſuperare voluit. Nimirum tanta erat literarum apud ejusmodi Scriptores imperitia, ut cum legerent, Solem hoc aut illo tempore *ſtetiſſe* in certo ſigno, ipſi non curſus ſpatia, ſed quietis, determinari crederent. Non abſimilis imperitia in *Sigeberto* occurrit, cujus iſta ſunt verba: *Sol obtenebratus eſt per dies XVII.* *ad an. 798.* Quæ neminem eruditum morari poſſunt. Quod ſi quis delectatur enumeratione Eclipſium, terræ motuum, ſpectrorum, & quæ ſunt ejus generis alia viſa aut eventa, illi ſatisfacient *Memorabilia Hieronymi Wolffii, annis qui huc congruunt*; & *Conradi Lycoſthenis liber de Prodigiis & Oſtentis.* Eminere plerisque videntur *inſcriptio de nativitate Chriſti in Thracia reperta*, apud Græcos Latinosque Hiſtoricos: & *baſilica Fridslarienſis, paganorum incendio inviolabilis.*

LUDOVICUS PIUS,

Caroli Magni ex Hildegarde filius.

Annotatio Temporis.

NAtus anno Chriſtiano 778, Imperavit poſt Patrem annos 26. m. 4. d. 24. ab anno 814. Obiit an. 840. cum vixiſſet annos 62. Ex *Onuphrii Panvinii lib. 3. Rom. Principum.*

Elogium.

HUnc Carolus Pater vivus, ſucceſſorem ſibi non deſtinavit modo, ſed inſignibus adornavit; cum ſolus fratribus ſupereſſet. Extat ſolennitatis ejus memoria, auctoritate Patris, reverentia Filii, gratulatione Reipublicæ perilluſtris; & inter exempla comitiorum Imperii ſingulariter commemorabilis. Fuit autem Imperio Patris felicior, quam ſuo. Quamvis eum non deſereret virtus militaris, usque ad ſupremum diem. Sicut enim ſub Patre bellis Hiſpanicis inclaruerat: ita Imperio potitus, eos qui male parebant, aut fidem exuerant, promte ac ſtrenue ad officium reduxit. Sic compreſſi Sclavi, Vaſcones, Britones, Abotriti, Pannonii: in Hiſpania, etiam Saraceni; apud limitem Saxonicum, Normanni coërciti. Neque defutura erat, victrix etiam impiorum Filiorum auctoritas: niſi eam infelici propoſito ita emolliviſſet, ut perpetuum poſteris exemplum daret Principis, qui nimia lenitate vivus & videns ſe remque publicam peſſum dare, quam jure ſuo impigre uti maluit. Ita ſuæ fortunæ faber factus, dum ſeveritatem fugit, lenitatis fructum amittit: demotusque per vim conſiliis mitioribus, ne tum quidem juſtæ ultionis præſidio convaleſcit: in qua ſcilicet inviſum erat quicquid novum; inefficax, quicquid ſerum. Viderat Parentis, quanquam expeditam in omnia gravitatem, periculis non caruiſſe: in imperio tam late fuſo, paceque vix unquam apud omnes provincias aut limites illaceſſita. Ita fit, ut tumultus quicunque ingruens res novas cupienti-

Vita Ludov. per Aſtron. deſcripta an. 813. & Thegan. c. 6.

entibus, etiam apud vitalia imperii, occaſionem ſæpe & prætextum ſceleris ſuppeditet. Felicius tamen, quamvis ancipitis conſilii facilitas, in longinquiora, ſucceſſit: cum Saxonibus à patre mulctatis, patriam & patrimonii jura redderet, eoque nomine fidos eximie haberet. Ceterum omnis Ludovico malorum ſeries, è domo procedit. Quippe, comperta morte Patris, ſtatim de Sororibus ſolicitus, ne qui vacuæ aulæ illa veluti ſpolia, & majoris ſpei præſidia invaderent, quatuor ex fidiſſimis præmiſit; Walam (Valonem etiam & Walonem dicunt) è paternis amicis præcipuum, Warnarium, Lantbertum, Ingebertum: omnibus turbis viam occluſuros. Sed ex his duo, Warnarius & Lantbertus, divulgato intempeſtive mimo, alter Hodoini manu interfectus, alter debilitatus eſt. Hinc Bernardo Italiæ Regi, Pipini, qui Ludovici frater erat, filio, primam occaſionem irarum præbitam, ſtruente Wala, *Paulus Æmylius* putat: eo quod ſororum ipſius pudicitia, videretur pulſata. Verum non alia illi in Patruum optimum interior rebellii cauſa, quam cupido dominandi: quod pravis magiſtris aures præbendo, perſuaſus erat, ſibi potius Imperium avitum deberi, cum Ludovicus filiorum Caroli natu minimus, ipſe autem fratris natu majoris Pipini, filius eſſet. Præoccupatum & capitis damnatum Bernardum, Ludovicus ſervare conſtituerat: ſed, poſtquam mitiori pœnæ genere oculis orbatus erat, ſubinde non tam Imperatoris quam aliorum ſponte, vita caruit. Inſtinctores & conſcii participesq; conſiliorum, variis pœnis affecti ſunt. Ejus rei memoria incitavit alios, quocunq; nomine mulctatis faventes, ut longam & inextricabilem odiorum ac inſidiarum in Ludovicum ſeriem machinarentur. Erant ei tres ex priori uxore Hermingarde Filii: Lotharius, Pipinus, Ludovicus: quibus ſuperinduxit novercam Juditham, quæ filium quartum peperit Carolum, cui poſtea cognomen Calvo fuit. Pipinus ergo & Lotharius, Procerum Bernardi memoriæ faventium extimulatione, in Patrem concitati, Imperio eum exuunt; &, poſtquam flagitationibus meliorum reſtitutus priſtinæ dignitati eſſet, vix bona fide reconciliantur. Quæ res, cum inter inſignia fortunæ impotentis exempla alte emineat, poſtea accuratius conſiderabitur. Nondum tamen à filiorum impietate ſecurus acquieſcit Ludovicus: filium cognominem, prope finem vitæ, hoſtem expertus & ultus. Lotharium novis pactionibus, adnitente Juditha uxo-

Vita Ludov. an. 814. ap. Andr. du Cheſne tom. 2.

Vita Ludov. & Aventin.

Sigon. De regn. Ital. 4. Mutius lib. 10. qui Bernardum neſcio qua monumentorũ fide inductus nimis excuſat.

re, devinxerat, ut Carolus minimus natu filius amicitia ejus ſtare poſſet. Cognomen *PII* ex merito tulit Ludovicus (*Fragm. Chron. Caſſin. ap. Fr. du Cheſne t.* 3. etiam cognomen *Almi* & *Sancti* ei tribuit) pietati ab ineunte ætate & per omnem vitam deditus: liberalis in eccleſias, in pauperes; miſericors, placidus, &, non quidem ignavia animi, ſed cupidine modeſtiæ, juſto indulgentior ac remiſſior. Sepultus eſt Metis in monumento Hildegardis matris. Quid in Republica egerit, tanto diligentius nobis commentandum erit, quo minus pleraque innotuêre. Profitetur certe *Regino*, de Ludovici Imp. temporibus *perpauca ſe literis comprehendiſſe*; *quia nec ſcripta repererit, nec à ſenioribus, quæ digna eſſent, memoriæ commendanda audiverit.*

Thegan. c. 3. de geſt. Lud. Monach. San-Gall. lib. 2. c. 30. & 31. ad an. 814.

Status Imperii, ſive quæ ad notitiam Reipublicæ pertinent, Regnante Ludovico.

OPportunos eſſe novis molitionibus tranſitus rerum, & mutationes Principum; grandibus exemplis compertum eſt. Hinc initia Imperii, vigiles oculos, & mares animos poſtulant. Qua in re, egregie ſe *Ludovicus* adhibuit, niſi quatenus circa ſuſpectos in Sororibus, offenſum eſt, errore in poſterum inemendabili adeoque fatali. De cetero, expletis accuratiſſime quæ Teſtamento paterno jubebantur, cultaque inſignem in modum Magni Patris memoria, cum Sorores, Filios, Bernardum ex fratre nepotem, nova comitate & munificentia devinxiſſet, *Legationes ad patrem deſtinatas, ad ſe autem venientes & ſuſceptas diligenter audivit, dapſiliter curavit, ſumptuoſe muneratas remiſit*; ſicut *Anonymus Vitæ Ludovici ſcriptor* loquitur; præcipuo nobis uſui futurus; quique ſe partim ab Ademaro cognoviſſe, partim per ſe comperiſſe, quæ tradit, aſſeverat. Primaria Legatio fuit, à Conſtantinopolitano Imperatore; & in vicem ad eum miſſa, firmandæ etiam in poſterum amicitiæ. Comitia celebravit, *& per univerſas Regni ſui partes, fideles ac creditarios à latere ſuo miſit*; *qui æqui juris tenaces exiſtentes, perverſa corrigerent, omnibusque jus congruum æquo libramine penderent. Beneventanorum itidem Principem Grimoaldum,*

ap. Andr. du Cheſne tom. 2. adde Annal. Eginh.

pacto

pacto & ſacramentis conſtrinxit: ut ſingulis annis ſeptem millia ſolidorum auri arcæ publicæ inferret. Ejusdem Hiſtorici verbis, iſta novi regiminis documenta retulimus.

Jam biennio præfuerat Imperio *Ludovicus*, cum majorem natu filium *Lotharium*, conſortem Imperii aſſumit, Auguſtum appellat, coronatque. E cæteris, alterum (*Pipinum*) Aquitaniæ; alterum (*Ludovicum*) Bajoariæ, Reges dat. Ea partitio confirmata eſt jurejurando Optimatium in Conventu Noviomagenſi, quarto poſt anno. Facta quidem hæc ſunt, exemplo Caroli, qui non tantum Regna Filiis partitus erat, ſed ad extremum etiam, Ludovicum Imperii ſui conſortem aſciverat. Sed improſpere ceſſit conſilium. diviſaque Imperatoria auctoritate in duos, animi ſimul civium ac populorum diſtracti ſunt. Hinc ſemina turbarum, Imperio toti fatalium. Id quod Conſtantinopolitani quoque Imperatores abunde experti ſunt: ut prorſus mirandum videatur, eos poſt tot exitialia damna, potius conſuetudini ſemel receptæ, quam rationi magnis caſibus eruditæ, paruiſſe. Longe felicius Auguſtus Cæſar, à cujus prudentia vix unquam impune Romana dominatio diſceſſit, etiamſi munimenta imperii & ſubſidia aulæ comparaſſet, ac ſucceſſionis ſeriem pulcre texuiſſet, Conſortem tamen regiminis neminem aſſumſit. Niſi quis ignorantia ſtili & moris antiqui, partitam poteſtatem ſuſpicetur, quando conſortem tribunitiæ poteſtatis, aut vocatum à Principe in partem curarum ſucceſſorem, legit. Ludovici noſtri partitio eo quoque nomine infauſta fuit; quod, cum omnia filiis è primo matrimonio tribuiſſet, qua re Carolum ex Juditha poſt genitum donaret, ſolicite & periculoſe coactus eſt anquirere. Quem errorem *Nithardus Car. M. Nepos* annotavit. Acceſſit, quod, cum acta publicè, utriusque & Ludovici Patris & Lotharii filii Auguſtorum, nominibus ſignarentur, (cujus generis documenta *Aventinus* etiam exhibet *lib.* 4.) exorto diſſidio, alterum nomen omiſſum eſt. Quæ res, malignis rumoribus fomentum præbuit: animisque ac judiciis hominum perturbandis opportuna fuit. ſicut prolixe diſcas licet ex *Agobardi Archiepiſcopi Lugdunenſis epiſtola ad Ludovicum Imp.* tum in *Operibus ejus*, tum apud *Andr. du Cheſne* edita. Plane autem alias res egit *Aventinus*, cum ſcriberet, omnia illa & Imperantium diſſidia, & Imperii detrimenta præverti potuiſſe, *ſi* Ludovicus Caroli

Eginh. Annal. & Annal. Fuldenſ. ad an. 817.

Ibid. ad an. 821. & Vita Ludov.

lib. 1. hiſt.

tom. 2. lib. 4.

roli M. *parentis factum de dividundo Imperio æmulatus fuiſſet.* Omnis hiſtoria loquitur, feciſſe hoc Ludovicum, veſtigiisque Parentis preſſe inſtitiſſe. Supereſt & formale *præceptum ejus de diviſione Regni ſui inter filios*, & poſtrema *diviſionis formula* in *Annalibus Bertinianis* ad an. 839: cui conſentiunt ſuprema mandata, apud *Scriptorem Vitæ Lud.* jam aliquotiens laudatum. Igitur imitatio potius, quam neglectus exempli paterni, periculum attulerit: ut in tali regimine: cujus *nævi* nunc amplius demonſtrandi ſunt.

ap Andr. du Cheſne tom. 2.

Ante omnia, magno conſenſu tradunt *Annalium Scriptores*, Ludovicum in adminiſtrando imperio, ſui potius, quam ſubjectorum ingenii rationem habuiſſe; cum inter præcipuas regnandi regulas ſit, ſuum ingenium, ex eorum qui reguntur ingenio, moderari; indeque conſiliis & actionibus habitum formamque mutuari. Nationes bellicoſæ, ipſaque armorum conſuetudine feroces, quî poſſent remiſſis habenis contineri?

Inprimis autem debebat in Aula intentius vigilare oculus ille Imperii cuſtos, & auctoritas ſummo Principe digna: ne quid arbitrio alieno, ne quid clam, & averſo veluti aut connivente Imperatorio vultu gereretur. Sed Ludovicus nimis ſe dabat Aulicis; illisque & ſecurius, quam Imperanti licet, confidebat; & promtius obediebat. *Theganus* addit cauſam: *Omnia prudenter & caute agens, nihil indiſcrete faciebat, præterquam quod Conſiliariis ſuis magis credidit, quam opus eſſet: quod ei fecit pſalmodiæ occupatio & lectionum aſſiduitas.* quæ ipſa verba deſcripſerunt *Annales Francorum Metenſes ad an.* 837. Specioſus titulus, quo Principem pietati ſuopte ingenio deditum, Aulici haud dubie à negotiis & curis Imperii, non citra artem ſæpius uſitatam, devertebant.

cap. 20.

ap. Franc. du Cheſne tom. 3.

Bernardi porro, quem ex Hiſpanici limitis Comite Cubiculo præfecit, nimia potentia omnium invidiam excitavit. Quamquam enim pleraque illi objecta crimina, ingenio potius inimicorum, quam maleficiis ejus debentur; hoc ipſum tamen odiis ciendis valuit, quod ab Imperatore, ut fidelior aſcitus, ſuſpectæque aliorum fidei veluti oppoſitus videbatur. Neque abſimile vero putes, in aula mitiſſimi & benevolentiſſimi Principis, animoſius eum atque confidentius ſummarum rerum arbitria tractaſſe, eminen-

Script. Vit. Ludov.

nentiusque quam interiori Principis aulico, ipſique Principi tutum eſt, conſpici voluiſſe. Hinc nata occaſio, ut crudelem (dum crebris judiciis prava male animatorum conſilia coërceri oportuit) & familiarius apud Principis Conjugem verſatum, criminandi. Evaſit tamen pericula, ut ſpecimen Magni per omnia aulici præberet: partim fuga, quod optimum certandi genus eſt in aula periclitantibus; partim calamitate ſuorum, è quibus frater Heribertus oculis orbatus, ſoror demerſa, Odo conſobrinus exarmatus & in exilium actus eſt.

Illud longe certiſſimum eſt, facilitatem Principis, illecebram fuiſſe peccandi Ducibus, Comitibus, Præfectis aliis. Hinc alii in ſegnitiam lapſi, alii in licentiam præcipites, injuriis, damniſque Rempublicam dehoneſtavere; cum etiam deprehenſis ignoſci, & pœnarum loco beneficia tribui haud raro animadverterent. Quo factum eſt, ut ſupplicia aliorum, neque vim neque auctoritatem remedii obtinerent, cum ad conſuetudinem Principis exigerentur: qui ignoſcendo etiam amicitias meruit magis quam habuit.

Nobilium autem Procerumque factionibus, tanquam malignis humoribus, totum Imperii corpus agitabatur. Cujus morbi iſta fere fomenta deprehendere eſt: primo enim inter Orientales & Occidentales Francos, perpetui æmulationis ac irarum ſtimuli, nihil quietum relinquebant, cum præſertim Imperator plus videretur iſtis quam his tribuere. Deinde, vetuſta nobilitas, novorum hominum incrementa in deminutionem ſui acerba interpretatione accipiebat. De utraque re *Adrevaldus Floriacenſis* memorabilem querelam, non ſine ſtudio partium tamen, inſtituit: *Divi Auguſti Ludovici temporibus, cum ſecundum Evangelicum Domini Dictum*, abundante iniquitate, refrigeſceret caritas multorum, *diſſidio gentis Francorum, accidit multifariam Rempublicam ejuſdem Regni affligi. Namque pravorum hominum conſiliis, dum conſultatio Reipublicæ in ſuperbiam dominatumque ſe transformavit, Primoribusque magis ſibi invicem invidere & obloqui, quam Regni utilitati conſulere placuit: cœpere Regibus boni quique ſuſpectiores exiſtere, quibus, ut ait Criſpus, ſemper aliena virtus formidoloſa eſt; atque inprimis Genti contraria ſentire. Quæ de re actum eſt, ut dum Imperator Nobilitatem veteranorum deponendo inſequitur, ac hi memores priſtinæ virtutis, defenſare libertatem nituntur:* defe-

Lib. 1. de miracul. S. Bened. ap. Fr. du Cheſne tom. 3.

defectionis ab Imperatore, Regnique magnum pararint exitium. Addi debent ſequentia, ex quibus amplius conſtabit, quod dictum eſt, Scriptorem hunc non poſſe occultare ſuam invidiam in Francos Orientales, ſive Germanos. Quando enim Gallorum Proceres veluti immerito ſuſpectos Imperatori deplorat, agnoſcas eundem affectum, quem *Theganus* quoque occultare non potuit (*Walafrido Straboni* ob id in præfatione notatus) quando homines ignobiles, ad Epiſcopatus & alios honores evehi, ſummam nobilitatis injuriam, Imperii ignominiam putat. Uſurpabat autem hoc inſtitutum Ludovicus exemplo Caroli Parentis, qui ceterorum ignaviam ita acui oportere ſtatuit. Acceſſit diſciplina aſtrictior, qua Cleri mores in omnem deformitatem lapſos Ludovicus emendare aggreſſus eſt. Hinc inexpiabilis, in optimum Principem invidia; cujus mox documentum ponetur. Tam offenſos ſuorum animos vel ignorare, vel non cavere, parum Imperatorium eſt. Et ignorare quidem, quî potuit Ludovicus, cottidianis pæne conſpirationum & pravorum conſiliorum indiciis admonitus? Caventis autem propoſito male congruit, puto, præproperâ venia ne minimum quidem emendatos, ſæpius merito ſupplicio eripere, & tanquam ſolennia novi periculi inſtrumenta ſervare. Verum iſta ipſo eventu clarius mox demonſtrabuntur. Interea, quædam de Legibus, Comitiis, Judiciis prælibari fas eſt.

cap. 20.

Capitula, ut tum appellabantur, ſive *Leges*, Ludovici Pii tum Eccleſiaſticas tum Civiles, duobus libris collegit, ſecundo ſcilicet & quarto, Carolique Capitulis lib. 1. & 3. comprehenſis adjunxit *Anſegiſus Abbas.* Quibus quatuor libris *Benedictus Levita* trium librorum ſupplementum adjecit. Exhibetur totum opus in *Cod. LL. Antiq. Lindenbrogii.* Adde *Goldaſti Tomos Conſtitutionum:* cujus in margine annotatio ad *Reformationem Eccleſiaſticam Ludovici*, non prætermittenda videtur: *Hinc*, inquit, *videre licet, cujus fuerit eccleſiam reformare, Imperatoris ne an Papæ: & quis poteſtatem abſolutam in Eccleſiaſticos habuerit, Imperatorne an Papa.* *Scriptor vitæ Ludovici* ad an. 819, de νομοθεσίᾳ ejus: *Capitula quædam Legibus ſupperaddidit, in quibus cauſæ forenſes claudicare videbantur, quæ hactenus veluti pernéceſſaria ſemper ſervantur.*

In *Comitiis* & *Conventibus* hoc tantum notabo hac vice, non eſſe audiendos, qui *dona annua* Regibus Francorum, ſemper menſe Majo,

Majo, in concilio generali oblata, putant: in quem ſenſum *Sigebertum* & *Cedrenum*, in Franco-Gallia ſua (c. 13.) *Hotomanus* citat. Nam, & locis pluribus ibi adductis patet, aliis quoque menſibus dona illa recepta eſſe; & *Bertiniani Annales* complura exempla translatæ ejus ſolennitatis memorant. Anno 829. *medio menſe Auguſto Wormatiæ habito generali conventu, oblata ſibi annua dona ſolemni more ſuſcepit Ludovicus.* Anno 832. *Kalendis Septembris, Aurelianis, dona annualia more ſolito ſuſcepit.* Anno 835. factum hoc eſt menſe Junio. *Iidem Annales* nos docent, menſem Majum non adeo ſolennem Generalibus Comitiis fuiſſe, quin etiam particularia admitteret: cum referunt anno 823. *Francofurti menſe Majo conventum habitum, in quo non univerſi Franciæ primores, ſed de Orientali Francia atque Saxonia, Bajoaria, Alemania, atque Alemaniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adjacentibus adeſſe juſſi ſunt.* Quæ verbatim ex *Eginhardi Annalibus* deſcripta ſunt.

In *Judiciis* horum temporum aliquotiens fit mentio litis ferro diſceptandæ, ſive certaminis ſingularis, diſcernendo juri oblati receptique. *Scriptor Vitæ Ludovici: In Palatio Bero Comes Barcinonenſis, quum impeteretur à quodam vocato Sanila, & infidelitatis argueretur, cum eodem ſecundum legem propriam, utpote quia uterque* GOTHVS *erat, equeſtri prœlio congreſſus eſt, & victus. Sed quum lege in eum animadvertendum eſſet, ut capitali ſententia tanquam reus majeſtatis feriretur, Imperatoris tamen clementia vitæ reſervatus eſt, & Rotomagum conſiſtere juſſus.* Addemus ex *eodem ſcriptore* aliud nobile exemplum; cum Bernardus Comes variis criminationibus petitus, ut ſupra dictum eſt, ex fuga redux *Imperatorem adiit, modum ſe purgandi ab eo quærens, more Francis ſolito, ſcilicet crimen objicienti ſemet objicere volens, armiſque impacta diluere. Sed quum accuſator, licet quæſitus deeſſet, ceſſantibus armis purgatio facta eſt juramentis.* *Gothici* & *Francici* moris hæc purgatio, locis adductis, dicitur: Germanicis ſcilicet gentibus non ignota. Quæ in Legum Germ. Codice ſuper hoc more prodita ſunt, collegit in *Gloſſarium* ſuum *Lindenbrogius*, voce *Campio*. Friderici quoque I. Leges Caſtrenſes apud *Radevicum*, duellum, in cauſſa vulneris inflicti, teſtibus deficientibus accuſatori permittunt adverſus reum juramento ſe purgare volentem.

ad an. 820

adde Annal. Bertinianos ad eund. ann. & Eginhardi Ann.

ad an. 831.

lib. 1, c. 26.

lentem. Item in cauſſa homicidii, permittitur *amico propinquo occiſi duello homicidam impetere, ſi deficientibus teſtibus juramento is ſe expurgare voluerit.* Moderatus eſt morem hunc *Fridericus* II. *Conſtitutionibus Siculis lib.* 2. *tit.* 32. & 33. non tamen plane ſuſtulit; ſicut patet ex *tit.* 37. ubi *Campionibus*, id eſt illis, qui alterius vicem in duello ſubeunt, leges dictat. Melior & Chriſtianis dignior prudentia, hanc conſuetudinem litium armis dirimendarum plane abrogavit; obhæreſcente tamen ſubinde, in re minime probabili, connivendi lubidine. Merentur videri, quæ conſignavit *Gregor. Tholoſanus Synt. Jur. lib.* 48. *cap.* 16. ubi etiam formulæ & ritus duellorum publice permiſſorum, ex ſtudio præcipue & invento Gallorum recenſentur.

De cetero, *judicia majeſtatis* reliqua, in hac hiſtoria non plane indicta præteriri debent. Pertinent quidem huc & Beronis & Bernardi, Comitum, cauſſæ; de quibus modo actum eſt. Sed poterunt illa extra ordinem dicta haberi, quatenus ad dimicationis ſingularis, moribus tum receptæ & legibus permiſſæ, exemplum, referebantur. Nunc ad Bernardi Italiæ Regis cauſſam, aliqua annotabimus. Quæ ut recte noſcatur, ſciendum eſt, ſub Carolo M. & Ludovico noſtro, totum imperium ita diviſum fuiſſe, ut nomine quidem regio ceteri partibus præeſſent, Imperatori tamen ipſi fidem tanquam vaſalli, deberent. In communionem poteſtatis ſolus venit, qui conſors Imperatorii nominis aſcitus erat: ita tamen, ut Imperatorio illo nomine nihil ſolus poſſet agere, citra facinus. Cum ergo Ludovicus Lotharium filium conſortem Imperii aſciviſſet, cæteriſque regna dediſſet, Bernardus Pipini filius, & ſucceſſor in Italiæ Regno jam olim à Carolo conſtitutus, ambitionem ſuam à pravis conſultoribus paſſus eſt inflari, ut *tyrannidem meditaretur*, ſicut *Eginhardus* loquitur, & à patruo, Imperatore Ludovico deſciſceret, totamque Italiam in verba ſua adigeret, munitis armato milite qua adiri poterat, anguſtiis. *Prætextus* rebellandi à *Paulo Aemylio* ita tradi-

lib. 3. tur: *Bernardus ſeſe Regem Franciæ nuncupat. Et ſunt, qui tradant, Pipinum ejus patrem majorem fratre Ludovico tunc Auguſto fuiſſe: ita non deterioris juris eſſe ad avi Regis regnum obtinendum*

lib. 4. *de regn. Ital.* *ex majore filio nepotem, quam filium minorem ſuperſtitem.* Ita etiam *Sigonius*. *Mutius* confundit (lib. 10.) tanquam de regno

Italiæ

Italiæ quaſi in Lotharium transferendo, mota Bernardo contro-
verſia eſſet, armiſque ab eo diſceptata. Quod nemo Hiſtorico-
rum dicit. *Peucerus* putavit inde natam Bernardo irarum cauſ- *In chron.*
ſam, quod Ludovicus Imp. filio cognomini natu minori titu- *Carion. lib.*
lum Regis Italiæ tribuerit. Verum *Eginhardus*, & *Scriptor Vitæ* *4.*
Ludovici ceterique annales veteres, hinc potiſſimum deſcripti, *ad an. 817.*
diſerte memorant; in Comitiis Aquisgranenſibus, Lotharium à
Ludovico Imp. conſortem Imperii aſcitum, Pipinum Aquitaniæ,
Ludovicum Bajoariæ, reges factos. cauſſam autem rebellionis Ber-
nardinæ plane reticent, praviſque inſtinctorum conſiliis omnia
tribuunt. *Arniſæus*, cum de controverſia ſucceſſionis inter pa- *relect. polit.*
truum & nepotem agit, Peucero affingit, & ſibi perſuadet, quaſi *lib. 2. cap. 2.*
Carolus M. Bernardum ex Pipino nepotem prætulerit Ludovico fi- *ſect. 10. §. 6.*
lio in Regno Italiæ, quod Pipinus jam poſſederat. Atqui teſtanti-
bus iis Scriptoribus, qui ſoli per hæc tempora pro fontibus ha-
beri poſſunt, ex quibus juniores rivum non ſemper optimâ fide
derivarunt, Carolus (an. 813.) Ludovicum conſortem Imperii &
Auguſtum fecerat, cum Bernardo nepoti regnum Italiæ dedit.
Nulla ergo tum cauſſa, de præferendo aut poſtferendo, cogitan-
di: cum Rex Italiæ, per inſtituta ejus temporis in fide Imperato-
ris manere deberet. Itaque neque Ludovicus, poſt exceſſum Caroli,
ullo modo ægre tulit hanc Bernardi dignitatem; cujus apud Pa-
trem ipſe auctor fuerat, ſi credimus Hiſtoricorum optimis. imo
ſtatim à ſuſcepto Imperio, evocatum ad ſe donis & omni favore
coluerat. Quid ergo? Specimen hoc eſto, quam intutum ſit
relictis fontibus, ex lacunis haurire, quæ ceteris, nec ſine jurgio,
obtrudantur. cum interim certum ſit, jus iſtud, quo perſona
defuncti repræſentatur in poſteris, his temporibus populiſque
neglectum fuiſſe. quod recte *Grotius* notat: ut omnino abſurde *I. B. 2, 7, 30.*
facturus ſit, qui in poſterum, hiſtoriam ſibi comminiſci, & ali-
is allegare voluerit. In *cognitione* ſive quæſtione facti, neſcio
quid & unde *Mutius* adferat, cum autumat, neminem Bernardi *lib. 10.*
nomine in judicio reſpondiſſe, atque ita vel maxime inopiâ de-
fenſionis, damnatum eſſe. Longe aliter *Eginhardi Annales:* qui *ad an. 817.*
cum *Bernardum ſe dedidiſſe* memoraſſent, adiiciunt: *Quem ſe-*
cuti ſunt alii, & non ſolum armis depoſitis ſe dediderunt, verum
ultro & ad primam interrogationem, omnia ut geſta erant aperu-

erunt. De iiſdem *Scriptor vitæ Ludovici*, cum deditionem retuliſſet: *Sed & concinnationes, quomodo cœptam rebellionem, & quare inchoaverint, & ad quem finem inchoata perducere voluerint, quosve complices ſibi allexerint, ad primam prodiderunt interrogationem*. Hæc omnia ſicut in quæſtione facti nihil dubitationis relinquunt; ita certe in judicio poſtea publice ſunt eo ordine propoſita, quo conſtat, neminem in Comitiis indicta cauſſa condemnatum. Quamquam tot reorum conſentiens confeſſio, & rerum ampla teſtimonia (quippe ut reus agi Bernardus poſſet, armis capiendus erat) multas ambages non requirebant. *Sententia* ergo lata eſt capitalis, non in Bernardum tantum, ſed etiam in conſcios & conſiliarios ſceleris: quorum catalogus apud Scriptores modo laudatos texitur. Sed cum Imperator, ſupremi judicis facultate ipſe polleret, *ſuppreſſa triſtiori ſententia, luminibus orbari conſenſit; licet multis obnitentibus, & animadverti in eos tota ſeveritate legali cupientibus. At vero licet Imperator indulgentius ageret, ultio tamen eliminata, ad effectum in aliquos eſt perducta. Etenim Bernardus & Reginherius dum impatientius oculorum amiſſionem & ablationem tulerunt, mortis acerbitatem ſibi conſciverunt. Epiſcopos porro hac conſtrictos immanitate, ab Epiſcopis reliquis depoſitos, Monaſteriis mancipavit. Ceterorum autem nullum vel vita privari juſſit, vel membrorum amputatione multari: ſed ſecundum quod exigente culpa viſum eſt, alios exiliari, alios juſſit attondi.* Sunt hæc verba *Aſtronomi*, qui *Ludovici vitam*, admodum ſincere, ut omnia teſtantur, deſcripſit. His ego potius auſcultaverim quam illis, qui dolum Imperatoris ſuſpicantur: ſicut *Otho Friſingenſis* ait: *Non deſunt tamen, qui dicunt Imperatorem, Bernardum dolo captum, primo oculis, ac poſt vita privaſſe.* Audacius *Regino*, ex quo Friſingenſis hauſit: *Bernardus filius Pipini Rex Italiæ, Aquis evocatus ad Imperatorem, dolo capitur, & primo oculis, poſt vita privatur.* In opere *Thegani* (cap. 23.) refertur in contrarium, quemadmodum defleverit Imperator obitum Bernardi, *& confeſſionem dederit coram omnibus Epiſcopis ſuis, & judicio eorum pœnitentiam ſuſceperit, propter hoc tantum, quia non prohibuit Conſiliarios hanc crudelitatem agere.* Circumagebatur ſcilicet ab Epiſcopis in omnem partem; adeoque ſuas ipſe rationes ſubinde evertebat, ſuo ingenio mitis, alieno mobi-

Lib. 5. Chron. cap. 33.

Lib. 2. ad an. 818.

mobilis. Hinc poſt unum alterumque annum in honores & fortunas priſtinas reſtituuntur, quicunque in cauſſa Bernardi puniti erant. Quæ jam non miſericordia, veluti ſontibus parcens; ſed pœnitentia, ob inſontes punitos, etiam ab iis accipiebatur, quibus proderat. Eſt & aliud genus Judicii *in cauſſa Regni delati* circa hæc tempora annotatum, apud *Eginhardum* & *Scriptorem Vitæ Ludovici:* inter duos Fratres Liubi filios Meligaſtum & Celeadragum Wilzorum Reges. Valebat apud illam gentem Jus primogenituræ hactenus, ut fratres quidem participarent regnum, ſed ſub primogenito, qui ſummam imperii tenebat, ceteriſque præerat. Ita Liubo extincto ſucceſſerat major natu filius Meligaſtus ſine controverſia. Sed cum is male adminiſtraret regnum, à popularibus dejectus eſt, ſumma rei ad minorem Celeadragum delata. Eam rem, cum populus ferox & mobilis aliter contineri non poſſe videretur, Ludovicus ratam habuit: non tam rationem juris ſecutus, quam utilitatem tranquillandæ Reipublicæ. Sicut & alibi, ex eodem civili conſilio, Ceadragum Abotritorum Regem non prius in Regnum reſtituit, quam reconciliata, & comperta populi voluntate.

Eginh. Ann. an. 821. *Scriptor vit. Ludov. ann. eod.* *ad an. 823.* *Eginh. Ann. an. 826.*

De *officiis*, & *dignitatibus*, *actuſque publici* & *aulici contextu* dicemus ad *Epiſtolam* quandam *Hincmari*, quæ, hæc tempora egregie declarans, ſeorſum cum annotationibus edetur.

Conſuetudinem Vivendi ipſius Imperatoris, *Scriptor Vitæ Ludovici* & *Theganus* deſcribunt. In qua multa mentio *Venationis* præſertim Autumnalis. Venatio enim his Imperatoribus non tam luſus, quam exercitatio erat, qua induratiores ad laborem & militiam fierent. Quo etiam veteres reſpexiſſe, vel ex *Xenophonte* diſcimus. *In feſtivitatibus ad lætitiam populi procedebant thymelici, ſcurræ & mimi cum coraulis* (ſymphoniacos veteres dixere) & *cithariſtis, ad menſam coram eo.* Verba ſunt *Thegani*; qui populi voluptati hæc indulta, Imperatore ne arridente quidem, commemorat. Apud eundem *Scriptorem* (nam ceteri hinc deſcribunt) etiam *Veſtitus Imperatoris ornatuſque* in hunc modum deſcribitur: *Nunquam aureo reſplenduit indumento, niſi tantum in ſummis feſtivitatibus, ſicut patres ejus ſolebant agere. Nihil illis diebus ſe induit, præter camiſiam* (interula eſt vel ſubucula) & *feminalia niſi cum auro texta, lembo aureo, baltheo præcinctus*

Adde Ann. Met. an. 837 *cap. 19.*

 & *enſe*

& enſe fulgurante, ocreas aureas, & chlamidem auro textam, & coronam auream auro ulgentem in capite geſtans, & baculum aureum in manu tenens.

Deſtitutio & Reſtitutio Imperatoris.

Deſtitutio Ludovici Imperatoris, de qua nunc agendum eſt, confuſius à quibusdam traditur: cum bis deſtitutus & reſtitutus animadvertatur. Sed nos primum iſtud infortunium *Conatum Deſtitutionis* vocabimus, & à *plena exauctoratione* diſtinguemus. *Ille* in annum 830. *hæc* in 833. incidit. Quin autem toto hoc tempore, incertum & vagum imperium vacillaverit, negari non poteſt. Præcipui auctores rebellionis fuere, quos Ludovicus ſervaverat, cum inter Bernardi Italiæ Regis ſocios deprehenſi eſſent. Ut recte videantur ſuadere Imperantibus, qui maximorum ſcelerum convictos, dimiſſosque plurimum caveri jubent, ne tanquam crabrones circumvolitantes novam injuriæ materiam quærant. Scivit improba hominum pravorum conſilia, & infidas mentes Ludovicus; Bernardique Comitis fidem, ut cœpimus dicere, pro remedio amplexus eſt. Sed præſentiori opus erat cautela, & firmioribus præſidiis, adverſus tot capita Hydræ. Itaque vel ex ipſa remedii hujus ſalubritate, prætextum ſceleri novum quærebatur. Initium molitionis, ex Britannicæ expeditionis difficultate ſpeculati ſunt: ut vulgi animi turbarentur, hiberna itinera averſantes, & æternum laborem, Principis profecto culpæ tribuentes. Series facinoris iſta; ut exercitus in Britanniam deſtinati apud Pariſios reſiſterent; Pipinus Ludovici filius ex Aquitania, Lotharius ex Italia, quo ſuperiore anno rebus ordinandis ſe contulerat, tanquam adverſus Patrem accirentur. Pipinus ferocia promtior viſus: hujus aures verberant conjurati, confictis, in Juditham Imperatoris conjugem, & Bernardum, criminibus; famæque Patris ſe tradentis abutendum adulteris, ſubveniendum docent. Hac occaſione non poſſum omittere; quin recentiorum Hiſtoricorum temeritatem arguam. Cum enim ex vetuſtioribus illis, qui pro fontibus hîc haberi debent, nemo audeat

Script. Vit. Ludov. ad ann. 829.

Annal. Bertiniani ad an. 830.

Theganus (cap. 36.) *impios vocat*, qui

deat Reginæ pudicitiam in dubium vocare, & confiƈta ab inimicis crimina pro veris accipere; juniores, & ab iſtis temporibus plurimum remoti, ſecure & temere de licentia ejus, tanquam non incomperta, pronunciant. Ludovicus re cognita, & perſpeƈto flagrantis conjurationis facinore, Bernardo fugam ſuadet, conjugem Lauduni apud Monaſterium relinquit; ipſe Compendium proficiſcitur. Pipinus conſilio complicum, Juditham Laudunenſi Monaſterio eduƈtam, intentato mortis metu adigit, ut & ipſa vitam Monaſticam eligeret, & Imperatori marito, idem ſe perſuaſuram polliceretur. Sed ille, non obſtare quidem potuit, quo minus ultimam perniciem Juditha velo Monaſtico redimeret: de ſe autem, deliberandum ulterius, profeſſus eſt. Ita Regina per conjuratos à latere mariti abſtraƈta, in Monaſterio Sanƈtæ Radegundis retruditur. Idem fatum experti ſunt fratres ejus Conradus & Rudolphus. Sævitum & in Bernardi neceſſarios, ſicut ante diƈtum eſt. Hæc fere à tempore Quadrageſimæ (anni 830.) geſta, Lothario abſente. Qui cum circa menſem Majum ex Italia adveniſſet Compendium, voluit quidem videri nullius injuriæ in patrem auƈtor; probavit tamen quæ aƈta erant. Sic æſtas tranſaƈta, Ludovico, præter nomen, nihil Imperatorium habente. Vt autem conjurati, aliquem ſuo ſceleri titulum præferre poſſent, Comitia in Gallia agitari voluerunt, non dubitantes, quin deſtitutio Imperatoris, viribus partium artibusque proventura eſſet. Pervicit tamen Ludovicus bona quadam fortuna, ut Neomagi potius coiretur. Inter has veluti paƈtiones, illud quoque concedendum fuit Ludovico, quod poſtulabat, ut ſine notabili comitatu, ſinguli venirent. Neomagi ergo conſtitutus jamque inter Germanos tutior, recepit regium animum, ſtatimque Hilduinum Abbatem (non obſcurum inter adverſarios nomen) quod hoſtili apparatu adveniſſet, increpitum, loco Comitiorum excedere, & apud Paderbornam in *expeditionali tabernaculo* (ut Hiſtoricus loquitur) hiemare juſſit. Walachum etiam Abbatem, Corbejam redire compulit. Ejeƈtis conſpirationis nervis, parum ſpei conſpiratis reliquum erat: niſi quod vim Lothario, aut fugam, ultimo veluti conatu ſuaderent. Sed Ludovicus, paterni nominis reverentiâ animum Lotharii flexit, ut ne quicquam diſſuadentibus pravis conſultoribus, ad colloquium accederet, ſanioribus-

confixerunt iſta crimina, omnia mentientes.

que

que conſiliis aures accommodaret. Excitatus inter hæc populi tumultus, conſpectu Ludovici & Lotharii confeſtim conquievit: fuitque Imperatori ſpacium conjuratos cuſtodiendi. Quibus poſtea judicio damnatis, pepercit omnibus; ac ne in monaſteriis quidem, quo eos deſtituerat, reliquit. Quæ nimia lenitas, quantis ipſi periculis ſteterit, jam ante tetigimus. *Conatum* ergo hunc vocavimus *Deſtitutionis*; quam ad exitum non plane potuerunt deducere: Germanorum fide pro Ludovico invictâ. Ita rediit ad Imperatorem Uxor, jurisjurandi religione innocentiam teſtata: reſtituti ejus fratres, aliaque reipublicæ dedecora in melius commutata. Deſcribunt, *Auctor Vitæ Ludovici*, cum *Annalibus Bertinianis*, dictinctâ annorum ſerie ad 830. & 831. & *Theganus*, citra ejusmodi deſignationem temporum. Quicquid præterea circumfertur, recentius eſt.

Sed non potuit diuturna eſſe quies: cum remediorum diſſoluta lenitas, non levaret ſed accenderet morbum. Igitur ſtimulis pravorum hominum, qui inviti Ludovico Imperatori vitam debebant, tres filii adverſus patrem concitantur, Lotharius, Pipinus, Ludovicus, anno 833. Quibus poſtquam Ludovicus Pater cum copiis obviam iviſſet, proditus eſt à ſuis, in filiorum partes ſeductis, ac deſtitutus. Locus tam fœdi facinoris à *Bertinianis Annalibus* deſignatur, *in pago Heliſacia* (eſt Alſatia,) *qui dicitur Rotfelth i. e. rubeus campus*, *juxta Columb.* *Theganus* vocat *campum magnum*, *qui eſt inter Argentariam* (Argentinam *Nithardus* interpretatur ſ. Strazburg. alias Argentuariam, Argburgum, hodie Horburgum *Rhenanus* & alii putant) *& Baſileam*; additque: *qui uſque hodie nominatur campus mendacii*, *eo quod ibi plurimorum fidelitas extincta ſit.* In *vita Ludovici*, *Campus mentitus* appellatur; diesque Johannis Baptiſtæ annotatur. *Nithardus*, *Eliſatam* nominat, *juxta montem Sigvvaldi.* Pontificem Gregorium Lotharius ex Italia ſecum deduxerat; haud dubie filiis faventem contra Patrem. Cujus rei argumenta hæc habeo. Quoniam communis fama non dubitavit, Pontificem ideo acceſſiſſe, ut refragantes ſibi ac Ludovici filiis, anathemate feriret. Hinc illa quorundam Epiſcoporum vox Ludovico fidelium: Si excommunicaturus veniſſet pontifex, ſe quoque excommunicaturos ipſum; apud *Scriptorem Vitæ Ludovici.* Deinde, clara ſunt

cap. 42. Lugenfeld. *Avent. lib.* 4. *lib.* 1.

ſunt verba *Fragmenti Hiſtoriæ Franciæ Veteris*; quod Lotharius *apud Fr. du*
annuente Gregorio Papa ceperit Patrem. Eadem verba deſcribit *Cheſne tom.*
ex *Hugone*, *Chronicon Belgicum Magnum*. Accedit non leve *Nit-* *3. p. 334.*
hardi teſtimonium *lib.* 1. de Ludovici filiis: *Inſuper autem & Gregorium Romanæ Sedis Pontificem, ut ſua auctoritate liberius quod cupiebant, perficere poſſent, ſub eadem ſpecie magnis precibus in ſupplementum ſuæ voluntatis aſſumunt.* Neque *Paulus Aemylius*, quem excuſando Pontifici citat *Baronius*, hoc dicit, quod ipſe adfert. *Sigeberti* autem hæc verba ſunt: *Gregorius Papa in Galliam veniens, contra Imperatorem cum filiis agebat.* Unde etiam mora Pontificis, merito ſuſpecta Imperatori, & increpita. Id facile conceſſerim: Pontificem, cum videret furores rebellionis nimis craſſe & inconſulte graſſantes; tum Ludovici arma, non imbellia primum; adeoque incertum ante defectionem eventum; ſuamque auctoritatem ne in iis quidem partibus ſatis coli, quibus acceſſerat: concordiæ ſtudium obtentui ſumſiſſe, ægrumque animi, ob ereptum ſibi negotii totius moderamen, in Italiam receſſiſſe. *Sigonius* rem geſtam non ex monumentis annalium, ſed ex fama Pontificis ordinat. Interea, dum ſpecie commercii de concordia, tempus extrahitur, donis, promiſſis, minis per emiſſarios alienatur à Ludovico exercitus, digreſſis ad Filios totis agminibus, donec inaudito exemplo, ſolus denique cum paucis familiaribus amicis deſtitueretur. Tum ad Filios juſſus venire, blandis quidem verbis exceptus, mox captivus à Lothario attinetur, cum Filio natu minimo, Carolo: Uxorem Juditham, Ludovicus filius arripit, & ſubinde Tartonam Italiæ urbem deportat. *Poſt hæc*, inquit Vita Ludovici, *jam populo juramentis obſtricto, Imperium inter Fratres terna ſectione partitur.* At *Bertiniani Annales* magna diligentia hanc hiſtoriam conſignantes, ita loquuntur: *Lotharius arrepta poteſtate Regia Apoſtolicum Romam, Pipinum in Aquitaniam, & Ludovicum in Bajoariam redire promiſit.* Conſtatque ex ſequentibus, Lotharium ſolum ſe geſſiſſe pro Imperatore, ceteris regna, ut ante, obtinentibus. Verum Lotharius Patrem ſub arcta cuſtodia circumduxit, donec apud Sueſſiones in Monaſterio S. Medardi deponeret; Carolum autem, in Prumienſi cœnobio, non attonſum tamen, concluderet. Hujus captivitatis infanda ſunt mala, quæ memorantur in Ludo-

vicum cumulata. De quibus, etiam *Ipſius* extat querela, quam ex *Codice Miraculorum S. Sebaſtiani Andreas du Cheſne* ſuo operi inſervit. Cetera ex *Annalibus Bertinianis* ſumamus. *In conventu* Compendienſi *multa in Domnum Imperatorem crimina confinxerunt. Inter quos* (intellige Epiſcopos, qui hanc deſtitutionem præcipue adornarunt) *Ebo Remorum Epiſcopus falſarum objectionum incentor extiterat. Et tamdiu illum vexaverunt, quouſque arma deponere, habitumque mutare cogentes, liminibus eccleſiæ pepulerunt: ita ut nullus loqui cum eo auderet, niſi illi qui ad hoc fuerant deputati.* Quam hæc callide fuerint geſta, *Scriptor vitæ Ludovici* ita exponit: *In eodem conventu, quum multi inſimularentur devotionis in patrem, defectionis in filium: quidam verbis ſimplicibus, quidam juramentis objecta diluerunt. Miſeratio tamen hujuſcemodi rei, & talis rerum permutationis, exceptis auctoribus, omnes habebat. Unde verentes ſceleris conſpiratores inauditi, ne verſa vice retro lapſa ferrentur geſta quæ erant, callido, ut ſibi viſum eſt, cum aliquibus Epiſcoporum utuntur argumento: ut pro his, de quibus jam pœnitudinem geſſerat Imperator, iterum publica pœnitentia, armis depoſitis, irrevocabiliter quodammodo Eccleſiæ ſatisfacere judicaretur: quum ne forenſes quidem leges contra unam culpam ſemel commiſſam, bis invehant vindictam: & noſtra lex habeat non judicare Deum bis in idipſum. Cui judicio pauci contradixere, plures aſſenſum præbuere, maxima pars, ut aſſolet in talibus, ne primores offenderent, verbo tenus conſenſere. Adjudicatum ergo eum abſentem, & inauditum, nec confitentem, neque convictum, ante corpus ſancti Medardi Confeſſoris, & ſancti Sebaſtiani Martyris, arma deponere, & ante altare ponere cogunt: pullaque indutum veſte, adhibita magna cuſtodia, ſub tectum quoddam retrudunt.* Extant Acta nefariæ hujus *exauctorationis* apud *Andream du Cheſne* & *Baronium*; ab adverſariis Ludovici conſcripta: quæ, ex his melioribus monumentis mendacii non ſemel poſſunt convinci. Inter alias acerbitates & ludibria fatentur, *chartam Ludovico in manus datam, continentem crimina; quam, poſtquam omnia cum lacrymis confeſſus eſſet, Sacerdotibus tradiderit; altari per eos impoſitam; atque ita depoſito cingulo militiæ & habitu ſæculi, habitum pœnitentis ſuſceperit.* Capita criminum *octo* continentur: quæ falſa, detorta, conficta deprehendun-

Margin notes: tom. 2. (beside "ex Codice Miraculorum"); tom. 2. (beside "Andream du Cheſne"); tom. 9. (beside "Baronium")

hendutur. Unde nec *Baronius* diffiteri poteſt, *rem per vim & metum actam, coloratamque falſo religionis pigmento:* probatque juſtam indignationem *Thegani*, in Ebbonem (ſ. Hebonem) architectum ſceleris, multo queſtu declamantis. Præmiſerat autem *cap. 44.* *Theganus: Lotharius vero duxit Patrem ſecum ad Compendium* *cap. 43.* *Palatium, & ibi valde afflixit eum cum Epiſcopis & ceteris nonnullis. Juſſerunt enim eum ire in Monaſterium, & ibi eſſe omnibus diebus vitæ ſuæ. Quod ille renuens, non conſenſit voluntati eorum. Omnes enim Epiſcopi moleſti fuerunt ei, & maxime hi, quos ex ſervili conditione honoratos habebat, cum his qui ex barbaris nationibus ad hoc faſtigium perducti ſunt.* Hæc anno ſequenti 834. iterata, cum Aquisgranum captivus eſſet deductus Imperator, *Bertiniani Annales* ita ſignant: *Et dominus Imperator in Aquis ſervabatur, nihilque humanum erga illum fiebat: ſed multo crudelius adverſarii ejus in illum ſæviebant, die noctuque ſatagentes tantis afflictionibus illius animum emollire, ut ſponte ſæculum reliquiſſet, & ſe in Monaſterium contuliſſet. At ille, nunquam ſe facturum ajebat, quamdiu de ſe nullam poteſtatem haberet, aliquod votum.* Movit hæc Lotharii impietas plurimorum animos, ut aures præberent Ludovici captivi amicis; qui non Ludovicum tantum Filium, ſemper minus infeſtum patri, ad ſaniora conſilia perduxerunt, ſed provincias Germanicas paſſim, ad deſiderandam liberationem Imperatoris excitarunt. Ludovicus ergo fruſtra interpellato Lothario, Pipinum ex fratribus alterum, ſuæ voluntatis implet. Comparantur exercitus: liberando Patri omnia feſtinantur. Quo, Lotharius, comperto, captivum trahens Patrem, Pariſios uſque progreſſus, cum à paratis ad confligendum de reſtituendo Patre appellatus eſſet, primo benevolentiam ſimulat, & pactionis copiam optat; deinde, mutato conſilio, ad interiora digreditur, relicto Patre in Monaſterio S. Dionyſii. Tum Epiſcopi aliique præſto ſunt Imperatori, eumque ad capeſſendum Imperium exhortantur. Ille, ut Epiſcopis ante geſta exprobraret, petiit, ut ipſi ſuis manibus gladio accingerent in templo, quem ejusdem ordinis homines diſcinxerant. Quo facto; Pipinum & Ludovicum Filios, obvios *Bertin. Annal.* habuit. Uxorem autem Juditham, ab imminente jam exitio ereptam, Ratholdus Epiſcopus & Bonifacius Comes adduxerunt.

Lotharium Imperator, quanquam monitus, perſequi diſtulit; leniore, quam decebat, conſilio uſus. Ille enim interea in Vienneſi agro immani ſævitia graſſatus eſt: Cabillonum in Burgundia igne ferroque pervaſtavit; Gotſelinum & Sanilam, Comites; Madalelmum Vaſallum Patris, capitis ſupplicio affecit, *ſororem Bernardi ſanctimonialem in cupa poſitam in Ararim fluvium demergi fecit*, ut *Bertiniani Annales*; ſive *juſſit in vaſe vinatico concludere, & projicere in flumen*, ut *Theganus*, memorant. *Gerbirg* vocatur, & *Ducis Bernardi ſoror*, utrobique dicitur: *Vita Ludovici*, Gerbergam, *Willelmi Comitis filiam* vocat. Ille Willelmus, cum fratre Odone, plurimiſque aliis fortiſſimis viris, Ludovici partibus navantes operam, à Lamberto & Matfrido, Lotharianis, præoccupati paulo ante perierant. Hæc omnia cum potuiſſet Ludovicus prævertere, damno demum accepto, remedium comparavit; & cum Ludovico Pipinoque filiis adverſus Lotharium contendit. Is, cum nullam in armis ſpem haberet reliquam, veniam omnium à Patre accepit; ceteris etiam, qui cum eo advenerant, impunitate, imo beneficio, donatis. Inſequente tamen anno, (qui eſt 835.) in Theodonis-villa coacto concilio, ab Epiſcopis & Abbatibus, cauſſa deſtitutionis nefariæ, diſcuſſa; inſtrumentumque de innocentia Imperatoris & ſcelere conjuratorum, confectum; corona ſolenni cærimonia denuo in caput Imperatoris repoſita. Eboque Remorum Archiepiſcopus, factionis adverſariæ ſignifer, ex fuga retractus, dignitate exuitur, & in cuſtodia, uſque ad mortem Ludovici detinetur. Sed reſtitutum poſtea piacularis facinoris neſcia intermori vindicta, uſque ad novam deſtitutionem perſequebatur. Digna ſunt, quæ inter ſe conferantur, in hiſtoria hujus Ebbonis; partim *Scriptori Vitæ Ludovici* & *Clericis Remenſibus* (quorum *narrationem* exhibet *Andreas du Cheſne*) tradita, non ſine favore in Ebbonem; partim *Annalibus Bertinianis* & *Thegano* ſimplicius veriuſque expoſita. Ex ceteris adverſariis Ludovici, peſtis præcipuos abſumſit: quorum nomina *Vita Ludovici* ponit; eorumque deceſſu jactatum vulgo, *Francorum ultimos periiſſe*, refert. De Friderico Trajectenſi Epiſcopo, tanquam ab emiſſariis Judithæ, interfecto, fabulam, *Malmesburienſi* (*lib.* 1. *de geſt. Angl. Pontif.*) & *aliis* narratam, bene confutavit *Baronius*. Libuit autem paulo co-

tom. 2.

lo copioſius hæc, ex ipſis fontibus haurire & digerere ; confuſa pleriſque, aut minus explorata antiquiorum monumentorum fide, conjecturis ſuppleta. Nam de *Cruſio* & aliis non dicam; quæ tot annis ante in cauſſa Bernardi Regis geſta ſunt, ab hac deſtitutionis hiſtoria non diſcernentibus. Cur aliena ſæpius verba deſcripſerim, quanta me ratio moverit, omnes vident. neque in poſterum etiam, propoſito noſtro non alienum fuerit, elegantiæ potius, quam rerum diſperſarum in unum conducendæ notitiæ, inſervire. In quo genere, omni eloquentiæ præhabenda eſt fides & auctoritas, loquentis quomodocunque vetuſtatis.

Excerpta, de rebus geſtis Ludovici.

INter ea, quæ Ludovico plurimum negotii faceſſebant, fuit bellum Liudewiticum. Liudewitus, Pannoniæ inferioris, ſive Croatarum Dux, cum, rebus novandis ſummam calliditatem & ſtrenuitatem conjunxiſſet, multaque omnino finitimis damna intuliſſet, eo adegit Imperatorem, ut uno tempore tres adverſus eum exercitus mitterentur. Sed ille, ſicut vim imminentem non ſuſtinuit ; ita furtis belli, cum quæſitus, ut vinceretur, inveniri non potuiſſet, cladem clade cumulavit; neque armis, ſed domeſtica fraude, ad extremum occubuit. *Eginhardi Annales*, *Bertiniani Annales*, *Vita Ludovici*, ab ann. 818. uſque ad 823. Alii Lintwitum vocant. Addantur *Megiſeri Annales Carinthiæ lib. 6. cap. 26. & 27.* qui in eo errat, quod Bornam Dalmatiæ Ducem, ſocerum Lintewiti putat. Socer enim hujus erat Dragumoſus; qui ab initio belli, relicto genero ad Bornam ſe contulerat ; ſicut ex *Bertinianis Annalibus* conſtat.

Apud fines Imperii, plurimus labor ; imo & infortunium, apud Marcam, ut tum loquebantur, Hiſpanicam. Bulgari ambigui & tanquam loci & temporis opportunitate uſuri, modo his, modo illis finitimis amicitiam oſtentabant. *an. 819.*

Inter eximios heroas hujus temporis, Bonifacius Comes Corſicæ memorari debet : qui (dicam verbis *Vitæ Ludovici*) *cum fratre Beraldo aliiſque adjunctis ſibi conſcenſa parva claſſe, dum piratas pervagando maria requirit, &, non invenit, Sardorum amicorum ſibi inſulam appulit : indeque alios gnaros marini itine-*

ris ſibi aſſumens, in Africam profectus eſt, & tranſvectus inter Uticam & Carthaginem. Contra quem, multitudo Afrorum conveniens, quinquies conflixit, inter quos & quoſdam contigit oppetere noſtrorum, quos aut multa alacritas, aut inconſulta levitas ad nimis audendum impulit. Bonifacius tamen ſociis receptis ad naves ſe collegit, patriam repetivit, inexpertumque atque inauditum metum prius, Afris reliquit.

Latrociniis valde per hoc tempus infeſtabantur provinciæ.
ad ann. 834. & 835. Itaque Ludovicus præcepit (utar iterum hujus *Scriptoris* verbis) *ut miſſi per ſingulos Comitatus irent, qui immanitatem prædonum atque latronum, quæ inaudita emerſerat, cohiberent, & ubi eorum major vis incubuerat, etiam Comites vicinos & Epiſcoporum homines, ad tales evincendos & proterendos ſibi adſciſcerent. Et quia aliqui Comitum in repreſſione & exterminatione latronum ſegnes reperti ſunt, diverſis ſententiis eorum ſegnitiem condigna invectione caſtigavit; filioſque & populum admonuit, ut æquitatem diligerent, raptoreſque opprimerent, bonos quoſque & eorum poſſeſſiones ab oppreſſione relevarent. Interminatus etiam ſeveriorem in eos ſe libraturum ſententiam, qui huic admonitioni non eſſent obtemperaturi.*

Imperatores Conſtantinopolitani.

ORientis Imperium, nomine quam ditione ampliori, per hæc tempora iſti adminiſtrabant. I. LEO V. Armenius, qui Michaelem Rangabem exegit, anno 813. eodem fato exigendus. Fuit hic, præterquam quod ab Imaginum fautoribus reprehenditur ut impius, multis artibus regiis præditus: planeque illuſtre eſt elogium, quo *Cedrenus* eum dignatur: πρὸς τὴν τῶν δημοσίων πραγμάτων ἀντίληψιν ἀγρυπνότατος ἦν, ὡς μηδέν τι τῶν δεόντων καὶ ὀνησιφόρων ἐᾷν ἀτημέλητον. *Exſomnis & vigil in corrigenda republica, quique nihil eorum, quæ decet & prodeſt fieri, negligebat.* Ad imagines perſequendas fraude inductus eſt, quam *Zonaras* memorat. Non intractabilem fuiſſe, argumento eſt, vita Michaëli
Vit. Ludov. ad an. 815. inſidiatori deprehenſo prorogata. Bulgarorum autem inſolentiam, multa tum molientium, opportuniſſima virtute repreſſit. Renovavit amicitiam & fœdus cum Ludovico.

II. Præ-

II. Præoccupatus (res mira) à captivo inſidiatore interiit, præmiumque ſceleris reliquit Imperium, MICHAELI *Juniori*, qui & *Traulus* ſive *Balbus*.

Δύσγλωττος οὗτος καὶ φιλόχρυσος λίαν.

ut Oraculum de eo loquitur apud *Cedrenum*. Conflictatus eſt ancipiti bello inteſtino, quod Thomas, ex infima conditione Imperatorem ſe ferens, conciverat. Qui cum victus tandem pœnas daret, Michaël, quo minus in conſcios ultra inquireret, prudenti Exabulii Patricii voce retentus eſt: οὐ δέον, ἀλλὰ καὶ λίαν ἀλόγιστον, ἐχθροῖς πιστεύειν κατὰ τῶν φίλων, NON OPORTERE INIMICIS CONTRA AMICOS CREDI. Euphemius quoque in Sicilia rebellionem cœptavit, contra Michaëlem; ſed non multo poſt apud Syracuſas à duobus fratribus egregio facinore occiſus eſt. Memoratur de cetero Michael, homo vitioſus, impius, impurus, quique ſibi non aliud magis quam Copronymi exemplum propoſuerit imitandum. Annos imperii, *Cedrenus* tribuit ei 9. menſes 8. Sed *Onuphrius* minus ponit à fine ann. 820. ſ. 8. Kal. Januarii, ineunte anno 821. uſque ad Kal. Octobr. 829. Hujus quoque legatio, ad Ludovicum venit, *quaſi propter fœdus confirmandum miſſa*, ut eſt apud *Eginhardum*. *Annal. 827.*

III. Michaëli extincto ſucceſſit filius THEOPHILUS egregius omnino Princeps; niſi quatenus ab Imaginum cultoribus, ob crudelitatem valde incuſatur. Imperium auſpicatus eſt, à vindicta eorum, qui in Leonem Armenium conſpiraverant, ut Patri ſuo Michaëli rerum ſummam traderent: communem Principum cauſſam ratus, ne quis impune tantum ſcelus patraret. Narrant egregium commentum, quo dignovit ſceleratos, *Zonaras* & *Cedrenus*. Apud *eoſdem* & alia ſunt ſingularis juſtitiæ & ſeveritatis exempla: quamquam illi non tam propoſito virtutis, quam ſtudio ſecuritatis parandæ, quicquid id eſt, datum fuiſſe, haud ſcio an ſatis vere, exiſtimant. Uxoris Theodoræ avaritiam, exuſta navi ejus mercatoria cum mercibus, caſtigavit: increpitans, *mercaturam privatis ad tolerandas vitæ neceſſitates attributam, inique & ſordide attrectari à Principibus Imperii opes poſſidentibus; ſeque Imperatorem, non mercatorem aut nauclerum haberi velle.* *Zonar.* Contra Saracenos multa quidem molitus eſt, aliquando non ſine ſucceſſu; plus tamen eſt, quod accepit damni, quam

quod

quod intulit. Unde ex poſtrema clade, animo, mox & corpo- *Onuphr. lib. 2. Rom. Princ. Vita Ludov.* re æger, eodem quo pater morbo dyſenteriæ obiit Conſtantinopoli anno 842. cum imperaſſet annos 12. amplius. Ab hoc miſſa Legatio ad Ludovicum ſuſcepta eſt à Lothario filio, Patri rebelle anno 833.

Externa Imperia & Dominationes.

SAracenorum immodici per hæc tempora ſucceſſus notantur. Fratri Muhamad ſucceſſit *Habdallas* Amiras 24. anno Chr. 815. Imperavit annos 17. Huic anno 832. ſurrogatur *Muhamat*: de cujus 40. quibus Principatum tenuit, annis, octo ad Ludovici tempora pertinent. Notari omnino hic debet ſolennis periodus regni Saracenici, cujus ab anno Chr. 632. numerantur duo ſæcula ad annum 832. ſive ad initium hujus Muhamat: quibus res Saracenica crevit,; in poſterum diminuenda, per inteſtinas diſcordias, & Turcarum nomini prærogativam conceſſura. Vid. *Lonicer. Hiſt. Turc. lib.* 1.

Regum *Hiſpaniæ*, qui Alphonſo Caſto ſucceſſerunt chro- *part. 3. hiſt. Hiſp. c. 10.* nologia, non uno modo traditur. *Rodericus Santius*, cum *Ramiro* ſive *Ranimiro* annos ſex, menſes novem tribuiſſet, ab anno 823. numerandos; *Ordonio* autem ejus filio & ſucceſſori decem annos aſſignaſſet, ab 827; *Alphonſum* poſtea *Magnum* facit ſuccedere 833. manifeſto errore. *Vaſæus* in Chronico Ranimiri initia ponit ad 824. Ordonii, ad 831; Alfonſi ad 841. à quo non abit *Alphonſus à Carthagena in Anacephalæoſi.* At *Franciſcus Tarapha*, primo attribuit annum 829; ſecundo, 836; tertio, 846. Quod, hac occaſione opportunum erat monere. *Ranimirus* illuſtre nomen meruit, abrogato fortibus armis pudendo tributo virginum tradendarum, quod Mauracatus cum Saracenis pepigerat; repulſis Normannis; capta Calagurra; tum concordi ſocietate potentiæ cum Garcia fratre, quem conſortem Imperii fecerat. *Ordonius* itidem Saracenis non infeliciter reſtitit, Vaſconumque inſolentiam compeſcuit. Alphonſum M. in ſequentia tempora ſervamus. Ceterum, per Saracenos inquietatas his temporipori-

poribus aſſiduè eas Hiſpaniæ partes, quæ Chriſtianis parebant; & apud limites Hiſpanicos tumultuatum ſubinde eſſe, ſatis conſtat. Dedit etiam Ludovicus Hiſpanis in Septimaniam & limitanea loca confugientibus, metuque Saracenorum ſedes quærentibus privilegia, quorum ſpecimen conſervat Charta *Andreæ du Cheſne* edita *tom.* 2. *pag.* 321. Non omittenda eſt hoc loco mutatio, quæ in regno Navarræ & Aragoniæ accidit. Cum enim *Sanctius* Garcias Rex Sobrarbæ quartus, totam fere Navarram ejectis Mauris in ditionem redegiſſet, circumventus tandem prælio cadit anno 825. Tum ergo regnum Navarræ & Sobrarbæ cum parte Aragoniæ Saracenis ceſſit: donec *Ennicus* vel Enico ſive *Ignicus Ariſta* gente Gothus, cum in montibus Pyrenæis multa adverſus Arabes & Mauros fortiter feciſſet, in Navarrenam planiciem deſcendens, Rex Navarræ & Aragoniæ primus eligitur anno 839. non infinitâ tamen & liberâ poteſtate, ſed legibus adſtrictâ; conſtitutoque intermedio judicé, qui inter ipſum Regem & populum, ſi quid controverſiæ incideret, arbiter ſederet. Hunc *Juſtitiam Aragoniæ* dixerunt. *Vaſæi Chronicon.*

In *Italiam* & præſertim *Siciliam* Saraceni multa conati ſunt: *ad an.* 830. *& 837.* *Sigebertus*, eorum incurſionibus ſuburbium *Romæ* vaſtatum, portum Romanum infeſtatum, queritur. Explicatius *Platina in Gregorio IV.* *Siculæ* autem calamitates, his temporibus exordium capiunt, vix ſæculo ab hinc tertio finiendæ. Deſcripſit diligentius ceteris *Thomas Fazellus*, exploſis, quæ de Maniacis proditione circumferuntur, fabulis. *Decad.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. Series iſta: Retracti ab Sicilia in Africam Saraceni, felici Bonifacii Comitis expeditione, quam ſupra laudavimus; paullo poſt duce Sabba, Siciliam obſidere parant: ſed contenti victoriis adverſus Conſtantinopolitanam & Venetam claſſes, tum urbes finitimas, reportatis, iterum redeunt domum. Inde Euphemius Siciliæ ab Imperatore Michaële Balbo præfectus, cum ſacrilegii reus, pœnam quocunque modo ſubterfugere ſtatuiſſet, pro Imperatore Græcorum ſe gerit, atque vicinos Saracenos & Carveni regem Abraamum arceſſit, regnumque inſulæ ei pollicetur. Ita magno exercitu Saracenorum Sicilia occupatur pleraque; præſertim poſt exitium Euphemii; & ſervitutis diuturnæ fundamenta conſtituuntur.

In *Britannia* totum fere hoc tempus *Egbertus*, ſupra laudatus occupat, quem anno 837. deceſſiſſe *Willielmus Malmesburienſis* narrat. *Idem* qui victorias ejus adverſus Cantiam, Sudrejam, Auſtrales, & Orientales Saxones; ut & Northanimbrorum ſubjectionem deſcribit: digeſtas in annos, per *Henricum Huntindonienſem*.

de geſt. Reg. Angl. lib. 2. cap. 1. & 2.

Hiſt. lib. 4.

Sueciæ Reges, *Chronologia Jacobi Giſlonis* ita ordinat, ut *Biörnoni*, de quo ante, anno 824. ſucceſſerit *Brautamundus*; huic, anno 827. *Sivardus III. Fro* dictus: poſt quem *Herotus* anno demum 842. ſequitur. At alii Herotum Ludovici noſtri temporibus tribuunt. Brautamundus regno & vita exutus, fratris *Sivardi* armis; cui & Rex Norwegiæ cognominis ſuccubuit. Sed victoris inſolentiam, & in nobiles fœminas contumeliam, fœminarum pro pudicitia armatarum virtus, opitulante Regnero Daniæ Rege, inſigni clade ulta eſt. Videatur *Joh. Magnus lib. 17. cap. 3. & 4. Loccen. Hiſt. Suec. lib. 1. Krantzius Suec. 5. 1. & Scriptores rerum Danicarum* mox memorandi.

In *Danicis* Annalibus poſt *Hemmingum*, *Sivardus* (an *Sigefridus*) & *Ringo* Reges æmuli ponuntur; tum *Haraldus* & *Regnerus* ſocii Regni referuntur. At *Francorum Annales*, & qui inde deſcripſerunt, *Hemmingum* ſub Carolo M. deceſſiſſe affirmant. Verba ad an. 812. hæc ſunt: *Nec multo poſt Hemmingus Danorum Rex defunctus nunciatur. Cui cum Sigifridus nepos Gotefridi Regis, & Anulo nepos Herioldi & ipſius Regis ſuccedere voluiſſent, neque inter eos uter regnare deberet, convenire potuiſſet: comparatis copiis & commiſſo prælio, ambo moriuntur. Pars tamen Anulonis adepta victoriam, fratres ejus Herioldum & Reginfredum Reges ſibi conſtituunt, quam neceſſario pars victa ſecuta, eoſdem ſibi regnare non abnuit.* Hemmingi dignum memoratu opus non repertiſſe ſe, ait *Saxo Grammaticus*, niſi quod *pacem cum Cæſare Ludovico, jurisjurandi firmitate compoſuit.* Non conſtat tamen ſibi *Saxo*, cum poſtea in Regneri Lodhbroghi rebus *Caroli* mentionem facit; qui non poteſt alius intelligi, quam Magnus ille, Ludovici noſtri pater; ſicut agnoſcit *Stephanus Johannis Stephanius. Idem* qui *in notis ad hunc Saxonis librum* Genealogiam ponit & explicat, ad ea illuſtranda eximie factam, quæ modo ex *Francorum Annalibus* appoſuimus. *Annales Eginhardi*, ita Hiſtoriam Danicam

ap. Andr. du Cheſne tom. 2. adde Ann. Fuld. it. Monach. Engoliſm. It. Adam. Brem. lib. 1. cap. 14.

lib. 9. pr.

pag. 188.

nicam ordinant. *Pacem cum Hemmingo firmatam*, ponunt anno 811. Anno 812. *Heriholtus & Reginfridus Reges Danorum, miſſa ad Imperatorem* (Carolum) *legatione pacem petunt, & fratrem ſuum Hemmingum ſibi remitti rogant.* Anno 813. mittuntur *legati ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis ſecundum petitionem Regum illorum facerent, & fratrem eis redderent.* Quod ita factum eſt. Mox, à filiis Godefridi, regno pulſi memorantur. Anno 814: Heriholtus & Reginfridus Reges Danorum, qui anno ſuperiore à filiis Godefridi victi, & regno pulſi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt. In quo conflictu & Reginfridus, & unus de filiis Godefridi, qui major natu erat, *interfectus eſt. Quo facto Heriholtus rebus ſuis diffidens, ad Imperatorem*, (Ludovicum) *venit, & ſe in manus illius commendavit. Quem ille ſuſceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare juſſit, quo ei, quemadmodum petierat, auxilium ferre poſſet.* Anno inſequenti 815. auxilium Heriholto mittitur: ſed, cum Godefridi filii cum ingenti claſſe adeſſent, vaſtatis vicinis locis, & acceptis obſidibus, receſſerunt Imperatoris Duces. Anno 817. *Filii Godefridi Regis Danorum propter aſſiduam Heriholti infeſtationem miſſa ad Imperatorem legatione, pacem petunt, eamque à ſe ſervandam pollicentur: ſed cum hæc ſimulata magis, quam veracia viderentur, velut inania neglecta ſunt, & auxilium contra eos Heriholto datum.* Anno 819. *Heriholtus juſſu Imperatoris ad naves ſuas per Abotritos reductus in patriam quaſi Regnum ibi accepturus navigavit. Cui ſe duo ex filiis Godefridi, quaſi una cum eo regnum habituri, ſociaſſe dicuntur, aliis duobus patria expulſis. Sed hoc dolo factum putatur.* Anno 821. de parte Danorum omnia quieta fuerunt, & Heriholtus à filiis Godefridi in ſocietatem regni receptus. Quæ res tranquillum hujus temporis ſtatum feciſſe putatur. Anno 822. in conventu Francofurtenſi *fuere & Legationes de Nordmannia, tam de parte Heriholti, quam filiorum Godefridi.* Anno 823. venit Heriholtus ipſe, & auxilium petit contra filios Godefridi, ad quos legati mittuntur, ut explorarent omnia diligentius, ſtatumque regni cognoſcerent. Anno 825. Imperator *in Aquiſgranenſi conventu, etiam filiorum Godefridi de Nordmannia legatos audivit, ac pacem, quam iidem ſibi petebant, cum eis in Marca eorum menſe Octobri confirmari fecit.*

An. 826. *Legati filiorum Godefridi pacis ac fœderis cauſſa miſſi. Eodem tempore Heriboltus cum uxore & magna Danorum multitudine veniens, Moguntiaci apud S. Albanum, cum iis quos ſecum adduxit, baptiſatus eſt multiſque muneribus ab Imperatore donatus: per Friſiam, qua venerat via, reverſus eſt. in qua Provincia, Comitatus Rhiuſtri vocatus, eidem datus eſt, ut in eum ſe cum rebus ſuis, ſi neceſſitas exigeret, recipere potuiſſet.* Anno 827. Neomagi deliberatum eſt, de *falſis Horici filii Godefridi R. D. pollicitationibus, quibus ſe illò ad Imperatoris præſentiam venturum promiſerat.* Additur: *Interea Reges Danorum, filii ſcilicet Godefridi, Heriboltum de conſortio Regni ejicientes Nordmannorum finibus excedere compulerunt.* Anno 828. cum ad limites Nordmannorum convenissent Comites & *Marchiones* Saxoniæ (ita enim nominantur) cauſſam Heriholti, & pacis firmitatem tractaturi, Heriholtus ultionis cupidus, rupit pacem, filiisque Godefridi occaſionem præbuit, ut ex nec-opinato Ludovici exercitum opprimerent, & per Legatos factum apud Imperatorem excuſarent. Hîc finiuntur *Annales Eginhardi*; quibus ſuccedant licet *Bertiniani*, ubi ad ann. 831: *Miſſi Danorum* pacem *exorantes venerunt, & fœdere firmato ad propria repedarunt.* Factis hinc occaſione inteſtinæ diſcordiæ Francorum, aliquotiens Normannorum in Friſiam incurſionibus, anno 836. *Horich Rex Danorum* (*Krantzius* Roricum vocat) *per Legatos ſuos amicitiæ atque obedientiæ conditiones mandans, ſe nullatenus eorum importunitatibus aſſenſum præbuiſſe teſtatus, de ſuorum ad Imperatorem Miſſorum interfectione conqueſtus eſt, qui dudum circa Coloniam Agrippinam quorundam præſumtione necati fuerant. Quorum necem etiam Imperator, miſſis ad hoc ſolum Legatis, juſtiſſime ultus eſt.* Mox *Miſſi ejusdem Horich* Aquisgranum *venerunt, quærentes ſummam eorum, quos ipſe captos ex his interfecerat, qui in noſtros fines talia jamdudum moliti ſunt.* Anno 837. iterum Nordmanni in Friſia Walacriam inſulam vaſtant, & circum illa loca prædas agunt; donec Imperator arma & vim ſuam eo verteret. Anno 838. *Miſſi Horich venientes, piratarum in* Francorum *fines dudum irruentium maximos à ſe ob Imperatoris fidelitatem captos, atque interfici juſſos retulerunt, petentes inſuper ſibi dari Friſianos, atque Abodritos. Cujus petitio quanto Imperatori indecens ſive incongrua viſa eſt, tanto vilius ſpreta, & pro*

pro nihilo ducta eſt. Anno 839. iterum *Oricus* legatos mittit, & pacem firmari cupiens, querelis ſuis de Friſiis quibusdam ſatisfieri, nec fruſtra poſtulat. Attuli hæc paulo ſubtilius, quam inſtituti ratio jubebat; tum ut documenti vicem præberent, quid Hiſtoriæ Danicæ ex monumentis tam nobilibus ſubſidii, etiam poſt aliorum induſtriam, accedere queat; tum ut appareret, Nordmannos nec palam hoſtes, nec ſerio amicos Ludovico fuiſſe; intentoque in occaſiones animo, majoribus quæ ſecutæ ſunt, molitionibus non ſegniter præluſiſſe. Conferatur *Iſac. Pontan. Hiſt. Dan. lib. 4.* nec omittatur obſervatio, *Alberti Krantzii*, quam habet *in Prologo Norvagiæ: Gallorum Scriptores omnes ab Aquilone venientes, ſoliti ſunt appellare Normannos: non diſcernentes inter Danos, & eos, qui veri ſunt Normanni.* Unde quæ ſub Ludovico memorantur Normannorum excurſiones & deprædationes, Danis & Normannis (quos pro Norvegis habet) communes facit, *Norveg. lib. 1. cap. 38.*

Eccleſiaſtica.

QUantum habuerit juris Imperator in conſtituendis Epiſcopis, etiam Romano, clariſſima & omni contradictione majora ſunt verba *Eginhardi*, qui nec ignorare potuit rem geſtam; nec cur aliter efferret, ac geſta eſt, cauſſam habuit. Ille ergo, cum mortem Eugenii Papæ memoraſſet, addit: *Quo defuncto, Gregorius Presbyter ſancti Marci electus, ſed non prius ordinatus eſt, quam Legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret.* Unde intelligitur, quod jam dictum eſt, in electionibus ejuscemodi reſervatam Imperatori approbandi poteſtatem. Id quod adhuc clarius teſtatur *Scriptor Vitæ Ludovici*, nihil minus quam ſuſpectus vel de ignorantia, vel de irreverentia in Romanum Pontificem, cujus honor ipſi alias non parum cordi eſt. Hæc autem ſunt ejus verba: *Loco* Eugenii *Gregorius Presbyter tituli Sancti Marci electus eſt, dilata conſecratione ejus uſque ad conſultum Imperatoris. Quo annuente, & electionem Cleri & populi probante, ordinatus eſt in loco prioris.* Quæ ſane digniſſima notatu, alto ſilentio præterit *Baronius*; & ne nihil videatur agere, hoc tantum annotat, populo poſtulante Pontificem conſtitutum, Cle-

Annal. ad an. 827.

ad an. 817.

tom. 9.

ro tamen unà conſulente ; cui tamen mox ita arbitrium totius rei vindicat, ut ſimul fateatur : modum ſæpe mutatum inveniri electionis ſummi Pontificis. Quid ait Cardinalis ? Davus ſum, non Oedipus. videantur infra verba *Platinæ*. Ab Imperatore Eccleſia Meteuſis petit, & impetrat Epiſcopum Drogonem. Unde Ebo, *ſacerdotium*, quo indignus erat, *Epiſcopis, & per eos Imperatori contradidit*. Ne de ceterorum Epiſcoporum caſtigatione & punitione dicam. Quamquam dolendum eſt, Cleri mores ad πολυ-πραγμοσύνην & inſolentiam eouſque per hæc tempora provectos eſſe, ut inter majeſtatis reos, non pauca Clericorum nomina legantur. Quare non potuit non uti ſua poteſtate, omni jure conceſſa, Ludovicus, in examinandis & puniendis ejus generis delictis. Neque exemtum fuiſſe ab hac cognitione Imperatoria Romanum Epiſcopum, vel duo illa exempla monſtrent, quæ *Scriptor Vitæ Ludovici* commemorat ad ann. 815. & 823. ubi de interfectis à Leone conſpiratis quibusdam ; itemque de aliis, Paſchalis conſenſu occiſis, accuratiſſime inquiſivit Ludovicus, omniaque ſibi cognoſcenda vindicavit.

Script. Vit. Lud. ad an. 823.

Ibid. ad an. 835.

In *Synodis* præcellit Aquisgranenſis illa, in qua *multa de Statu Eccleſiarum atque Monaſteriorum tractata atque ordinata ſunt*. verbis *Eginhardi*, qui *in Annalibus* refert ad ann. 819. At *Scriptor Vitæ Ludovici* ann. 817. tribuit, deſcriptione oppido notabili. Adde *Centur. Magdeburg. VIII, 9. Reformatio* ipſa *Eccleſiaſtica*, ut appellatur, ubi exhibeatur, ſupra dictum eſt. Nam *Tomi Conciliorum* hic intelliguntur, etiam cum non nominantur. Ex ipſa porro rerum ſerie clarum eſt eos falli, qui ad annum 830. referunt. in quibus *Platina* eſt. cujus ἐπίκρισις quamquam feſtinantibus non prætereunda videtur : *Utinam*, inquit, *noſtris temporibus Ludovice viveres ! Indiget nunc eccleſia tuis ſanctiſſimis inſtitutis, tua cenſura, adeo in omnem luxum & libidinem ſeſe effundit Eccleſiaſticus ordo ; coccinatos & trabeatos nunc inſpiceres non homines, quod leve fortaſſe videretur, ſed equos & jumenta, præcedente, dum incedunt, magno adoleſcentum, & altero presbyterorum agmine ſubſequente, non in aſinis, ut Chriſtus noſtri dogmatis author, & bene vivendi unicum in terris exemplar, ſed in equis præferocibus & phaleratis, ac ſi ex hoſte devicto triumphum ducerent. De argenteis vaſis & egregia eorum ſupellectile, deque cibariis*

in Gregor. IV.

cibariis non attinet dicere, cum & Siculæ dapes, & Attalica or-namenta, & vaſa Corinthia, ſi hæc inſpicias, nullius pretii ſunt. Sed illi quidem, qui ad annum 830. referunt illam emendationem Eccleſiaſtici ordinis, confundunt acta Concilii Aquiſgranenſis cum *Concilio Pariſienſi* anno 829. celebrato, ubi itidem tractata, quæ ad id argumentum pertinent. Juſſerat Ludovicus 828. quatuor Synodos celebrari in Gallia, Moguntiæ, Pariſiis, Lugduni, Toloſæ. Cetera non extare, ait Baronius. *Concilium Compendienſe* anno 833. ſacrilegum fuit, & ex memoria rerum expungendum. In *Concilio Aquisgranenſi ſecundo*, fere eadem quæ Pariſiis, tractata ſunt anno 836. Eodem anno *Lugduni* de Eccleſiis Viennenſi & Lugdunenſi, paſtores non habentibus agitatum. In Concilio Pariſienſi, & Aquis Granenſi altero, neſcio quas obſcuras appendices *Baronius* memorat, quibus Epiſcopi queſti ſint, Regiam poteſtatem invadere jura Eccleſiaſtica. Id quod parum, cum indulgentiſſimis Ludovici moribus convenit; neque cum ipſis illis, quæ Baronius Eccleſiis indulta, ἀκαίρως εὐκαίρως jactitat, conſentit; & capit formulam contumaciæ illius, quæ religionis colore Eccleſiaſticos totiens fecit Ludovico rebelles. Certe Ludovicus, ſi comperiſſet, bonis Eccleſiaſticis profanam manum injici, aut jura Eccleſiarum imminui, ſtatim opem tulit; ipſumque filium Lotharium ea de re graviſſimis monitis per Legatos appellavit. Sed Baronio intoleranda videntur, quæcunque Principibus in Eccleſiaſticam rem jura Deus commendavit. *Conſtitutionem Ludovici de bus S. Petro donatis & reſtitutis*, quam *Baronius* adfert, ut & omnem illam donationis cauſſam, alias diſquiremus.

Baron. tom. 9.

ann. 835. Script. V. L. adde *Bertin annal. 836. ad an. 817.*

Propagatio Religionis, quam fuerit curæ Ludovico, teſtatur etiam *Diploma Ejus de fundatione Archiepiſcopatus Hamburgenſis anno 834. Aquiſgrani ſcriptum*; quo *Anſcharius* Monaſterio Corbeiæ pridem evocatus conſtituitur Archiepiſcopus, eique & ſucceſſoribus Legatio committitur ad Chriſtianam religionem propagandam, *Aquilonaribus in partibus, in gentibus videlicet Danorum, Suecorum, Norvveorum, terræ Gronlandon, Hallingalandon, Islandon, Scredevindon, & omnium Septentrionalium & Orientalium* (his locis ita diſtingui ſolitarum) *nationum.* Non quod hæ nationes omnes ad Imperium Ludovici pertinerent, ſed quod legatio etiam in alia regna, cauſſa religionis ſuſcipienda eſſet. Ita ante

an. 823. ante hoc tempus *Eginhardi Annales* referunt: *Ebonem Remorum Archiepiſcopum, conſilio Imperatoris & Romani Pontificis auctoritate prædicandi gratia ad terminos Danorum acceſſiſſe, & æſtate illa multos ex eis ad fidem venientes baptiſaviſſe.* Sed hunc Ebonem, *Hiſt. Eccleſ. Hamb* 1, 18. qui Anſchario adjutor prædicationis datus erat, notat *Adamus Bremenſis*, quod civilibus negotiis plus, quam Eccleſiaſticis delectatus, receſſerit à propoſito, ſubſtituto in locum ſuum Gaudberto nepote. Cæterum *Anſcharius* primum cum Herioldo ſive Haraldo Dano (de quo ante) baptizato, in legationem ivit religionis *cap.* 6. cauſſa, referente *Remberto in vita Anſcharii.* Qui & memorat, alia legatione in Sueciam miſſum, ad Regem Bern (*Biorno* eſt ſive *cap.* 8. *Urſus*) veniſſe Byrcam. Ita enim recte edidit *Lambecius*: abſur- *cap.* 10. de autem in editione *Fr. du Cheſne* BEM vocatur Rex. Byrca olim metropolis Sueciæ celebratur; à cujus nomine *jus Byrcanum* in Aquilone nominatum. Hodie nihil præter rudera ad lacum Mellerum viſuntur. Inde Gautbertus Sueciam repetiit; Anſcharius autem vicina in Dania ceteriſque locis Chriſtianam religionem docuit. Videnda, *Anſcharii vita*, tum, quam dixi, *à Remberto ſcripta*; tum altera *à Gualdone Monacho* compoſita, & nuper a *Cl. Lambecio* primum edita: non ſine fabulis utraque; ſed unde verum tamen fas ſit reperire. Adjiciantur, quæ habet *Albertus Krantzius in Metropoli lib.* 1. *cap.* 19. *& ſeq.* itemque *in Saxon. lib.* 2. *cap.* 25. *Cultus reliquiarum*, valde his temporibus invaluit; ut & *Translationes.* inter quas, corpus D. Marci Venetias translatum jactitant. Quam rem, ſingulari diſſertatione examinavit Cl. *Theologus Dorſcheus.*

In *Orientali Eccleſia*, Imaginum cultores plurimum repreſſi ſunt. Imperatores enim, quos ſupra diximus, alieni erant ab hac ſententia.

Pontifices Romani ad Ludovici Pii tempora congruunt iſti:
an. 816. I. *Stephanus IV.* qui Pontifex 99. habetur; ſeptem tantum menſibus non totis præfuit. Profectus ad Ludovicum in Gallias, de rebus Italiæ componendis conſultavit; & exulum à Carolo olim multatorum, reſtitutionem ab Imperatore impetravit. præſertim autem præ ſe tulit, ſe coronandi Imperatoris cauſſa venire. *vid.* an. 817. *Annales Bertinian.* 816. II. *Paſchalis* I. *patria Romanus*, *patre Bonoſo* annis 7. m. 3. d. 17. putante *Onuphrio*, ſedem Pontificiam obtinuit.

obtinuit. Hic (inquit *Platina*) *nulla interpoſita Imperatoris auctoritate Pontifex creatur. hanc ob rem ubi Pontificatum iniit, ſtatim legatos ad Ludovicum miſit, qui ejus rei culpam omnem in clerum & populum rejicerent, quod ab his vi coactus eſſet pontificium munus obire. Accepta hac ſatisfactione Ludovicus, reſpondit populo & clero: majorum inſtituta & pacta ſervanda eſſe, caverent, ne deinceps* MAIESTATEM LAEDERENT. III. Paſchalem excipit *Eugenius II.* qui Pontifex fuit annis 4. m. 6. d. 24. Commendatur ob curam annonæ & pauperum ſingularem, apud *Platinam.* Adverſus hunc Zinzinus quidam electus, poſt paucos dies dignationem abdicavit. IV. *Valentinus I.* ſequitur, unius menſis dierum 10. Pontifex. V. Succeſſit *Gregorius IV.* & annis 16. Epiſcopatum tenuit. Notabilia ſunt verba *Platinæ* de hoc Gregorio: *tanta modeſtia fuit, ut electus à clero populoque R. non prius Pontificium munus obire voluerit, quam à Legatis Ludovici Imperatoris ob eam cauſſam Romam miſſis, qui diligenter tantam* (totam l.) *electionem diſcuſſerant, confirmatus eſt. Fecerat id Ludovicus non ſuperbia motus, ſed* NE IVRA IMPERII AMITTERET.

an. 824.

an. 828.

Ex *Epiſcopis Argentoratenſibus* ad Ludovici tempora *Franciſcus Guillimannus* refert *Uthonem, Erlehardum, Adalochum* ædis & Monaſterii Thomani inſtauratorem, cum *Bernaldo.* Adde *Wimphelingii Epiſcop. Argent.* & *Chronicon Alſat. Hertzogii lib.* 4. ubi tamen Chronologia penitus confuſa.

Non prætereunda eſt cura Ludovici, circa *Sacras literas in linguam Theudiſcam transferendas.* Quam in rem extat *Præfatio in Librum antiquum lingua Saxonica ſcriptum:* ubi laudato Ludovici in Religionem ſtudio, ſequitur: *Nam cum Divinorum librorum ſolummodo litterati atque eruditi prius notitiam haberent, ejus ſtudio, atque Imperii tempore, ſed Dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter actum eſt nuper, ut cunctus populus ſuæ ditioni ſubditus, Theudiſca loquens lingua, ejusdem divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque cuidam uni de gente Saxonum, qui apud ſuos non ignobilis vates habebatur, ut vetus ac N. Teſtamentum in Germanicam linguam poëtice transferre ſtuderet: quatenus non ſolum literatis verum etiam illiteratis ſacra divinorum præceptorum lectio panderetur.* Additur confectio, & commendatio operis. Tandem ſubjiciuntur illa: *Juxta morem*

ap. Andr. du Cheſne tom. 2. p. 326.

 verò

verò illius Poëmatis omne opus per vitteas diſtinxit, quas lectiones nos vel ſententias poſſumus appellare.

Monaſteriorum quoque memorabilis diſtinctio, antiquitatis ſtudioſis non ingrata erit. Ponit *Andreas du Cheſne* (*tom. 2. p. 323.*) *Conſtitutum de Monaſteriis Regni Francorum, quæ Regi militiam, dona, vel ſolas orationes debent*; *ex veteri codice Monaſterii S. Egidii apud Septimanos.* Verba ipſa ſunt. *Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti DCCCXVII. Ludovicus, Sereniſſimus Auguſtus divina ordinante Providentia Conventum fecit apud Aquis ſedem Regiam Epiſcoporum, Abbatum, ſeu totius Senatus Francorum. Ubi inter ceteras diſpoſitiones Imperii ſtatuit, atque Conſtitutum ſcribere fecit, quæ Monaſteria, in Regno vel Imperio ſuo dona & militiam facere poſſunt, quæ ſola dona ſine militia, quæ vero nec dona, nec militiam, ſed ſolas orationes pro ſalute Imperatoris, vel Filiorum ejus, ac ſtabilitate Imperii.* Sequitur deinde Catalogus trium claſſium harumce nominatim. Cui denique ſubjiciuntur hæc verba: *His prædictis Monaſteriis præfatus Imperator, ſicut ſupra dictum eſt, Statutum ſcribi fecit, atque manu ſua firmavit, & annulo ſuo Imperiali ſigillare fecit.*

Judaiſmus in Oriente fautorem habuit Michaelem Traulum; à quo Judæos immunitatibus donatos, & ſupra omnes homines amatos *Cedrenus* auctor eſt. *Zonaras* favore Judæorum, eum præcepiſſe refert, ut Sabbatis jejunaretur. In Occidente *Bodo Diaconus* Alemannus gente, ſed ab ipſis pæne incunabulis in religione Chriſtiana eruditus, nec parvum doctrinæ ac pietatis opinione nomen adeptus, Judæus factus eſt: magna cum offenſione totius Eccle-
ad an. 839. ſiæ, ſicut copioſius perſcribunt *Annales Bertiniani.* In *Chronico brevi Monaſt. S. Galli* ann. 838. ita annotatur: *Puoto Diaconus de Palatio, lapſus eſt in Judaiſmum inter octavam & nonam horam in vigilia Aſcenſionis Domini.* Quantus hic poſtea factus ſit perſecutor Chriſtiani nominis, liceat huc ex inſecutis temporibus re-
ad an. 847. vocare ex *Annalibus Bertinianis*: *Bodo, qui ante annos aliquot Chriſtiana veritate derelicta ad Judæorum perfidiam conceſſerat, in tantum mali profecit, ut in omnes Chriſtianos Hiſpaniæ degentes, tam Regis quam gentis Saracenorum animos concitare ſtatuerit, quatenus aut relicta Chriſtianæ fidei religione ad Judæorum inſaniam Saracenorumve dementiam ſe converterent, aut certe omnes interfi-*

ceren-

cerentur. Super quo omnium illius regni Chriſtianorum petitio ad Carolum (Calvum) *Regem* (*Franciæ*) *Regnique ſui Epiſcopos, ceteroſque noſtræ fidei ordines lacrimabiliter miſſa eſt, ut memoratus Apoſtata repoſceretur, nec diutius Chriſtianis illic verſantibus aut impedimento, aut neci foret.*

De Mahumediſmo vide *J. H. Hottingeri Hiſt. Eccleſ. cap. IX. ſect. 2.*

Literæ, Artes, Inventa.

INcipiemus ab ipſis *Ludovici Imperatoris ſtudiis*, de quibus *Theganus*: *Lingua Græca & Latina valde eruditus; ſed Græcam magis intelligere poterat, quam loqui; Latinam vero ſicut naturalem æqualiter loqui poterat. Senſum vero in omnibus Scripturis ſpiritualem & moralem, nec non & anagogen optime noverat. Poëtica carmina gentilia, quæ in juventute didicerat, reſpuit, nec legere nec audire, nec docere voluit.* Quæ ipſa verba deſcripſerunt *Annales Metenſes.* In Theologico ejus ſtudio deſcribendo, notari, puto, meretur, genius temporis: cum magis ſoliciti eſſent de S. Literarum myſtico ſenſu, tropologia, & ἀναγωγῇ, quàm de literali ſenſu. quæ præpoſtera ratio quantum in Eccleſiam mali invexerit, nemini obſcurum eſt. In Poëtis ethnicis, quis ſit tenendus ſtudiorum modus, *Baſilii Theologi* pia & ſæpe celebrata commonitione ſatis declaratur. *cap. 19.* *ad an. 837.*

De *Theodulpho* Aurelianenſi Epiſcopo ſupra dictum eſt. Compoſuerat in carcere ſuo, quem conſpirationis in Ludovicum ſocius meruit, hymnum, ab Eccleſia in feſto Palmarum, poſt cani ſolitum:

Gloria laus & honor Tibi ſit Rex Chriſte Redemtor,
Cui puerile decus promſit Oſanna pium. &c.

Hunc hymnum, cum prætereunte Ludovico Pio, ſuavi voce captivus decantaret, mox libertatem recuperavit. Quod autem *Baronius*, & alii ſcribunt; eum poſtea demum Aurelianenſem Epiſcopum factum; id non congruit cum *Thegano & Scriptore Vitæ Ludovici*, qui ipſo tempore conjurationis Bernardinæ Epiſcopum Aurelianenſem fuiſſe, tradunt. *Sigebertus*, quem *Baronius* teſtem laudat, de tempore Epiſcopatus accepti, nihil habet. Præcipuam inter *ad an. 835.*

 Theo-

Theologos hujus ævi operam navavit *Rabanus Maurus*, *Abbas Fuldæ*, ubi in univerſam Sacram Scripturam commentaria ſcripſit, quæ adhuc extant. Sub Lothario poſtmodum factus eſt Archi-epiſcopus Moguntinus. Hujus æqualis & amicus *Haymo*, ex Fuldenſi, Hirsfeldienſis monachus, inde Halberſtadienſis Epiſcopus, itidem in omnes Scripturæ libros commentarios compoſuit: non omnia tamen æque, ut Rabani, typis exſcripta extant. *Walafridus Strabo* (quem & *Strabum* vocant, & *Fuldenſem*, ſicut erudite annotat, & vulgarem ſententiam de diverſis Strab. convellit *Goldaſtus rer. Alem. tom.* 1. *part.* 2. *pr.*) quæ præter Gloſſas Biblicas ſcripſerit, videas apud *Ger. Jo. Voſſ. de Hiſtor. Latin. lib.* 2. *cap.* 33. ubi & ceteros ad Ludovici tempora pertinentes refert: *Freculphum* Chronici auctorem, *Hilduinum*, *Aegil*, *Theganum*, *Scriptorem Vitæ Ludovici*; & cap. 34. *Nithardum*, *Aimoinum*, cujus nomini multa aliena aſſuuntur; & quoſdam *Anonymos*; in *Prætermiſſis* autem, *An-*
lib. 3. parte 4. cap. 4. *dream Agnellum*, & *Ermenoldum*. De *Anſegiſo* ſupra dictum eſt. *Hepidanni Annales ad an.* 818. *Sedulius Scotus clarus habetur*. Pres-
ap. Goldaſt. in Alem. byter fuit, cujus aliqua typis impreſſa ſunt; aliqua in Bibliothecis latent, ſicut *MSSC. Indices* teſtantur. Alius eſt à *Sedulio*, itidem Scoto, qui ſæculo quinto claruit.

In Oriente, Michaël Balbus literarum & doctrinæ inimicus,
vid. Cedren. ne pueros quidem ſinebat erudiri; bonas artes ſcilicet inſtrumenta ſuæ inſaniæ coarguendæ ratus. Pertingit in hæc tempora *Nicephorus Conſtantinopolitanus*, de quo in Carolo, mentionem fecimus. Tales igitur, qui ad plurium Imperatorum annos referuntur, in poſterum ſemel tantum nominabimus. Celebrantur aliàs hoc ævo duo Eximii viri, *Methodius* Patriarcha Conſtantinopolitanus; & *Euthymius* Sardenſis Epiſcopus. *Hujus* nihil extat: *Il-*
ad an. 824. *lius*, *Canones pœnitentiales*, etiam *Baronius* recitat. Apparet inde plus cærimoniarum, rituum, operum opinioni in tali negotio datum, quàm gravitati exemplorum veterum. *Gerhardus Jo. Voſſius de Hiſtor. Græc. lib.* 2. *cap.* 25. refert ad tempora Michaëlis Balbi & Theophili, *Michaëlem Monachum*, *Theoſterictum*, & *Sergium Confeſſorem*, cum ſuis operibus. *Icaſia* virginis nobilis &
num. 3. eruditæ Scripta, laudat *Zonaras in Theophilo:* ex quibus nil ad nos pervenit.

Si

Si quis delectatur iis, quæ circa *Muſicam* hoc tempore in uſu fuerunt, ille redeat ad tempora Carolina, de quibus, præter *Annales ſupra annotatos*, diligenter hiſtoriam texunt *Ekkehardus de caſibus Monaſterii S. Galli cap.* 4; & alter *Ekkehardus Decanus in vita Notkeri Balbuli c.* 9. Ad priorem locum egregia extat annotatio de *Frigdora* & *Occitana*, *Goldaſti:* cujus ſummam legas apud *Gerh. Joh. Voſſium*, *de ſcientiis Mathem. cap.* 21. §. 12. Ego hoc unum adjiciam: Muſicæ difficultates, per hæc tempora, non ſtetiſſe aliquo artificio harmoniæ, ſed memoriæ ſubſidio, & ſimplicium, ut appellabantur, Tonorum. Ergo melodiam, ut poſtea cœperunt vocare hujus aut illius Toni (tandem numeris diſtinxerunt poſteri) compoſuiſſe, aut cantillaſſe, ſumma artis erat. Sicut hodieque ſolicitam Judæorum curam licet obſervare, in decantandis, quas ipſi per accentus ſuos deſignant, melodiis. Ita, dum relinquitur veriſſima ars Muſica, artem ſibi quisque pro captu ſæculi & ſuo facit; eo magis in ambages ituram, quo minus ex harmoniæ per diverſa conſonantis regulis trahit.

Memorabilia alia.

DIxi antea, me non collecturum tempeſtates, pluvias, ſiccitates & ejus generis alia, quæ magno numero eſt reperire apud *Lycoſthenem* & *Wolffium* pridem laudatos. Miracula quoque, quæ memorantur, pleraque valde ſuſpecta ſunt: adeo ad ſtabiliendas temporis ſuperſtitiones conſpirare videntur. Unum è plurimis exemplum eſto *Viſio Presbyteri cujusdam religioſi de terra Anglorum*, quam *Annales Bertiniani* memorant. Quo enim pertineant, clauſula oſtendit, quæ *ad ſtabiliendam ſanctorum interceſſionem* unice pertinet. *ad an.* 839. Inter maxime memorabilia, eſt interitus *Popieli Junioris*, *Poloniæ Principis* à muribus conſumti, cum uxore & liberis. Quod fatum Pater Popielus Senior ſæpe ſibi imprecatus erat. Sed filii ſcelera diras ultro attraxere. ex Patruorum enim, quos veneno ſuſtulerat, cadaveribus mures ultores enati feruntur. Hinc, poſt interregnum, Principatus tandem ad Piaſtum delatus eſt. *Alexander Guagninus rerum Polonicarum tomo* 1. *anno* 830. Eum Patri ſucceſſiſſe refert, fatumque ejus hoc carmine ſignat:

POPELVS SECVNDVS.

Dum timet hic regno pelli vir inutilis, & cum
Conjuge conſultat, quid male tutus agat;
Vim morbi ſimulat: patruos accerſit, & illis
(Viginti fuerant) toxica miſta dedit.
Orta cadaveribus vis murum erupit: & illum,
Uxorem, natos, undique dente petit:
Dilaniat, fruſtra medios fugiebat in ignes,
Fruſtra in Goplæas perfidus hoſpes aquas.
Diſcite juſtitiam, qui propter lucra paratas
Fertis, & exertas ad ſcelus omne manus.
Eſt Deus, eſt ſcelerum vindicta, eſt pœna malorum,
Unde putes minime poſſe venire, venit.

Adde *Henningem in Theatr. Geneal.*

Certatim etiam deſcribitur illud colloquium, quod ſuper exorto Cometa, Ludovicus cum Aſtronomo ſuo habuit: ilio ipſo nempe, qui *vitam ejus*, hactenus totiens laudatam, & in ea hanc hiſtoriam conſcripſit. Cordata fuit Aſtronomi reſponſio, cum Ludovico ſibi ab hoc ſidere metuenti, Propheticam vocem ſuggereret, quæ paganis, potius quàm veri Dei cultoribus iſtum conveni-re timorem dictat. Quo etiam rationes Philoſophicæ ſpectare
pag. 1163. & ſeq. comperiuntur, annotatæ præſertim *Cl. Gaſſendo in Meterologia Epicuri*; & in *Vita Peireskii* lib. 3, ubi Cometam hujus ſæculi anno 18. à Novembris fine in medium Januarium, conſpectum conſiderat. Cordata etiam Ludovici ſententia, qua ſolum Cometæ creatorem timendum, non dimittendas tamen pœnitentiæ occaſiones, his velut indiciis demonſtratas, excepit.

Ex And. du Cheſne tom. 2.

Epitaphium Ludovvici Regis & Imperatoris, filii Karoli Magni, qui jacet in Monaſterio S. Arnulfi Metenſis.

Rudi ſane carmine ſcriptum, quod auctori tamen, ut non levi argumento colligitur, acumine & eruditione eximium videri potuit.

IMperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à ſeclo conditur hoc tumulo,

Rex

Rex LODOWICVS pietatis tantus amicus,
Quod PIVS à populo dicitur & titulo.
Hildegard Soboles, Karoli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumelicum villam, quicquidve refertur ad illam,
Arnulfo ſancto contulit, huicque loco.
Stirps à quo Procerum, Regumque, vel Imperatorum,
Quorum muneribus ſiſtitur ille locus.

LOTHARIVS I.

Ludovici Pii, ex uxore Hermingarde, Saxonicæ ſtirpis, (juxta *Onuphrium.* Sed *auctor Vitæ Ludovici & Eginhardi Annales*, quibus potius auſcultandum videtur, *Ingrammi Andium Ducis filiam* faciunt.) filius primogenitus.

Annotatio Temporis.

NAtivitatis tempus non reperi; neque annos ætatis *Onuphrius* annotat. *Rabanus* tamen *Maurus*, ſexagenarium obiiſſe, teſtatur in *Epitaphio:*

Continet hic tumulus memorandi Cæſaris oſſa
LOTHARII *magni Principis, atque pii.*
Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipſis,
Omnia ſed ſprevit, pauper & hinc abiit,
Nam bis tricenos Monachus ſic attigit annos,
Et ſe mutavit, ac bene poſt obiit. II. Cal. Octob.

Itaque nativitas in annum 795. circiter inciderit. Imperavit poſt obitum patris annis 15. menſ. 3. d. 10. Supremum diem obiit III. Cal. Octobr. 855. Ita plerique, & meliores, *Chronicon breve Monaſterii S. Galli* 856. ponit. *Onuphr. lib. 3. Rō. Princ.*

Elo-

Elogium.

DIxit quidem *Rabanus* in Epitaphio *Pium* Lotharium; clauſulam vitæ reſpiciens, cum de tot impie factis pœnitentiam tandem profiteretur, & Monaſterio ſe abderet. Verum, omnem ejus vitam repetentibus, pietatis neſcio an aliqua, probitatis pauca ſe documenta offerent. Cumque raro meliora probaret, deterrima quæque pertendere concupivit; non niſi vi à conſiliis nullum aut infelicem exitum habituris abſtrahendus. Igitur, ſi quisquam, hic profecto fuit, qui ſuæ quemque fortunæ fabrum eſſe, ſuo exemplo declaravit. Chriſtiano more intelligi volo, quod dixi. Perſequebatur eum læſi Parentis optimi vindicta, ita factum eſt, ut, dum poſt maximum facinus neque rudis neque ſegnis ad audenda cetera ſibi videtur, pœnis ſe involveret pœnas pariturìs: donec in Monaſterium, quaſi omnibus Furiis exagitatus confugit, in quod Parentem Reipublicæ & publicis negotiis debitum, tanquam in carcerem perpetuum detrudere, ſumma vi contenderat. Imperium ambitione auſpicatus, dum augere majeſtatem conatur, minuit; & qui poterat obſequentes habere fratres, ſi juſta non negaſſet, arbitros ſibi imponit, non parum graves futuros, niſi mitiora prætuliſſent, pietatisque magis, quam ipſe fuit, memores extitiſſent. Feralem trium fratrum diſcordiam & arma Francorum nomini fatalia, juſſu Caroli, qui poſtea Calvus dictus eſt, deſcripſit *Nithardus* in quatuor libris. quorum primus antegreſſa exhibet. Vir fuit pius, prudens, pacis ſtudioſus, qui ab initia his turbis interfuit, ut belli periculis permixtus, ita inter proceres concordiæ ſanciendæ lectus. Fecit finem ſcribendi anno 844. Hujus hiſtoriæ nihil præferri poſſe, res ipſa, & comparatio pauculorum, ex quibus res hujus temporis petere cogimur, monumentorum ſatis oſtendit. Juniores enim, ex arbitrio quod ſibi quisque in ſerie rerum ordinanda perſuaſit, ſecurius plerumque perſcribunt. Plurimum decepti ſunt, qui Ludovicum cum Lothario adverſus Carolum conſpiraſſe, quaſi invidia melioris regni ab ipſo poſſeſſi, opinati ſunt: cum certiſſimum ſit, Lotharium, adverſus duos Fratres Ludovicum & Carolum, animis armisque conjunctos, bellum geſſiſſe. an & moviſſe? Videntur quidem *Annales Metenſes* Ludovico potius & Carolo principium diſcordiæ attribuere, tanquam inviden-

v. Paul. Petavii Syntagma de Nithardo Car. M. Nepote ex filia.

An. 840.

dentibus Lothario Imperatoriam dignitatem,& contra eum inſurgere parantibus. Quæ opinio etiam *Sigonio* impoſuit: & adhuc abſurdius, *Krantzio.* Sed longe major eſt *Bertinianorum Annalium* auctoritas, quorum narratio *Nithardo* plane conſentit, his verbis: *Lotharius, comperto genitoris* (Ludovici) *obitu, ab Italia Gallias ingreſſus, jura naturæ transgreſſus, Imperatorio elatus nomine, in utrumque fratrem, Hludovicum videlicet & Carolum, hoſtiliter armatur, & nunc hunc, nunc illum prælio impetit.* cujus rei veritatem *Regino*, *Sigebertus*, & ex Junioribus *Paulus Aemylius*, quem *Cuſpinianus* exſcribit, ſequuntur. *Aventinus* & *Mutius* miſcent non expediunt ſententias. Lotharius ergo, fratres regnis à Ludovico patre datis exturbare cupiens,primam ſpei fiduciam ex concurſu maximæ multitudinis cepit, quam comperto Patris obitu, dimiſſis quaqua verſum nuntiis, pollicitando, minandoque ſibi ex Italiâ lentius adventanti occurrere juſſerat. Tum divellendis fratribus aſtu uſus, Carolo quidem per legatos amicitiam ut fratri & filiolo (ita tum vocabant, quem aliquis ex ſacro baptiſmate ſuſceperat) ampliſſimis verbis pollicetur: adverſus Ludovicum autem infeſta mente contendit, quem, cum collatis apud Francofurtum caſtris incruento certamine opprimi non poſſe cerneret, imagine induciarum decipit; & in Carolum convertitur. Is per legatos (memorante *Nithardo*, qui cum Adelgario legatione ea functus eſt) religionis & ſacramenti, quo Pater fratres obligaverat, & neceſſitudinis, admonitum Lotharium impenſiſſime oravit, ut à Deo & Patre ſibi tradita concederet, fideque & obſequio fraterno, quatenus Primogenito deberetur, citra diſſidium uti vellet. Cum Lotharius ſe per ſuos reſponſurum, interſerens callide moram, ſignificaſſet, denuo rogatur quæſitiſſimis precibus à Carolo, cui Pipinus Pipini fratris filius in Aquitania negotium faceſſebat. Hæc enim fuit perſona, quæ adverſus Carolum toto hoc tempore, ſubinde in theatrum emittebatur. Sed Lotharius interitum quam concordiam fratrum præoptans, præmiſſis, qui ad defectionem à Carolo nobiles aliosque ſolicitarent, ipſe, ut ſolebat, lento itinere ſubſequitur; & apud urbem Aurelianenſem caſtra metatus, cum videret Carolum non minus bello, quam paci paratum, paciſcitur; & in Ludovicum denuo arma vertit. Neque minus interea pellexit homines Carolo fidos, aut oppreſſit; ac ditiones ejus variis artibus perturbavit.

de regn. Ital. 5. pr. Saxon. lib. 2. c. 27.

bavit. Transgreſſus autem cum exercitu Rhenum, Ludovicum transfugiis ſuorum ac metu nudatum, in Bajoariam ſe recipere compulit. Quem cum pro victo reputaret, denuo in Carolum iras & molitiones priſtinas inſtaurat. At huic Ludovicus, profli-
Lambert. Schafnab. Adelbertũ in magno illo prælio, quod poſtea accidit, ceciddiſſe, non recte putat. 841.
gatis ex itinere, quos Lotharius ei oppoſuerat, occiſoque Adelberto incentore diſcordiarum, ſuas copias conjunxerat. Ad quos cum Lotharius contractis undique auxiliis, Pipinoque aſcito, acceſſiſſet; Fratrumque preces & monita more ſuo eluderet, res ad cruentiſſimum illud prælium pervenit, quo VII. Kal. Julii apud Fontanetum Altiſſiodorenſis agri vicum, vires Francorum ita conciderunt, ut in poſterum ad tutanda ſua vix convaleſcerent. Ludovicus & Carolus non ſine multo ſuorum ſanguine victores, clementer victoria utendum rati, à perſequendis hoſtibus retinuerunt militem, mortuos humarunt, omnibus ſpem veniæ propoſuerunt, triduique jejunio publice celebrato luctum teſtati ſunt. Incautius deinde ſucceſſu uſi, Ludovicus Rhenum, Carolus Aqui-
Nithard. lib. 3.
taniam petierunt. Ita ſpatium fuit Lothario reparandi belli; cujus impetum Ludovico primum fruſtra minatus, poſtea apud Pariſios in Carolum effundere conatus; non procedentibus ex voto rebus, ſpeciem pacis iterum oſtentat: Pipini cauſſam ſe deſerturum pollicitus, ſi Carolus à Ludovico ſua conſilia ſejungeret. Quod, cum Carolus fide ſua indignum duceret, diſceſſum eſt. Profecto dehinc Aquitaniam verſus Lothario, ad Pipinum ſibi adjungendum, cum Carolus in Gallia res uti tempus ſinebat, ordinaſſet, ad Ludovicum Fratrem feſtinans *Eliſazam* (Alſatiam) *&* *Zabarnam* (Tabernas vulgo vocant) venit: conjunctique Fratres *in civi-*
lib. 3.
tate (refero *Nithardi* verba) *quæ olim Argentaria vocabatur, nunc autem Strazburg vulgo dicitur, Sacramenta, Ludovicus, Ro-*
842.
mana, Carolus vero Teudiſca lingua juraverunt. Mittuntur iterum Legati ad Lotharium, quos conſpectu ſuo prohibet: novaque belli mole in fratres comparata, Moſellæ tranſitu eos arcere contendit. Tandem, hoc quoque gradu depulſus, & Aquiſgrano fugatus, de pace agi poſtulat. Quæ hoc anno tentata, inſequen-
843. *Viroduni*
te perfecta eſt, diviſis optimatium (quadraginta quilibet Fratrum miſerat) arbitrio Regni partibus. Quas illa tractatio difficultates habuerit, *Nithardus* explicavit diligentiſſime; cujus tamen hiſtoria extrema parte mutila ad nos pervenit. *Annales Bertiniani*

ani ita diſcribunt : *Diſtributis portionibus Hludovicus ultra Rhenum omnia, intra Rhenum vero Nemetum, Vangium & Moguntiam civitates pagoſque ſortitus eſt. Lotharius inter Rhenum & Scaldem in mare decurrentem, & rurſus per Camaracenſem, Hainnaum, Loëmſem, Caſtritium, & eos Comitatus qui Moſæ citra contigui habentur, usque ad Ararem Rhodano influentem, & per deflexum Rhodani in mare, cum Comitatibus ſimiliter ſibi utrimque adhærentibus. Cetera uſque ad Hiſpaniam Carolo ceſſerunt.* Merentur adſcribi etiam *Annalium Metenſium* verba. *Et Carolo quidem Occidentalia regna ceſſerunt, Ludovico vero Orientalia, ſcilicet omnis Germania uſque Rheni fluenta. Porro Lotharius, quia major natu erat, & Imperator appellabatur, medius inter utroſque incedens, Regnum ſortitus eſt, quod hactenus ex ejus vocabulo Lotharii nuncupatur, totamque Provinciam, nec non & omnia Regna Italiæ cum ipſa Romana urbe.* Pipini in hac diviſione nullam mentionem faciunt. Fortaſſe ob judicium Patris Ludovici Pii, à quo præteritus fertur. Certe, quæ ſecuta ſunt, monſtrant, Carolum Aquitaniam & priſtino & hujus diviſionis jure ſibi vindicaſſe, & Pipinum res ſubinde novantem pro rebelli habuiſſe. Manſit poſt hæc plures per annos concordia; niſi quod inter Lotharium & Carolum ſuſpiciones ex nova cauſſa coortæ de ſincera charitate aliquid delibarunt. Gislebertus quidam Caroli miles filiam Lotharii raptam in Aquitania ſociavit ſibi matrimonio. Quamquam autem Carolus, per ſe & Fratris Ludovici opera, ſe inconſcio & improbante id factum à Gisleberto, apud Lotharium teſtaretur, non potuit tamen is ſtatim pacari. Hinc vero ſimile eſt, ejectum à Carolo Gislebertum, ad Ludovicum ſupplicis ritu confugiſſe: quoniam *Annales Metenſes* memorant; *Ludovicum Legatos ad fratrem ſuum Lotharium pro Gisleberto, qui eodem anno ad fidem ejus venerat, reconciliationis gratia direxiſſe.* Non fruſtra, ut puto. Inſequente enim anno, memorant *Annales Bertiniani*, *Hlotharium & Carolum ſanioribus uſos conſiliis, in pacem germanamque concordiam rediiſſe.* Subinde orta inter Ludovicum Germaniæ Regem & Carolum diſcordia, annitente Lothario, ægre quidem, ſed componitur. Videtur tamen manſiſſe occulta aliqua ſimultas, donec morbo Lotharii comperto, *occaſio* iis *data eſt ad concordiam* accuratiorem *redeundi.* Verum redierunt poſt id tem-

Annal. Metenſ. an. 846 *& ſeq.*

ann. 848.

an. 849.

Bertin. Annal. an. 853. *&* 854.

Iid. an. 855

pus & fatales diſſidiorum vices, de quibus ſuo loco. Lotharius, pravorum pariter conſiliorum &, quæ his comitari ſolent, infortuniorum tandem pertæſus, Ludovico filiorum natu majori, qui pridem Rex Italiæ conſtitutus, & conſecratus erat, Imperatorium nomen; Lothario cognomini, regnum hoc ipſo vocabulo dictum; Karolo Provinciam attribuit: ſeque ſex circiter ante obitum diebus in Prumienſe Monaſterium abdidit.

Annal. Met. 855. Male *Krantzius in Saxon.* 2, 27. annos 8. monaſticæ vitæ tribuit.

Status Reipublicæ ſub Lothario.

TRiſtis ſane hîc dicendorum exoritur ſeries. Si ad *Fines Imperii* reſpicimus, extrema dehoneſtantur, Normannisque & Saracenis præſertim in prædam cedunt. Neque ſatis eſt, extrema nominare. Interiora quoque diviſui & direptui habentur. Adeo verum eſt: civilia arma neque parari neque haberi per bonas artes. Quod enim dictu grave & pudendum eſt, ipſi Principes, dum nullum auxiliorum genus in adverſarium armare verentur, attraxere Imperio mala omnibus Annalibus erubeſcenda. *Lodharius* enim (utor verbis *Nithardi*) *Nortmannos cauſſa ſubſidii introduxerat, partemque Chriſtianorum illis ſubdiderat: quibus etiam, ut ceteros Chriſtianos deprædarent, licentiam dabat.* Neque immunis ab ejusmodi conſiliis Carolus fuit. Explicabunt hoc amplius *Annales Bertiniani*; & *Chronicon de geſtis Normannorum in Francia*; itemque *Chronici Fontanellenſis Fragmentum.* Nimirum cum ſub Ludovico, à filiis exagitato, nudum Imperii latus patuiſſet, invitaſſetque non bellicoſos minus, quàm æmulos vicinos; factum eſt, ut *Dani Suecique, quos Theutiſci* Nortman, *id eſt, Aquilonares appellant, ſua habitationis finibus egreſſi, jam per viginti* (amplius) *annos omnem oram maritimam incendiis, rapinis, omnique crudelitatis genere afficerent,* ſicut ad ann. 853. hæc ex *veteri Chronico* verba *Petavius* adfert. Addenda ſunt omnino, quæ *Paulus Æmylius* ab initio Caroli Calvi habet. Domi quoque non ſacris profanisque diſcrimen, non fides, non mos aut diſciplina inter fraternas acies. Sciſſi in partes populi, & ad fatale nefas, varie inducti. Ampliſſimæ Saxonum nationes à Carolo M. pacatæ, & religione Chriſtianâ imbutæ, magna tamen pars paganiſmi nondum immemores, libertate veteris impietatis, proh dedecus! tan-

lib. 4.

an. 841. *&c. ap. Andr. du Cheſne tom.* 2. *p.* 524. *& p.* 587.

an. 833.

in Syntag. de Nith. lib. 3.

tanquam pretio, in arma trahuntur. Cumque tribus generibus hominum diſtinguerentur Edhilingis (Etlidos vocat *Chronicon vetus*) Frilingis, Lazzis (qui ſervorum conditione erat) *pars illorum, quæ nobilis inter illos habetur, in duabus partibus in diſſenſione Lodharii ac fratrum diviſa, unaque eorum Lodharium, altera vero Lodhuvvicum ſecuta eſt. His ita ſe habentibus, cernens Lodharius, quod poſt victoriam fratrum, populus qui cum illo fuerat deficere vellet; variis neceſſitatibus aſtrictus, quocumque, & quomodocumque poterat, ſubſidium quærebat. Hinc rem publicam in propriis uſibus tribuebat; hinc quibusdam libertatem dabat, quibusdam autem poſt victoriam ſe daturum promittebat. Hinc in Saxoniam miſit, Frilingis Lazzibusque, quorum infinita multitudo eſt, promittens, qui ſecum ſentirent, ut legem, quam anteceſſores ſui tempore quo idolorum cultores erant, habuerant, eandem illis deinceps habendam concederet. Qua ſupra modum cupidi, nomen novum ſibi, id eſt Stellingua impoſuerunt: & in unum conglobati, dominis è regno pene pulſis, more antiquo, qua quisque volebat lege vivebat.* Quid hoc aliud erat, quam Acheronta contra cælum movere? Itaque *Annales Bertiniani* vehementi querela hoc conſilium non immerito deteſtantur. In monaſteriis quoque, & dignitatibus Eccleſiaſticis omnia perturbabantur. Si quis hunc fratrem ſequebatur, ab altero dignitate ſpoliatus, ſucceſſorem accipiebat. Cujus generis exempla *Nithardus* ponit: & *Ratpertus Monachus S. Galli* in hæc verba hiſtoriam talem veluti clauſula finit: *Quare contigit, ut ſicut regna, ita & monaſteria diverſis erroribus atque laboribus quaterentur.* Ne dicam de facinoribus civilium armorum reliquis. Quam corrupta fuerit omnis diſciplina, vel iter Ludovici Lotharii filii in Italiam, demonſtrat: quo nihil ſolutius omnique genere licentiæ fœdius. adeo etiam in pace bellorum flagitiis non abſtinebatur.

verba ſunt Nithardi lib. 4.

ad an. 841.

ap. Goldaſt. Alem. rer. tom. 1. part. 1.

844. v. Bert. An.

Hoc autem eſt illud tempus, quo *Imperium Francorum vere in partes diviſum* eſt. Licet enim ſub Carolo quoque Magno, & Ludovico Pio, plures eſſent Reges: ſumma tamen rerum unus potiebatur, qui aſſumto quidem libera voluntate Socio Imperii libere ceteris, quæ publica utilitas poſtulabat, poterat. niſi quamnus ſcelus filiorum Ludovici adverſus Patrem juris illius harmoniam conturbavit. Nunc penitus tria regna, ex omni tracta-

tus publici formula obſerves licet. Quicquid ergo ſub tribus his Principibus communi nomine geſtum reperitur, ut à ſociis fœdere, amicitiâ, pacto junctis proficiſci deprehenditur. Fraternæ caritatis neceſſitudinem, emendationem lapſi in deterius ſæculi, in ſuo quisque regno, poſtquam ea de re collocuti eſſent, promiſerunt.

Bert. Ann. 844. Extat etiam inſtrumentum ejusmodi pactionis in *Annalibus Bertinianis*, propriorum nominum *monogrammatibus* confirmatæ:

an. 851. in qua Procerum, præſertim Eccleſiaſticorum conſilio id agitur, ut omnium anteactorum oblivio, ſanciatur, nova diſcordiarum ſemina evellantur, præſertim non receptandis perfugis & facinoroſis de uno regno in aliud procurrentibus; diſciplina moris publici reſtituatur. Illuſtria ſunt verba *capitis VII*, ſummatim rem complexa: *Ut ſic ſimul conjuncti, & nos fratres ad invicem & nos cum fidelibus noſtris, & fideles noſtri nobiſcum, & omnes ſimul cum Deo nos reconjungamus, & ut nobis ſit propitius, illi pro devoto munere offeramus, ut unusquisque omnium noſtrum absque ſua propria excuſatione, aut juſtificatione recognoſcamus, in quibus aut ſingulatim aut communiter contra illius mandata & decreta ſuorum fecimus aut conſenſimus in ordine Eccleſiaſtico & ſtatu regni.* & quæ ſequuntur.

Addantur *Acta conventus duplicis Trium fratrum apud Marsnam* ann. 847. & 851. apud *Andr. du Cheſne.* Fraterni ejusmodi & fœderati conſenſus ſpecimen habuit etiam Legatio illa, qua *Regi Danorum Oric denuntiaverant, ut ſuos Chriſtianorum infeſtationibus cohiberet; ſin alias* (aliter) *bello ſe impetendum nullatenus dubitaret*, ut eſt *in Annal. Bertin.* *an.* 847.

Leges Lotharii, & quædam, addito Ludovici II. filii, quem conſortem Imperatorii nominis fecerat, titulo, habentur in *Tomis Conſtitutionum Goldaſti.* Cum hoc Ludovico II. Lotharii filio, non confundi debet *Ludovicus* Latharii frater, quem itidem II. appellare ſolent. Ille enim Rex Francorum per Germaniam, ſive Rex Germaniæ, in diviſione illa, quasdam leges ſuo nomine tulit, itidem *Goldaſto* collectas. quædam ſuo & fratris Calvi nomine conſtituit. Hic Ludovicus, in comitiis Erfurtenſibus, ju-

lib. 4. dicia ordinavit; legem Advocatis dedit; quam explicat *Aventinus.* Caroli Calvi conſtitutiones, præter *Goldaſti* induſtriam, collegit

tom. 2. *Andreas du Cheſne.* ſed nunc illæ tantum huc pertinent, quas non-

nondum Imperator fecit, partim ſolus, partim fratris, quem dixi, aſcito nomine; partim filiorum fratris Lotharii, ſcilicet Lotharii Regis Auſtraſiæ, Caroli Regis Provinciæ. quibus pater has ſui Imperii partes dederat.

Comitiorum ergo tantus ſplendor & amplitudo, ſicut ante, cogitari nequit: Rege unoquoque ſuos tantum convocante. niſi quod rarius unus & alter in commune conſultarunt. In conventu Aquisgranenſi ſtatim poſt cladem Lotharii, Epiſcopos de Regno & Regibus judicaſſe, & Lotharii regnum hæreditarium in Ludovicum & Carolum tranſtuliſſe, jactitat *Baronius*, magnificentius quam verius, ſicut *Nithardum* (*pr. lib.* 4.) inſpicienti patet. Ludovicus enim & Carolus Epiſcoporum ſententiam de jure belli & victoriæ requirebant, nihil ultra. Poſtea quoque congreſſus ille 120. Procerum, nihil habuit juris Ariſtocratici: Erant enim ut Legati, mandatis aſtricti, & ex ſui quisque Principis voluntate omnia agebant. In duplici quoque illo ipſorum Regum apud Marsnam, ſecus municipium Trejectum congreſſu procerum non alia quam ſuadendi auctoritas fuit. Cetera ipſius fœderis, de monarchica Regis cujusque poteſtate teſtantur: obſtrictis omnibus fidelibus civibus & Regnorum Primoribus, ut in iis quæ ad *reſtitutionem Eccleſiæ, & Statum* Regni, *& ad honorem* Regium *atque pacem populi pertinent, non ſolum non ſint* Regibus *contradicentes & reſiſtentes ad iſta exequenda; verum etiam ſic ſint nobis fideles & obedientes, ac veri adjutores atque cooperatores vero conſilio & ſincero auxilio ad iſta peragenda, ſicut per rectum unusquisque in ſuo ordine & ſtatu ſuo Principi & ſuo ſeniori eſſe debet.* Promittunt ſimul Reges, ſibi propoſitum eſſe, mores emendare, juſtitiam conſervare, deſideria & conſilia ſuorum audire, juraque & ſtatum Regnorum, qualis fuerit *præcipue temporibus Avi Patrisque ſui* (Caroli M. & Ludovici Pii) obſervare. Quæ temporum deſignatio, prorſus cum exceptione rebellii & confuſæ reipublicæ, exaudiri debet. Quam enim, (ut exemplo res declaretur) abſurde faceret, qui ex eo, quod Conciliabulum illud egit, cum ſacrilego auſu Ludovicus Pius eſt depoſitus, probatum iret, fuiſſe Regem Concilio obnoxium; ſive Concilium habuiſſe poteſtatem in ipſum Regem? Videmus tamen aliqua ejus generis jactari. τὰ δ᾽ ἄῤῥητ᾽ ἀμείνω. Hoc qui-

Convent. 2. capitulo 6.

Convent. 1. capit. 5. ad- de Annunciationes Lotharii & Caroli apud Leudicam, an. 854. c. 3.

quidem deprehendimus, Reges ſubinde res ad ſuum honorem pertinentes, Concilio Procerum dijudicandas dediſſe. ſed inde à Carolo Magno, Concilii poteſtatem in ipſos Reges αὐτόδικον fuiſſe, nondum vidi, quod evinceret. Conferri debent Capitula aliorum *Congreſſuum, ad Valentianas* 853; *apud Attiniacum* 854; *apud Leudicam* anno eodem; ubi duo tantum Fratres Lotharius & Carolus cum ſuis Primoribus convenerunt.

cap. 8. *Judicii ſingularis,* mentio fit in Capitulis Marsnenſis Conventus ſecundi: quomodo judicandi ſint Proceres cujusque Regis, ſi quis eorum pactioni inter Reges factæ contraire auderet. Ponam ipſa verba: *Et ſi aliquis de Senioribus* (nam de ſubditis ceteris præceſſerat) *de hac convenientia* (pacta conventa intelligit) *exierit, aut ſe retraxerit, vel huic communi decreto, quod abſit, contradixerit, cum plures ſeniorum noſtrorum fideles & Regnorum primores in unum convenerint, eorum qui hac obſervarint ſeniorum conſilio, & Epiſcoporum judicio, ac communi conſenſu, qualiter de eo qui debite admonitus incorrigibilis perſeveraverit, agendum ſit, favente Domino decernetur.* De

ad an. 844. Bernardo illo Comite ipſa ponam *Annalium Bertin.* verba: *Bernardus Comes Marcæ Hiſpanicæ, jamdudum grandia moliens, ſummisque inhians, majeſtatis reus Francorum judicio, juſſu Caroli capitalem ſententiam in Aquitania ſubiit.*

De *ſucceſſione in Regno,* tam clara ſunt, quæ Fratres magno conſenſu ſtatuerunt, ut hæreditaria transmiſſio à nemine in dubium vocari poſſit. Conſtitutum eſt, inquam, *congreſſu Marſnenſi primo,* ut unusquisque Principum, hæreditatem regni ex diviſione facta ſibi competentis, in liberos optimo jure transmitteret. Ver-

cap. 9. ba ſunt: *Ut Regum Filii legitimam hæreditatem regni ſecundum definitas præſenti tempore portiones poſt eos retineant, & hoc quicunque ex his fratribus, ſuperſtes fratribus fuerit, conſentiat, ſi tamen ipſi nepotes patruis obedientes eſſe conſenſerint.* Quod de obedien-

Ann. 854. tia additur, puto ad annos tutelæ ſpectare. de quibus eſt, in *Annunciationibus* (promulgationes publice fieri ſolitæ intelliguntur) *Lotharii & Caroli apud Leudicam* capitulo Karoli IIdo: *& ſi aliquis pari ſuo* (Fratri confœderato) *ſuperſtes extiterit, ipſe qui remanſerit nepotes ſuos una cum regno Patris ſub tuitione & defen-*

ſione

ſione habeat: *ut contra adverſantium machinationes auxiliante Deo ita muniti exiſtant, qualiter quieto ordine Regnum patris obtinere valeant.* Et jam ante *Hlodovvicus & Carolus germana caritate convenientes, tanto fraterni amoris vinculo devincti patuerunt, ut alter alteri baculos publice tribuendo, Regum uxores & liberos ſuperſtiti commendaret. Annal. Bertin.* 849. non duraturo tamen vinculo, ob renatas diſcordias.

Ex hoc igitur tempore *Regnum Germaniæ* ſive Francorum Orientalium, à Francis Occidentalibus, penitus diſtingui cœpit: ita ut hæreditate in poſteros propagari poſſet. De qua re in poſterum dicendi locus erit.

Lotharingiæ quoque Regnum hac occaſione ortum; vel à Lothario Imperatore, cui in ſua portione hoc obvenerat; ſive à filio ejus Lothario, Regnum Lotharii dictum eſt. A patre appellationem arceſſit *Regino.* Ita etiam *Marianus Scotus: Ab hoc* *lib.2.ad an.* *Lothario, inquit, regnum Lotharingum hactenus nominatur.* Ita *842.* *Sigebertus ad ann.* 844. adde Chronicon *Laureshamenſe.*

An adjiciam, quod de *Ludis* Ludovici & Caroli Regum, cum adverſus Lotharium Fratrem conjunctiſſimè agerent, *Nitardus* annotavit? Forte habebunt inde occaſionem cogitandi, *fine libri 3.* qui ludicras pugnas Germanorum, mirari & deſcribere amant. Ita autem ille: *Ludos etiam hoc ordine ſæpe cauſſa exercitii frequentabant. Conveniebant autem quocunque congruum ſpectaculo videbatur, & ſubſiſtente hinc inde omni multitudine, primum pari numero Saxonorum, & Waſconorum, Auſtraſiorum, Britannorum, ex utraque parte, veluti invicem adverſari ſibi vellent, alter in alterum veloci curſu ruebat. Hinc pars terga verſa protecti umbonibus, ad ſocios inſectantes evadere ſe velle ſimulabant. At verſa vice, iterum illos, quos fugiebant, perſequi ſtudebant: donec noviſſime utrique Reges cum omni juventute, ingenti clamore, equis emiſſis haſtilia criſpantes exiliunt, & nunc his, nunc illis terga dantibus inſiſtunt. Eratque res digna pro tanta Nobilitate, nec & moderatione. Non enim quiſpiam in tanta multitudine ac diverſitate generis, uti ſæpe inter pauciſſimos & notos contingere ſolet, alicui aut læſionis aut vituperii quippiam inferre audebat.*

Excerpta de rebus geſtis.

DE rebus Ludovici Germanici & Caroli Franciæ Regis, ad tempora Ludovici II. Imperatoris ſummatim annotabitur.

Amiſit his temporibus Aquisgranum de præcipuis ſuis ornamentis aliqua. De qua jactura *Annales Bertiniani* ita loquuntur : *ad an. 842.* *Lotharius inopinato fratrum adventu territus, ceſſit, ſublatiſque cunctis ab Aquiſgrani Palatio, tam Sanctæ Mariæ quàm regalibus theſauris, diſco etiam miræ magnitudinis ac pulchritudinis argenteo, in quo & Orbis totius deſcriptio, & aſtrorum conſideratio, & varius planetarum diſcurſus, diviſis ab invicem ſpaciis ſignis eminentioribus ſculpta radiabant, particulatim præſciſo, ſuiſque diſtributo, à quibus tamen, quamvis tali mercede conductis, per contubernia turmatim deſerebatur.* Mentio fit talis menſæ in Teſtamento Caroli Magni apud *Eginhardum.*

Inter maxima damna, quæ his temporibus accepit Carolus Franciæ Rex, haud dubie numerari debet illa clades, qua *Pipinus Pipini quondam Regis filius eos profligavit*, qui ad Carolum Toloſæ obſidioni intentum properabant. *Annal. Bertin. ad ann. 844.* *Qua inopinata congreſſione Hugo Presbyter & Abbas Caroli M. filius, & Richboto Abbas nepos Caroli M. ex filia ; Eckardus & Ravanus Comites cum pluribus aliis interfecti ; capti vero Ebroinus Pictavorum Epiſcopus, Ragenarius Somarobricæ Ambianorum Epiſcopus, & Lupus Abbas, ac filii Eckardi Comitis duo : item Lokardius* (ſ. Leutharius) *Guntardus, & Richuinus, Comites : Engilvvinus etiam, aliique non pauci Nobilium.* Idonea clades, ex itinere.

Jam in morem venerat, in partem Regnorum recipere, qui armis propulſari non poterant. Ita Lotharius Roricho nepoti Herioldi *Doreſtadum, & alios comitatus largitur.* *Ibid. an. 850.* Ita poſtea Godefridus Herioldi filius pactionibus quibusdam à Carolo *853.* conciliatur. Qui duo, *maxima* ſubinde *parte Friſiæ potiuntur.* *855.*

Conſtantinopolitani Imperatores.

DE *Theophili* imperio biennium fere in hæc tempora congruit.

Huic

Huic ſucceſſit Filius, MICHAEL III. cui viginti & quinque ni tribuuntur à *Zonara*. Et annis quidem XIV. prioribus Theora mater egregie moderata eſt imperium; adjutoribus Maele & Theoctiſto, quibus veluti tutoribus vita decedens Pater, i ætatem commendaverat. Sed diſcordia inter eos orta, Bar- fratri Theodoræ occaſionem præbuit, & ipſos & Theodoram ertendi. Manuele enim aula digreſſo, Theoctiſtus occiditur, ellexit Theodora exemplum, & cum imperio calculum poſuit, entibus theſauris Filio demonſtratis. Antequam dignitatem e abdicaret, Bulgarica pace illuſtrem meruit famam: partim erosa voce Bulgarorum Principi ſiniſtra conſilia exprobrando, el vinceret fœminam; vel à fœmina vinceretur; partim ocionem Chriſtianæ religionis ad Bulgaros propagandæ ſuppedido. Inſequentibus XI. annis Michaël ſtultitia, vecordia, proalitate Imperatorem egit. Iners belli; magnisque cladibus Agarenos affectus; niſi quatenus Petronas avunculus paulum reſſit victores. Aurigis, mimis, hiſtrionibus adeo deditus, de Saracenorum incurſione inter aurigandum interpellantem tonotarium Dromi, cum convitio rejecerit: atque ne ſuis icris moleſtia crearetur, ignes diſpoſitos, quibus Saracenoi adventus ſubito ſignificabatur, ſuſtulerit. Affectatione ciatis, contemtibilis: profaniſſimis ſacris fœde deditus; ſubinobilitate crudelis, cum non Bardam modo, cui diu ſe, quois vellet, agitandum permiſerat, interimi curaret; ſed pauoſt Baſilium Macedonem, tam inconſulte vellet dejicere, n extulerat. Ita præoccupatus miſera cæde contrucidatur, Maji, anno 867. Adde *Cedrenum*.

Externa Imperia & Dominationes.

Saracenis adhuc Muhamat occupat hoc tempus. *Mauron Piratæ per Rhodanum prope Arelatum delati, cuncta paſ- lepradati impune, oneratis navibus regreſſi ſunt.* Eodem an- *An. Bertin.* 842. i Italia Beneventanis inter ſe diſſidentibus, Saraceni ex A- acciti in auxilium, adverſus ſuos invitatores invaleſcunt,

 captis

captis plurimis civitatibus. Subinde Tiberi Romam aggreſſi,
Ibid. 846. Baſilicam Petri extra Urbem ſpoliant, atque ſe in monte centum ab Urbe millibus ſito communiunt. Qui Pauli Baſilicam aggreſſi ſunt, eos Campani oppreſſerunt. Adverſus Saracenos hos infeliciter ceſsêre, quæ Lothariani quidam, ipſeque Lotharii filius conatus eſt. Ita plenius *Annales Bertiniani*, quam *Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi*, unde *Baronius* deſcribit. *Iidem Annales* mox
847. aliam manum Saracenorum Beneventum invaſiſſe, & uſque ad Romana confinia pervagatam eſſe; priores autem illos prædatores, cum redire domum pararent, naufragio cum ipſis theſauris periiſſe tradunt. Iterum deinde Lunam deprædantur: Roma-
849. niſque imminent, qui deſtitui ſe apud Lotharium conqueruntur.
853. In *Sicilia* Saraceni pro lubitu dominantur: neque ad eos expellendos Michaël Imperator niſi inani conſultatione quicquam movet. De incurſionibus in Illyricum & Dalmatiam videatur *Chronicon Saracenicum Wolfgangi Drechsleri*, cujus tamen calculus Chronologicus cum vetuſtioribus monumentis non convenit.

Hiſpanorum chronologiam qui Scriptores quomodo ordinent, in Ludovico diximus. Quos fere reliqui omnes hactenus
Chronic. Hiſpan. ſecuti ſunt. Quod ſi autem cum *Baronio Ambroſium Moralem* potius velis audire, *Ranimirus* de quo dictum, anno demum 850. deceſſu ſuo *Ordonio* regnum reliquerit. Saracenorum Rex Cordubenſis Abdirhaman Chriſtianos, Judæis præſertim Proditoribus & emiſſariis uſus, ubique perſequitur. cum Carolo tamen
847. Calvo Franciæ Rege per legatos amicitiam firmat. Barcinonæ in Hiſpanico limite inquietius fatum fuit. Cum enim Carolus, Co-
Annal. Metenſ. 844. mitem ejus Bernardum, in Ludovici quondam aula potentem, ſubito occidiſſet nihil mali ſuſpicantem: filius ejus Wilhelmus dolore & vindictæ cupiditate ſtimulatus, *Barcinonam cepit per*
Fragment. Chron. Fontanellenſis, 849. *dolum, expulſo Aledranno cuſtode illius urbis & limitis Hiſpanici.* Poſt biennium, ut habent *Annales Bertiniani*, Mauri Barcinonam Judæis prodentibus capiunt; interfectisque pæne omnibus
852. Chriſtianis, & urbe vaſtata impune redeunt.

In *Anglia* Egberto patri ſucceſſit *Ethelvulſus* 837. qui Imperium tenuit uſque ad 857. Multa à Normannis late graſſantibus perpeſſus, & fortaſſe amiſſurus omne regnum, niſi Alſtanus Epiſcopus Regia munia impleviſſet; ſicut Swithunus in Eccleſiaſticis

cis ſedulam navavit operam. Hinc illa liberalitas Regis in ericos, & Romanum Pontificem; ad quem ivit ipſe, anno vel 4. vel 855. ut Annales potiores habent. ut mirum ſit, *Baroni-u* duplicare quodammodo ia iter, & 847. etiam ponere, ac 855. petere. In hoc itinere à Carolo Calvo multis affectus eſt ho-oribus. Itaque Roma redux anno 856. Juditham Caroli filiam orem ſecum in Angliam duxit. *Annal. Bertin.* annis, quos di-. Quibus addendus eſt, *Matthæus Weſtmonaſterienſis ad ann.* 4. *Wil. Malmesbur. de geſtis reg. Angl. lib. 2. cap. 2. Acta Coro-tionis Reginæ hujus ap. Andr. du Cheſne t. 2. p. 423.*

De *Scotis* hæc annotant *Annales Bertiniani ad ann.* 847: *Scot-à Normannis per annos plurimos impetiti, tributarii efficiuntur: ſulis circumquaque poſitis nullo reſiſtente potiti immorantes.* An-o inſequente 848: *Scotti ſuper Nortmannos irruentes auxilio Do-ini noſtri Jeſu Chriſti victores, eos à ſuis finibus propellunt. Un-e & Rex Scottorum ad Carolum pacis & amicitiæ gratia Legatos um muneribus mittit, viam ſibi petendi Romam concedi depoſcens.* butitur Scotorum nomine, pro Anglis. Scotorum enim Rex oc tempore Kennethus II. Romam iviſſe non compertus eſt.

In *Suecia*, ſi chronologiam *Jacobi Gislonis* ſequimur, *Hero-us* ab anno 842. ad 856. imperat. *Johannes Magnus*, initia ejus *lib.* 17. *c.* 5. d Ludovici Pii tempora refert. Hujus gravia cum Regnero Da-iæ Rege de finibus, & præſertim de Scania, bella memorantur. Quibus ſopiendis Regnerus Sueci Regis filiam Thoram in matri-onium petiiſſe; eamque non niſi duobus imanibus anguibus aut rſis occiſis, impetraſſe putatur. Quæ ad fabularum potius ſua-itatem pertinere videntur. Adeo nihil eſt in *Saxonis* præſertim *lib.* 9. arratione (qui tamen vetuſtior hujus rei auctor eſt) quod ulli ominum non inſipido, veri ſimile videri queat.

Regneri Danici legislatio inprimis etiam commendatur. Exer-uerunt eum bella civilia, cum Haraldo: ſicut ipſe exteras na-iones, dimiſſis Ducibus navibusque paſſim infeſtavit. De qua e ſatis ante dictum eſt. Memoratis ſcriptoribus addendus eſt *Cl. Loccenius in Hiſt. rer. Suec. & Iſac. Pontanus.* Cujus ſi calcu-um probamus, Regnero, *Sinardus* à ſerpentino oculo nomen deptus, & *Ericus* ſucceſſerint, Lothario Imperante.

Eccleſiaſtica.

IN Eccleſia occaſione bellorum civilium, multi indigni ad munera ſacra admoti ſunt. Eccleſiaſticæ autem & civilis functionis occupationes permiſceri atque confundi, apud plurimos non nunc demum cœptæ. In Sanctis colendis, reliquiis requirendis, transferendiſque; miraculis confingendis, non ſegniter profecit ætas.

Pontificatum Romæ geſſerunt I. *Sergius II.* ab anno 844. per annos 3. m. 2. d. 3. Hunc antea Os Porci dictum; indeque occaſionem & principium mutandi Pontificibus nomen, memorant, *Wernerus Rolevvinckius, Chronicon Belgicum magnum, Scotus*, aliique magno conſenſu. neque negat *Platina.* Hic Sergius cum Gregorio IV. ſuffectus eſſet, *ad ejus electionem confirmandam Ludovicum filium Imperatoris Lotharii, à patre miſſum, Sigebertus Gemblacenſis* refert. Qui propterea *Baronio ſchiſmaticus* audit, quaſi *in gratiam ejus cui inhæſerit contra Pontificem, Schiſmatici Imperatoris pro animi libitu* iſta ſcripſerit: cum *Ado Viennenſis* dicat, ideo Romam miſſum Ludovicum, *ut Imperatoris nomen ſortiretur.* Hîc ante omnia ſuſpicio ſchiſmatici demenda eſt *Sigeberto.* Quid enim dicet Cardinalis, ſi *Annales Bertiniani* vetuſtiſſimi, idem, quod Sigebertus, explicatius graviuſque aſſeverant? An illorum quoque auctor ſchiſmaticus? certe ſchiſmatico Imperatori nemini adhæſit. Ita autem ſe habet illa narratio: *Gregorio in ſede Apoſtolica ordinato, Lotharius filium ſuum Hludovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Epiſcopo dirigit acturos, ne deinceps decedente Apoſtolico, quisquam illic* PRÆTER SUI IUSSIONEM, MISSORUMQUE SUORUM PRÆSENTIAM, *ordinetur Antiſtes.* Jam *Imperatoris* nomen non accepiſſe tum Ludovicum, *iidem Annales*, ita ediſſerunt: *Peracto negotio* (cujus cauſſa ſcilicet venerat Ludovicus) *Hludovicum Pontifex Romanus unctione in* REGEM *conſecratum cingulo decoravit.* Et quidni *Baronius* Adoni *Anaſtaſium* ſuum præferat, quem in hac ipſa hiſtoria teſtem laudat? Is certe *Regem Longobardorum* coronatum eſſe Ludovicum, diſertis verbis profitetur. *Imperator* autem diu poſt, Romæ conſecratus eſt, agnoſcente *Onuphrio* & pleriſque aliis. Ut iterum parum, vel Anaſtaſii, vel veritatis memorem ſe præbeat *Baronius*, cum *ad annum* 871. citra omne argumentum aut teſtimonium, illam coronationem fingit, factam eſſe, ut Ludo-

ad an. 844.
tom. 10. ad ann. eund. §. 5.
ad an. 844.
§. 8.
§. 49.

Ludovicus declararetur *Rex Francorum, legitimus Lotharii Regis, ejus germani defuncti ſucceſſor.* Putidum ſit, iſta refutare. Ceterum Sergii Pontificis callidum & audax illud factum, quo Ludovicum juvenem, improviſa interrogatione, ab ingreſſu templi abſtinuit, donec amici animi fidem faceret, mirifice deprædicant, qui omnia Pontificum facta, *Anaſtaſio* tradita, pro miraculis habent. II. *Leo IV.* ſequitur, Pontifex annorum 8. m. 3. d. 6. Ædificator hic fuit; & 847.
urbi Leoninæ à ſe extructæ nomen dedit. Victoria quoque ejus Saracenica celebratur, ab *Anaſtaſio*, quem *Baronius* deſcribit. Profe- *ad an.* 849.
ctum Romam Lotharium, inquiſiviſſe in hujus Pontificis conſilia (quod res novas moliri diceretur) fatetur *Platina.* Quod hic Leo Imperatori Lothario & Ludovico filio conſorti Imperii, ademerit jus eligendi Pontificis, *Decretum* quidem *diſtinct.* 63. c. 31. citari ſolet; ſed nec aliud ibi dicitur, quam *electionem juſte ac canonice faciendam*, & res ipſa contrarium docet. Pontifici Leoni IV. *Onuphrius* quidem aliique ſubſtituunt *Benedictum III.* Sed *Platina*, plurimique præterea, *Johannem*, an *Johannam*, VIII. Fœminam enim fuiſſe, ſeque noluiſſe omittere ait *Platina, ne obſtinate nimium & pertinaciter omiſiſſe videretur, quod fere omnes affirmant.* Fuit iſte veluti Rhetorum campus hactenus, in adſtruenda & deſtruenda ſive hiſtoria ſive fabula. Eos qui negarunt, recenſet numeroque accedit *Baronius.* adduntur *Leo Allatius* & *David Blondellus*, doctiſſi- *ad ann.*
mus ſane vir, libro Gallice conſcripto. Inter eos, qui affirmant, operoſior eſt commentatio *Georgii Calixti*, quam digreſſionis cauſa inſeruit libro *de Conjugio Clericorum.* Meditabatur & *Salmaſius* aliquod ſcriptum de hoc argumento. cujus viri narrationem, quam aſſeverabat mihi, liceat hic obiter apponere. Ajebat; ſe Heidelbergæ agente, & incomparabili iſti Bibliothecæ operam dante, factum eſſe, ut Moguntini, *Anaſtaſium Bibliothecarium* edituri duos codices manuſcriptos à Sereniſſimo Electore peterent acciperentque. Quibus remiſſis adjuncta fuiſſe aliquot exempla novæ editionis, in quibus Hiſtoria Johannis fœminæ, ex mſſc. bona fide expreſſa erat. Id, cum aliqui mirarentur, apud cæteros ortam ſuſpicionem, dediſſe occaſionem, ut in cetera exempla per officinas Bibliopolarum inquireretur. tum fraudem manifeſtam fuiſſe; dum omiſſa deprehendebantur in omnibus, quæ paucis inſerta diximus. Ea de re, clariſſimæ memoriæ virum *Marquard. Freherum*, epiſtolam ad amicum exaraſ-

ſe;

ſe; quam in aliquot Bibliothecis reperiri dicebat *Salmaſius*. Addebat: verba *Mariani Scoti* (nam is eſt nunc, poſt deperditam aut vitiatam illam Anaſtaſii Scripturam, antiquiſſimus rei auctor) religioſe ex Anaſtaſio deſcripta, iſt eſt, ipſiſſima Anaſtaſii verba fuiſſe. Confirmabat mihi denique in Suecia; ſe, ut primum per valetudinem poſſet, literis mandaturum, quæ ad adſtruendam rei fidem pertinerent. Hoc equidem, inter ea, quæ circa hoc negotium comperi, palmarium eſt: quod ob cauſſas non unas, reticendum hoc loco minime, videbatur. *Synodi* ſub Lothario recenſentur *in Centur. Magdeburg.* IX, 9. iſtæ: *Meldenſis*, in regno Caroli Franciæ Regis, de bonis Eccleſiaſticis non profanandis. cujus hiſtoriam gloſſis ſuis in-
ad an. 845. terpolat *Baronius*. *Moguntina*, auſpiciis Ludovici Germaniæ Regis
§. 30 & ſeqq. celebrata, qua Godeſcalcus damnatur: qui *tam bonos ad vitam quam malos ad mortem perpetuam inevitabiliter à Deo prædeſtinatos eſſe* affirmabat, ut eſt in *Annal. Fuldenſ. ann.* 848. Sciendum hic Comitia iſta fuiſſe, in quibus pleraque negotia civilia tractabantur; addita tamen cauſſa Godeſcalci, qui ad Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum (Ingmarum aliqui vocant) poſtea in Galliam
ad an. 848. miſſus eſt. Videatur *Baronius*; & *Ger. Jo. Voſſius in Hiſtoria Pelagi-*
lib. ult. *ana*. *Bertiniani Annales* & *Sigebertus* ad annum 849. referunt. *Conſtantinopolitana*, de conjunctione Orientalis atque Occidentalis eccleſiæ adverſum Saracenos. quæ tamen huc vix pertinere poteſt. *Romana*, de moribus Cleri reformandis. hac eadem Synodo, Anaſtaſius Presbyter, Bibliothecarius, depoſitus eſt, quod ſuam Eccleſiam quinquennio deſeruiſſet. *Baronius ad ann.* 853. refert. *Voſſius*, ad
Hiſt. Lat. 2. 850. *Remenſis*, qua Ebbo reſtituitur. Meminit Epiſtola Synodalis
35. Synodi Trecenſis anno 867. à *Baronio* etiam producta. His Syno-
§. 16. dos *Magdeburg. Centuriæ* habent. Addi debent: Synodus *Sueſſionenſis*, cui Carolus Rex præſedit, de iis quos Ebbo ordinaverat. Hæc Synodus poſtea improbata eſt, longaſque moras traxit controverſia. *Baronius* acta fuſe refert: ut & *Andr. du Cheſne*. Conjun-
ad an. 853. gantur *Annales Bertiniani*, anno quem nominavi. *Conſtantinopolitana*, qua deſtitutus eſt Gregorius Syracuſanus Epiſcopus. apud
§. 7. *Baron. ad ann.* 854. *Valentina* ann. 855. qua Scotorum errores, Godeſcalco ſcil. auctore diſſeminati damnantur, & abuſus jurisjurandi ab utraque parte litigantium præſtari ſoliti, tum duella coërcentur.

In Oriente controverſia de Imaginibus, Patriarcharum mutationes

tiones, pœnas, calamitates excitat: Theodora cultum imaginum inſtaurante, & Romano Pontifice occaſionem amati dogmatis per legatos juvandi, non omittente. Hamburgenſis Eccleſiæ vaſtationem à Normannis factam, *Annales Metenſes* ad ann. 845. referunt. quam Chronologiam defendit *Lambecius in Origin. Hamburg.* Eodem anno Ludovicus Germanicus de Boëmannis, ſeu Bohemis multos baptizari curavit. Subinde, Thiota (ſ. Theoda) de Alemannia Pſeudoprophetiſſa Moguntiam venit, extremumque diem & alia prædicere occipiens, cum multos dementaſſet, tandem confeſſa eſt, Presbyterum quendam ſibi ea ſuggeſſiſſe. igitur judicio Epiſcoporum ap. S. Albanum decretum eſt, ut flagellis cæderetur. *Annales Metenſes.* *ann. 847.*

De *Judaiſmo & Mahumetiſmo* videatur *Centuria Magdeburg. IX. cap. 15.* & *Hottingerus.*

Literæ, Artes.

JOannes *Friſius* in *Bibliotheca* ſua, ad hæc tempora refert, præter aliquos in Ludovico nominatos, *Bellatorem* & *Bertramum Presbyteros, Halitgarum Epiſcopum, Jonam Aurelianenſem Epiſcopum, Joannem Scotum Erigenam, Lupum Servatum, Moſen Bar-Cephan Syrum* (cujus liber *de Paradiſo* è Syriaca lingua in Latinam traductus habetur in Bibliotheca Patrum *t. 6.*) *Notgerum Leodienſem, Roſuidam eruditam ſanctimonialem*, cum ſcriptis ſuis. Sed *Joh. Scotus* cum *Bar-Cepha*, *Notgero* & *Roſuida*, longe ulterius ponendi ſunt. ſicut ſuis locis monebitur. Floruit inprimis his temporibus & inſequentibus Ludovici II, Caroli Calvi, Caroli Craſſi, *Hincmarus* (qui & Ingumarus & Igmarus) ex Monacho S. Dionyſii Archiepiſcopus Remenſis. cujus Chronologiam conſignat *Voſſius de Hiſt. Lat.* 2,36. Epiſtolæ, & alia ejus opera recentiori editione auctius in Gallia prodierunt. Adde *Angelomum*, cujus in Canticum Canticorum commentarius extat. Pertinent huc etiam *Ruthardus* monachus Hirsaugienſis, *Rudolphus* Fuldenſis, *Altfridus* Monaſterienſis Epiſcopus, *Urſus* Diaconus Romanus, *Rampertus* Brixienſis Epiſcopus, & *Anaſtaſius Bibliothecarius*, de quibus videatur *Voſſius Hiſtor. Lat.* 2, 35. qui in prætermiſſis (*lib.* 3.) addit: *Caſinenſem Diaconum*, & *Prudentium Juniorem*, Hiſpanum, Tricaſſenſium ſeu Trecenſium Epiſcopum. In Oriente, adhuc

valent, quos in Ludovico nominavimus. nam de *Photio*, in ſequentibus dicetur. Adi omnino Centur. Magdeburg. IX. cap. 10. Hoc autem non eſt prætereundum, quod per hæc tempora, Bardas, præpotens aulicus ſtudia literarum eximie inſtauraverit, opera Leonis cujusdam, qui Epiſcopus Theſſallonicenſis fuerat, doctiſſimi viri, ſicut *Cedrenus* ex *Joanne Curopalate* (quem deſcribere ſolet) diligenter memorat. addatur *Zonaras* in *Michaële*. Inſtitutæ tum ſunt *Scholæ*, aliæ quidem alibi, ſed Philoſophiæ in Palatio. *Lotharium* quoque Imperatorem bene meritum fuiſſe de viris doctis, teſtatur *Angelomus* in præfatione operis, quod nominavimus.

Dignum eſt, quod hic repetatur, antiquiſſimum Germanicæ & Gallicæ linguæ monumentum, *Formula ſcilicet fœderis apud Argentoratum anno* 842. *XVI. Kal. Martii inter Ludovicum Germaniæ & Carolum Galliæ Reges percuſſi*; quam *Freherus* commentariolo illuſtravit, ac ſeorſum olim edidit, adjecta quæſtione, qua tom. 2. p. 381. & ſeq. proprie lingua Francorum Reges uſi ſint. *Andreas* autem *du Cheſne* ſuo operi inſeruit. Memorat *Nithardus lib.* 3. Utebatur autem Ludovicus Germanicus fratris Caroli lingua, ut exercitus Caroli melius intelligeret; Nithardus *Romanam* vocat. Carolus, ex eadem cauſſa, Ludovici lingua loquebatur, quæ Nithardo *Teudiſca* eſt.

LVD. Pro Don amur, & pro Chriſtian poblo &
KAR. *In Godes minna, ind durh tes Xriſtianes folches ind*
noſtro commun ſalvament, diſt di en avant in
vnſer bedhero gehaltniſſi, fon theſemo dage frammordes ſo fram
quant Deus ſavir & potir me dunat, ſi ſalvari eo ceſt
ſo mir Gott gevvizei indhi madh furgibit, ſo hald ih theſan
meon fradra Karlo, & in adjudha & in cadhuna coſa, ſi cum
minan bruodher . . . . *ſoſo*
hom per dreit ſon fradra ſalvar diſt, ino quid il imi altre
loc. corrupt. *man mit rehtu ſinan bruoder ſcal inthi utha zer mig ſo*
ſi faret, & ab Ludher nul plaid nunquam prin-
ſo maduo, indi mit Lutherem inno theinni ding ne ge-
drai, qui meon vol ceſt meon fradre Karle in damno ſit.
gango, zhe minan willon imo ce ſcadhen wehren.

Sacra-

Sacramentum populi utraque lingua ita ſe habet:

Si Lodhwigs ſacrament, que ſon fradre Karlo
Obo Karl then eid, then er ſinemo bruoder Ludhu-
jurat, conſervat, & Karlus meo ſendra de ſuo
wige geſuor, geleiſtit, inde Ludhuwig min herro then er imo
part, non los tanit, ſi io returnar non lint pois, ne
geſuor, forbrichchit, oh ih nianes arwenden ne mag, noh
o, ne neuls cui eo returnar nit pois, in nulla adiudha
h, noh thero thein hes irrwenden mag, imo ce folluſti
contra Lodhuvvig nun li iver.
vidhar Karle ne vvirdhit.

Accipient autem illa omnia lucem quandam, ſi conferan-
tur, cum *capitulis, ſacramentis & annuntiationibus inter Ludovi-
cum Germ. Carolum Gall. & Lotharium juniorem factis ap. Conflu-
entes*, an. 860. *v. Andr. du Cheſne tom. 2. pag.* 440. *& ſeq.*

Et, quia hic de antiquæ linguæ Germanicæ monumentis mentio facta eſt, liceat quædam de *Otfrido Monacho S. Galli*, cujus Evangelia carmine Germanico compoſita itidem in hoc genere antiquitatis unice præcellunt, adferre. Scripſit quidem hoc opus paulo poſterius, ſicut ex inſcriptione apparet. *Luitberto* enim Archiepiſcopo Moguntinenſi inſcripſit: quem *Caſpar. Bruſchius* electum eſſe putat, anno 863. Quia tamen Otfridus ait, ſe fuiſſe *Rabani* diſcipulum & auditorem, igitur hoc ipſo tempore cœptam magnitudinem, ſub *Ludovico* potiſſimum *Secundo* provexerit. Sed cauſſa præcipiendi elogii jam dicta eſt. Invenit primum *Otfridi Evangelia*, *Beatus Rhenanus* Friſingæ: ſicut ipſe commemorat *in libris Germanicis.* Poſtea *Matthias Flacius Illyricus* favore *Adolphi Hermanni Rideſelii Marſchalci Haſſiæ hæreditarii*, edidit *Baſileæ* anno ſuperioris ſæculi 71; hoc titulo: *Otfridi Evangeliorum liber; veterum Germanorum grammaticæ, poëſeos, theologiæ, præclarum monimentum.* Præfatio auctoris triplex eſt. *Una* ad *Salomonem Epiſcopum* Conſtantienſem, verſu Germanico, ubi primæ ſtichorum literæ, & alternatim ultimæ, hanc ἀκροστιχίδα faciunt: *Salomoni Epiſcopo Otfridus. Altera* ad Ludovicum Germanicum, eodem artificio iſta verba exhibens: *Ludovico Orientalium Regnorum Regi ſit ſalus æterna. Tertia* præfatio Latina eſt, ad Luitbertum Archiepiſcopum Moguntinum, in qua exponit: ſe fratrum

De omnib. Germ. Archiep. & Epiſc.

lib. 2.

quorundam & matronæ Judithæ, obſcœna carmina faſtidientium, rogatu, partem Evangeliorum, *Theotiſce*, aut, ut poſtea loquitur, *franziſce* compoſuiſſe quinque libris. Subjicitur *ratio numeri*, ſatis illa quidem diluta, & tantum non inepta; ſed pro captu ſæculi. Sequitur *querela de difficultate ſcriptionis*, his inter alia verbis: *Hujus lingua barbaries ut eſt inculta & indiſciplinabilis atq; inſueta capi regulari freno grammaticæ artis, ſic etiam in multis dictis ſcriptu eſt propter literarum aut congeriem, aut incongruam ſonoritatem difficilis. Nam tria*, uuu, *puto, quærit in ſono: priores duo conſonantes, ut mihi videtur, tertium vocali ſono manente.* [Notandum, in hoc toto opere nullum w legi, ſed ſemper *uu*, ut appareat W recentius eſſe] additur de *Y*, de *K* & *Z* (quæ pro ſuperfluis habentur) de Metaplaſmo & Synalipha, ut hic quidem vox corrumpitur. Hujus generis plura cum ſubtexuiſſet Otfridus, conqueritur de Germanis, Græcæ Latinæque magis linguæ, quam Patriæ, excolendæ deditis. Eſt & ipſius *Flacii* præfatio de ejusmodi monumentis Germanicis antiquis, tum de cultu & ſtudio harum rerum, valde memorabilis. Sed hæc hactenus.

Memorabilia alia.

B*Ertiniani Annales* referunt, anni 846. menſe Majo apud Altiodorum civitatem tantam ex pluviis inundationem ortam, *ut quandam vineam cum terra, vitibus, & arboribus omnibus, in nullo diſruptam, ita ut erat, ſolidam à parte Icaunæ fluminis in alteram ejusdem fluvii partem tranſpoſuerit, ac ſi in eodem agro naturaliter fuiſſet.* Terræmotu aliqua hujus generis accidiſſe, aliorum temporum hiſtoria docet. Quæ de fame anni 850. per Germaniam, *Annales Metenſes* habent, merentur legi.

LUDOVICUS Junior, qui & II. LOTHARII Imp. ex uxore Hermingardâ Filia Hugonis Comitis, Filius.

Annotatio Temporis.

NAtivitatis annum non reperit *Onuphrius*. Forte eſt is, annus

nus 822. cum pater ejus Lotharius anno præcedente Hermingardem in matrimonium recepiſſet. Rex Italiæ diu fuit, antequam Imperator fieret. Aſſumtus eſt in conſortium Imperatorii nominis anno 850. Imperavit poſt patrem annis fere viginti, ab 855. numerandis. Obitum ejus plerique ad annum 875. referunt; *Regino* & *Annales Metenſes* ad 874.

Elogium.

QUeritur *Cuſpinianus*, res hujus Ludovici, & alterius Ludovici Germanici, qui hujus patruus fuit, à multis confundi atque intricari, ut diſcerni nequeant; à quibusdam plane omitti. Filum ergo Ariadneum nobis præſtiterint *Annales Bertiniani & Metenſes*; valde diligenter occupati in diſtinguendis hominibus rebuſque. Nam *Fuldenſes Annales*, quantum ad hunc Imperatorem attinet, minus ſubſidii præbent. *Annales Metenſes* ſummatim eum laudant his verbis: *Fuit iſte Princeps pius & miſericors, juſtitiæ deditus, ſimplicitate purus, Eccleſiarum Dei defenſor, Orphanorum & pupillorum pater, eleemoſynarum largus largitor, ſervis Dei humiliter ſe ſubmittens, ut juſtitia ejus maneret in ſæculum, & cornu ejus exaltaretur in gloria.* Quæ ipſa verba ſunt in *Reginone*. Non aberravit à vero *Sigonius*, cum ſoli Italiæ intentum hunc Ludovicum putat. Quid enim aliud, hæreditate acceperat, quam regnum Italiæ cum nomine Imperatorio; jam in anguſtias redacto, & ſplendoris ſui radios minus diffundente? *Annales*, quos dixi, fere ſemper *Imperatorem Italiæ* vocitant. Querelam ſuper anguſtis finibus memorant *Annales Bertiniani* hoc modo: *Ludovicus Rex Italiæ filius Lotharii ſuper portione Regni paterni in Francia apud Patruos ſuos Ludovvicum & Karlum conqueritur: Italiam largitate Avi Ludovici Imperatoris ſe aſſerens aſſecutum.* ſed hæc querela nihil effecit. Igitur ad firmiora conſilia reſpiciens, Ludovicum Germaniæ Regem, Patruum, ſibi fœdere arctiori devinxit: Lotharium quoque fratrem amicius ſubinde complexus. Pontificem Nicolaum, non ſuffragatione tantum ſua evexit, ſed multo mox honore percoluit. Non caruit tamen conſpiratione & periculo; cujus ſumma in *Annalibus* ita conſignatur: *Ludovicus Imperator Italiæ ſuorum factione impetitur, & ipſe contra eos, ac contra Beneventanos rapinis atque incendiis deſævit.* Poſt hæc *Carolus Lotharii Imperatoris filius & Rex Pro-*

ad an. 874.

5. *de regno Ital.*

ad an. 856.

A. Bertin. ad an. 857. 858.

860.

ad an. 863. *vinciæ, diu epeleutica* (epileptica leg. *in Bertin. An.*) *infirmitate vexatus, moritur. Ludovicus frater ejus, Italiæ vocatus Imperator Provinciam venit, & quos potuit, ipſius Regni Primores ſibi conciliavit. Hoc audito, Lotharius illuc pergit, & mediantibus inter eos domeſticis & amicis illorum, Placitum, quo ſimul redeant, & de ipſo Regno apud ſe tractent, Ludovicus Italiam, Hlotharius in Regnum ſuum re-*
A. Bertin. 864. *vertitur.* Paulo poſt Legatos ad Carolum Patruum de pace miſit Imperator. Lothario autem fratri impenſe favit: adeo ut graviſſimam cum Nicolao Papa, in ejus gratiam, ſuſciperet contentionem; & rurſus blandam ſanciret amicitiam; ejuſque ope Carolum & Lu-
865. dovicum fratres, Lotharii cauſſæ parum pronos, tranquillaret. Suſcepit & adverſum Saracenos expeditionem Beneventanam: nec inſtrenua virtute peregit. Intervenit poſtea frater Lotharius, ejuſque ope matrimonii ac divortii ſui cauſſam voluit ornare. Qua de re iterum *Annales*, quorum voce ipſa monumentorum raritas ſua-
868. det, ut frequentius utamur: *Sed, ut dicebatur, Ludovicus Imperator ab obſeſſione Saracenorum pro fratris ſui petitione non debuiſſet diſcedere, cui amplius quam ducentas naves Rex Græcorum in auxilium contra eosdem Saracenos feſtinato mittebat.* Et Ludovicus quidem ab initio fratris deſideria in aliud tempus rejecit, donec Engelberga Uxor Imperatoris manum operi admovit. Antequam
869. regrederetur Lotharius, ſuum diem Placentiæ obiit. de cujus regno mox inter fratrem & Patruos certamen oritur: Pontifice fru-
870. ſtra pro Imperatore Ludovico, nitente; poſtquam Ludovicus & Ca-
Vide inſtrumenta diviſionis & ſacramenta ap. Andr. du Cheſne tom. 2. pag. 453. & ſeqq. rolus, Patrui, diviſionem occupaverant, & ſacramentis firmaverant. Quorum parum memor Ludovicus Germaniæ Rex, cum Ingelberga (quidam *Angeldrudam* vocant) Ludovici Imperatoris conjuge, diverſa conſilia de parte Lothariani regni tradenda agitavit. Sub id tempus Adalgiſus Beneventanus Dux, ab Imperatore Ludovico defecit, & in Samnium, Campaniam, Lucaniam, Græcorum præſidia induxit. Sed cum Ludovicus caput Samnii Beneventum armis peteret,
872. Adalgiſus in obſequium compoſitus, ſe alienum conſilii ejus, fidemque ſervaturum pejerat. Hinc Lucania & Campania facile bello recipiuntur; excepta Capua, quam cum & ipſam arctius urgeret obſidio, Capuani Corpus S. Germani Epiſcopi in feretro ponunt, ſupplicique cærimonia caſtra Imperatoris ingreſſi, veniam impetrant. Quibus confectis rebus, à bello jam tutus, pacis fiducia Be-

ne-

neventi pæne interiiſſet Imperator: perſuaderi ſibi nimis incaute à ſubdolo homine Adalgiſo paſſus, ut exercitum dimitteret. Hoc enim facto, Adalgiſus Imperatorem ex inopinato aggreſſus, cum prima vis repulſa eſſet, Palatium flammis abſumere deſtinavit; donec jurejurando adegit Imperatorem, ne unquam in poſterum Beneventum ingredi, aut ulciſci illatam ſibi injuriam pararet. Verum imminenti ſubinde vindictæ, fuga auctorem ſceleris eripuit; Beneventanis non ſatis bona fide quieſcentibus. Igitur coronatus Romæ Imperator ab Adriano Papa, iterum eo ſe convertit: cumque videret Beneventanis Conſtantinopoli auxilia mitti, de Adalgiſo, quem vi capi poſſe deſperaverat, quaſi precibus Romani Pontificis reconciliando agitare cœpit. eumque è Corſica reducem in priorem dignitatis locum reſtituit. Nactus deinde morbum, Mediolani obiit: ſive eo translatus, in baſilica S. Ambroſii ſepultus eſt: ut *Fuldenſes Annales* notant. *Sigonius*, non male, ut opinor, judicat, *ſtudium in eo gloriæ & dignitatis Italicæ conſervandæ multo majus, aut fortuna aut opibus fuiſſe*; *nec tantum virtute, quantum voluntate complexum eſſe.* Uxoris quoque Ingelbergæ elatio & impotentia, invidiam non parvam concitavit.

A. Bert. & Metenſ. ad an. 871. 872 873.

872.

873.

875.

lib. 5. de regn. Ital.

Quæ ad notitiam Reipublicæ pertinent.

HIc ante omnia controverſiam, de nomine Imperatorio motam Ludovico per Baſilium Macedonem Conſtantinopolitanum Imperatorem, attingemus. Cum enim Hadrianus Pontifex legatos cum literis Conſtantinopolim miſiſſet, & Ludowicum nominaſſet, *Imperatorem*, *Baſilius* nomen *Imperatoris* litura induci juſſerat: annoque inſequenti cum ipſo Ludovico per Legatos de omittenda illa appellatione contentionem ſuſceperat. Edidit reſponſionem Ludovici *Goldaſtus in Conſtitutionibus*; & antea *Baronius tom X. ad an.* 871, 50. *& ſeq.* poſtea *Fr. du Cheſne tom. 3. p. 555. & ſeq.* Memorabilis eſt titulus, quem Epiſtolæ præſcribit: *in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti Dei æterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus Romanorum, dilectiſſimo ſpiritualique fratri noſtro Baſilio, glorioſiſſimo ac Piiſſimo æque Imperatori Novæ Romæ.* Exorſus dehinc de ſtudio mutuæ benevolentiæ, non levibus documentis oſtenſæ, ad querelam flectit, ob motam ſuper Imperatoris nomine contentionem. atque ita ad primum argumentum Baſilii progreditur,

tur, qui ſcripſerat; *Divina ſapientiâ magiſtra terminos antiquos mutari non debere*; *atque per hoc*, *nomen* Βασιλέως (quo Imperatorem in Oriente vocabant) *ab alio, quam Conſtantinopolitano minime uſurpandum eſſe*, *intelligi volebat.* Reſpondet Ludovicus: *nullam de prærogativa hujus tituli uni debita legem aut conſuetudinem uſpiam extare*; *plenos autem eſſe omnis ævi, omnium gentium commentarios, exemplis appellationis ejus omnibus paſſim præpoſitis Reipublicæ conceſſæ. In ſacris Melchiſedecum, Davidem*; *Aſſyriorum præterea*, *Ægyptiorum*, *Moabitarum aliarumque nationum* Reges *memorari. Nec diverſa his in profanis Scriptoribus*, *nec Latinis tantum, ſed & Græcis*, *priſcis ac recentibus reperiri de variarum gentium Regibus. ut omnino intolerabilis ambitionis eſſet, ſi unus ſibi vindicaret, quod cum plurimis commune eſt & eſſe debet.* Attulerat inſuper Baſilius; *à S. Patriarchis inter ſolennia precum myſteria, unius tantum Imperii mentionem fieri: cujus auctoritatis reverentiâ adductus Ludovicus dehortari eos debeat, à quibus Imperator appelletur.* Reſpondet egregie Ludovicus: *parum decere, ut alios erudiat, quomodo vocari debeat ipſe: cum præſertim ipſi Patriarchæ, omnes denique homines, excepto Baſilio, compellent ipſum Imperatoris nomine. neque aliter facere Patruos ſuos, quamvis ætate majores, accedere conſecrationem & unctionem ſacram. Unitatem Imperii, uno Auctore Deo, & conjunctione caritatis æſtimandam. Incredibile videri, quod Patriarchæ Græci, ſic ſui Imperatoris mentionem faciant, ut aliorum obliviſcantur: cum Sacra pagina jubeat orare pro omnibus etiam impiis Principibus.* Dixerat Baſilius, *novam eſſe hanc appellationem, & à Carolo M. primum uſurpatam.* Reſpondet Ludovicus: *Nec novum recte dici, quod ab avo transmiſſum, & divina providentia jam olim deſtinatum ſit: nec Carolum uſurpaſſe; ſed jure obtinuiſſe: denique omnia antiqua aliquando nova fuiſſe, adeo ut in novitate nullum vitium ſit.* Attulerat præterea Baſilius: *Aliarum gentium Principes ſuis appellationibus contentos aliam non affectare*; *Arabum Principem Protoſymbolum dici*; *Avares Prælatum habere*; *Bulgaros Principem appellare.* Ad quæ Ludovicus: *Omnes hos Reges & Dominos appellari, in ipſis Græcorum voluminibus*; *cum & Scriptura S. Reges Arabum & Saba nominet. His igitur, non niſi violente detorquendo nomen* Βασιλέως *adimi.* Adjecerat Baſilius: *Imperatoris nomen, nec paternum eſſe, neque nationi ſive genti convenire*; *ſed nec toti Francorum*

genti

genti Ludovicum imperare. Ridet hoc Ludovicus; *cum negari nequeat paternum eſſe quod ab avo traductum eſt. neque Francorum genti minus convenire, quam olim Hiſpanorum, Iſaurorum, Cazarorum, ex quibus Romani Imperatores prodierint. Franciam non ſe quidem ſolum, ſed eos tamen obtinere, qui uno ſecum ſanguine cenſeantur.* Mirabatur etiam Baſilius, *cur ſe Romanorum potius quam Francorum Imperatorem diceret Ludovicus.* Reſpondetur, *primo Reges Francorum dictos, poſtea Imperatores appellatos, ob acceptum in urbem Romam Imperium, & unctionem Pontificiam. Olim non tantum ab ſenatu & populo, ſed à militibus, à fœminis Imperatores factos. Neq; factum Pontificis reprehendi poſſe: cum nec defenſi ſint à Græcis Imperatoribus Pontifices; ſæpe etiam vexati, nec armis tantum ſed hæreticis dogmatibus. merito igitur eos orthodoxam & benevolam gentem quæſiviſſe. Samuelem quoque ſpreto Saule Davidem unxiſſe.* In quibus aliqua ſunt κολακευτικὰ erga Pontificem; & diluta, nec ſolidæ argumentationis, pro captu & moribus ſæculi. Inde *exprobratio vitiatæ religionis, deſertæ Urbis, gentis, linguæ Romanæ adjungitur, fatalique mutatione & translatione Francos ſucceſſiſſe ſive inſertos eſſe oſtenditur.* Et quoniam *Baſilius* (nota artem) pollicitus erat, *tum demum ſe Ludovico Imperatoris appellationem conceſſurum, ſi is propoſita & conventa perfeciſſet:* reſpondet Ludovicus, *pactis conventis ratam fidem conſtare, neque in ſua manu eſſe, quod ad effectum nondum pervenerint; titulum autem à Deo & patribus acceptum, ſe ab alio nolle accipere.* Denique, *cum Baſilius* Ῥῆγα Ludovicum appellaſſet (id enim nominis ſubſtituebatur, ne Βασιλεὺς dicendus eſſet, unde apud *Suidam*, recepto deinceps tali more, Ῥὴξ, ῥηγὸς, ὁ τ̃ φεγγῶν ἀρχηγὸς) *barbaram nec ulli lingua cognitam vocem, ad originem Latinam reduci oportere,* ait Ludovicus: *ita* Βασιλεὺς *Græcis fore, niſi malint ex omnibus libris vel Latinis vel Græcis, Regis &* Βασιλέως *vocabulum expungere.* In altera parte epiſtolæ de rebus in Italia adverſum Saracenos geſtis, apologia hiſtorica continetur. Non erat recens Græcorum in Francos Germanoſque invidia; nec levibus illa quidem acceſſionibus aucta, cum Carolus M. Francorum Rex, Imperatoris appellationem ſuſcepiſſet. Sed opes Caroli M. & Ludovici Pii, facile continuerunt æmulorum arrogantiam. Sub Lothario minui viderunt formidabilem illam Imperii molem; ita ut ad Ludovicum, exigua totius fati portio perveniret. Hic ergo opportunus viſus eſt, in quem æmulatio ſuas vires experiretur. cum

præſertim Baſilius homo bellicoſus, altiora ſpiraret. Ita de manu in manum tradita inter Græcos Imperatores adverſum Francos Germanosque invidia, ad ipſum usque excidium Græci Imperii, mira & infelici pervicacia, perduravit.

Conſtitutiones ſive *Capitula* hujus Imperatoris *tria*, *Goldaſtus tom. III. Conſtitutionum* exhibet. Quæ, quia brevia ſunt, cum quadam annotatione huc inſerentur. I. *De obſervatione præceptorum noſtrorum in immunitate. Si ita obſervetur, ſicut à nobis & ab anteceſſoribus noſtris conſtitutum eſt.* Statim ab initio Imperii, Ludovicus Synodum Ticinenſem celebravit, in qua etiam hoc ſtatutum eſt: Statuimus autem ut Eccleſiæ Dei per totius Regni noſtri fundatæ terminos ſub noſtræ immunitatis tuitione ſecure cum rebus & familiis permaneant, ceu prædeceſſorum noſtrorum piiſſimorum Auguſtorum temporibus fuiſſe probantur, earumque Rectores propriis utantur privilegiis; & monachi per ſua cœnobia regularem teneant ordinem &c. Exempla ejusmodi Immunitatis ſunt in Capitul. Caroli M. & Ludov. lib. 3. c. 26. lib. 5. c. 148. Formula apud Marculfum I, 3. ubi Bignonius videndus. II. *Ut omnis ordo Eccleſiarum lege Romana vivat: & ſic inquirantur ac defendantur res Eccleſiaſticæ, ut emphyteoſeos contractus, unde Eccleſia damnum patitur, non obſerventur, ſed ſecundum Legem Romanam deſtruantur, & pœna non ſolvatur.* III. *Et miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi vel Abbates ſunt, aut Comites, usquequo infra ſuam judiciariam vel terminum fuerint, nihil de aliorum conjectu accipiant,* * *ſecundum quod in ſua tractoria continetur. Vaſſi vero noſtri & Miniſtri alii, qui miſſi ſunt, ubicumq; venerint, inde conjectum accipiant.* Repertita hæc ſunt tria capitula ex Legibus Ludovici Pii, quas vide in Lege Longobard. lib. 3. tit. 1. l. 36. 37. 38. adde Capit. Kar. & Lud. lib. IV, 51. & 69. *Infra ſuam judiciariam*; eſt, intra ſuam jurisdictionem, Gerichtszwang. v. Lindenbrogii Gloſſarium. In Capitulis Ludovici: *prope ſuum beneficium.* conjectum, notare *contributionem, ſymbolum, collectam* in Gloſſario Lindenbrogius; & H. Bignonius ad Marculf. I, 3. notaverunt. vocantur & *conjectura. Tractoria* ſub Romanis Principibus olim erat diploma, quod dabatur miſſis vel evocatis à Principe, ut curſu publico uti poſſent. Sed his temporibus eo pertinebat, ut equi, manſiones, ſumtus, & viatica miſſis à Principe, aut evocatis ſuppeditarentur, ab iis, ſubditorum ac provincialium, qui manſionaticorum & para-

In LL. Ludovic. Pii, omittitur τὸ Si.

v. Baron. tom. X. ann. 855, 4.

*In Ludov. Pii Capit. interponitur: *poſtquā vero longè inde receſſerint tunc accipiant.* atq; ita hic ſupplendū. Pro *Miniſtri alii* legitur: *Miniſteriales.*

paratarum oneri tenebantur. Tectum (inquit *Bignonius*) & hoſpitium, ſive ut illi vocabant, manſionem præbere, *manſionaticum* vocabatur; *paratarum* vero nomine, quæ pro viatico & alimentis præbebantur. Interdum tamen, alterum pro altero ſumitur. *Manſionaticos* quoque vocant, hoſpitum ſuſceptiones, ſive expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones. *Gloſſar. Lindenbr.*

Judicium à Ludovico Romæ celebratum in cauſſa Gratiani, quem Daniel Magiſter militum detulerat, quod ſeditioſos de Romanæ urbis imperio ad Græcos transferendo ſermones habuerit, *Anaſtaſius in vita Leonis IV.* & ex eo *Baronius* commemorat. Ceteri vetuſtiores Scriptores non meminerunt ejus rei. Magis deſignate traditum eſt *judicium in cauſſa Adalgiſi*: cui, ut antea dictum, Imperator juraverat, ſe injuriam non vindicaturum. Poſtea cum Romam veniſſet, ibique Conventum celebraret (utar verbis *Annalium Metenſium*) *coram ſummo Pontifice multa ſuper Adalgiſi tyrannide conqueſtus eſt. A Senatu Romano idem Adalgiſus tyrannus atque reip. hoſtis declaratur. Papa Joannes Imperatorem à juramento, quo ſe obligaverat, auctoritate Dei & S. Petri abſolvit: affirmans nihil ſibi obeſſe, quod ob mortis periculum evadendum coactus fecerat. Nec ſacramentum eſſe dicendum, quod contra ſalutem reip. quamvis cum multis execrationibus, fuerit prolatum. His exhortationibus Principis animum ad rediviva certamina provocat. Tamen ne à ſuis perjurus diceretur, nequaquam ipſe contra tyrannum procedit, ſed Reginam cum exercitu dirigit.* Quæ verbatim *Regino* habet; & ex hoc, *Baronius ad ann.* 873. ubi & rationem temporis putat. Recte autem *Centuriæ Magdeburgicæ* nimiam illam Pontificis Romani arrogantiam damnant, quod religionem jurisjurandi velut ex facili diſſolvere, ſui juris exiſtimavit. Longe certe aliis rationibus opus eſt, ad tractandam hanc quæſtionem, quam Pontifex attulit. Neque quicquam ſolidæ philoſophiæ habet, ſed inane prætextum cognoſcitur, quod Ludovicus conjugi ſuæ arma in Adalgiſum mandavit, perjurii evitandi cauſſa. Quid? quod *Annales Bertiniani*, hanc quoque juraſſe Adalgiſo, tradunt. Verba ſunt: *Tandem Epiſcopus ipſius civitatis obtinuit apud Beneventanos* (Adalgiſi cœptis faventes) *ut acceptis ab eodem Imperatore ſacramentis, illum vivum & ſanum abſcedere permitterent. Juravit autem ipſe, & uxor ejus, & filia ejus, ac omnes ſui, quos ſecum habebat, quia nunquam vel nuſquam pro eadem*

ad an. 855. 5.

ad an. 872.

IX. 7.

ad an. 871.

cauſſa erga ſe perpetrata requireret, & nunquam cum hoſte (hoſtem gen. fœm, vocant exercitum : oſt, haſte, hueſte) *in Beneventanam terram intraret.*

Ad *Officiorum* nomina & formulas,his temporibus, pertinet, non quidem Ludovici Imperatoris, ſed Ludovici Germaniæ Regis privilegium, *quod Laurishamenſi monaſterio conceſſit, ut unam navem per Rhenum fluvium huc illucque diſcurrere, & omni tempore transmeare, & ad portum Wormaciam civitatem absque ullo theloneo* (telonio) *pervenire, ob utilitatem & neceſſaria monaſterii liceret ; & ut nullus Epiſcopus vel Abbas, neq; Comes, aut vicarius, ſeu centenarius, aut cluſarius, nec pontonarius, neque ullus judex, ſeu aliqua poteſtas, ullam eis hoc nomine moleſtiam aut calumniam facere præſumat.* *Centenarii* minores judices, Comitum miniſtri. vid. *Lindenbrogii Gloſſar. Pontonarios* puto, qui pontaticum exigerent. Extat formula in *Chronico Laureshamenſi.* *ann. 855.*

De *Ducibus* nolim omittere memorabilem locum *Annalium Metenſium*; qui cum memoraſſent in regno Caroli Calvi Hugonem Abbatem in locum Roberti Ducis ſubſtitutum, adjiciunt : *Siquidem Odo & Robertus filii Roberti adhuc parvuli erant, quando pater extinctus eſt, & iccirco non eſt illis Ducatus commiſſus.* Hinc ego ſane non collegerim, Ducatus plane hæreditarios fuiſſe : ſed exiſtimaverim tamen, perfacile & libenter, in filios tranſmiſſam dignitatem, ſi muneri ſe pares vel virtute vel precibus feciſſent. *Paulus Petavius* Nithardi exemplum ponit, qui ſub hæc ipſa tempora Ducatus ſive Comitatus Franciæ maritimæ, à patre hæres fuerit. Id quod indulgentiæ Principis,non juri acquiſito tribuendum fuerit. Niſi quod ſemper fere in Francicis provinciis fuerunt, qui ſe,ut imperii Regii vinculo liberos, ita tradendæ hæreditatis compotes efficere novarum rerum molitione conati ſunt. Sicut hoc ipſo tempore *Nomenoious* (ſ. Numenejus) Ludovico Pio olim fidus, cum ſubinde defeciſſet, Regem ſe Britonum ferebat ; illudque nomen in filium Heriſpoium tranſmittebat, poſtquam Carolus Franciæ Rex, fruſtra armis tentatum pactione pacaverat. *ad an. 867.* *in Syntagm. de Nithard.* *Fragment. chron. Fontanell. ann. 851.*

Inprimis annotatu digna ſunt *Exactionum, & Tributorum* nomina, quibus Carolus Franciæ Rex per hæc tempora propoſitis ſuis ſubſidium paravit. De quibus *Annales Bertiniani : Karolus cum Nortmannis in quatuor millium libris argenti ad penſam eorum paciſcitur* *ad an. 866.*

ſcitur, & indicta per regnum ſuum conlatione ad idem exſolvendum tributum, de unoquoque manſo ingenuili exiguntur ſex denarii, & de ſervili tres, & de accola unus, & de duobus hoſpitiis unus denarius, & decima de omnibus quæ negotiatores videbantur habere, ſed & à Presbyteris, ſecundum quod unuſquiſque habuit, vectigal exigitur, & heribanni de omnibus Francis accipiuntur. Inde de unoquoque manſo tam ingenuili quam ſervili unus denarius ſumitur: & demum per duas vices juxta quod unuſquiſque Regni Primorum de honoribus habuit conjectum tam in argento, quam & in vino ad penſum quod ipſis Nortmannis pactum fuerat, perſolvendum contulit. Manſus villula eſt coloni unius habitationi propria. Suntque manſi & eorum manſuarii ſive coloni, alii liberi, alii ſervi; ut vel ex hoc loco apparet. *Heribannus* ſive *Arribannus* eſt mulcta ejus, qui banno ſive edicto Principis in hoſtem ſive ad exercitum vocantis non obſequitur. Interdum ipſam expeditionem notat. *Iidem Annales* de eodem Carolo Calvo ita memorant: *Et antequam ad Conadam pergeret, per omne regnum ſuum Literas miſit, ut Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſa, breves de honoribus ſuis, quanta manſa quiſque haberet, futuras Kalendas Maji deferre curarent. Vaſſalli autem Dominici Comitum beneficia, & Comites vaſallorum beneficia inbreviarent, & prædicto Placito adium breves inde deferrent: & de centum manſis unum haiſtaldum, & de mille manſis unum carrum cum duobus bobus, cum aliis exeniis, quæ Regnum illius admodum gravant, ad Piſtas mitti præcepit: quatenus ipſi haiſtaldi caſtellum, quod ibidem ex ligno & lapide fieri præcepit, excolerent & cuſtodirent.* Et jam ante, ut pecuniam Danis poſſet dare, exactiones acerbe fecerat. *Annales* ita: *Karlus Rex inani Danorum in Somma conſiſtentium pollicitatione pellectus, exactionem de theſauris eccleſiarum, & omnibus manſis, ac negotiatoribus etiam paupertinis, ita ut etiam domus eorum & omnia utenſilia adpreciarentur, & inde ſtatutus cenſus exigeretur, fieri jubet. Nam iidem Dani promiſerant, ſi eis tria millia librarum argenti pondere examinato tribueret, ſe adverſus eos Danos, qui in Sequana verſabantur, ituros, eoſque inde aut expulſuros, aut interfecturos.* Sic ad redimendum Abbatem S. Dionyſii, *à piratis* captum, *multi theſaurorum Eccleſiarum ex regno Karli ipſo jubente exhauſti ſunt. Sed his minime ſufficientibus, ab eodem Rege, & omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, ceteriſque viris potentibus multa ad ſuppletionem ſummæ certatim collata ſunt.*

ad an. 868.

ad an. 860.

 Afflige-

Affligebantur ſanè illa regna Franciæ, quæ Carolus acceperat, miſerrime per hæc tempora: *inteſtinis diſcordiis & Nortmannorum incurſionibus.* Aquitani enim, mobili ingenio homines & irritabili, ſemper aliquid rerum novarum, in Carolum moliebantur: inſerendo querelas de ſævitia ejus & acerbitate imperii. Itaque nuntiis crebris ſollicitabatur Ludovicus Germaniæ Rex, ut oppreſſis opem ferret, regnumque in volentes ſuſciperet, neque obvio cuicunque aut pagano prædæ ſineret eſſe. Neque ſemel hoc factum eſt.
Bertin. an. 856. Ponam ipſa *Annalium* verba; *Comites pæne omnes ex Regno Karli Regis cum Aquitanis adverſus eum conjurant, invitantes Ludovicum Regem Germanorum, ad ſuum conſilium perficiendum. Quo diutius in expeditione Sclavorum detento, ubi & magnam partem ſui exerci-*
ann. 857. *tus amiſit, iſti moras illius non ferentes, Karlo Regi reconciliantur.* Iterum: *Quidam Procerum Karli Regis Aquitanis ſociati, multas*
858. *prædas, pluraque incommoda perpetrant.* Anno inſequente: *Quando ipſe Karlus intravit in inſulam Sequanæ dictam Oſcellum, ubi magnum ſuſtinuit periculum, ſicut à multis tunc fuit cognitum, & quando frater ſuus Ludovicus ſuper illum venit, cum omni hoſtili apparatu. Sed largiente miſericordia Dei cum honore non receſſit.* Mox uberius referunt, quemadmodum *Comites ex Regno Karoli Ludoicum Germanorum Regem, quem per quinque annos invitaverant, adduxerint.* Quo ad interiora progreſſo, viribusque aucto, Carolum Burgundis fretum, ſe ad reſiſtendum comparaſſe, cumque miſſis ultro citroque legationibus pax non conveniret, ſub ipſum certaminis tempus, Carolo à ſuis deſerto, neceſſitatem in Burgundiam fugiendi allatam. Ita Ludovicum *invitatoribus ſuis diſtribuiſſe Comitatus, Monaſteria, villas regias atque proprietates. donec Karolus Rex recuperatis viri-*
an. 859. *bus inopinantem aggreſſus regno ſuo ejecerit.* Annales Fuldenſes, *nun-*
ann. 858. *tio turbati Sorabici limitis revocatum in Germaniam Ludovicum, impreſſionem Caroli jamjam ingruentem, feſtinato diſceſſu præveniſſe*, ajunt. *Annales Metenſes* factioſa certamina Procerum in regno Caroli indeque ortas cædes, & ſupplicium Gozberti Comitis, unde defectionis enata ſunt ſemina, ad annum 860. referunt: non tam ſeriem geſtæ rei ordinantes; ut ego arbitror, quam ex iis, quæ ante facta ſunt, Britonibus quoque rebellandi materiem oblatam oſtendentes. à quibus maxima clade affectus eſt Carolus. Pipini quoq; motibus, tandem Britonibus & Nortmannis ſociati, inquieta-

tus

tus eſt. Sed inprimis à Nortmañis miſere vexabatur. Hi non maritimã *Bertin. ann.*
tantum oram Franciȩ depopulabantur, ſed ad interiora progreſſi, quo- *860.*
ties volebant, vi, fraude, pecuniam ac tributa, quorum ſpecimẽ modo
narravimus, extorquebant. Itaque ſingulos annos licet reperire in- *V. deatur præſertim*
ſignitos eorum ſucceſſibus. Anno 856. *Piratæ Danorum Sequanam in-* *Excerpt. ex*
grediuntur, & vaſtatis direptisque ex utraque fluminis parte civitati- *hiſt. Vit. &*
bus, etiam procul poſitis monaſteriis atque villis, locum, qui dicitur *mirac. S. Fa-*
foſſa Givaldi, Sequanæ contiguum, ſtationique munitiſſimum deligunt, *ronis Epiſc.*
ubi hiemem quieti tranſigunt. Anno ſequenti, *Loticiam Pariſiorum* *Meld. Mſc.*
invadunt atque incendio tradunt. Hi vero, qui apud inferiora Lige- *apud Ir. du*
ris morabantur, Turones & omnia circumquaque loca uſque ad Bli- *Cheſne tom. 3. p. 420.*
ſum caſtrum deprædantur. Aggreſſus eſt quidem Danos Sequanam *& ſeq.*
obtinentes Carolus, ſed irrito conatu. Ipſi contra anno ſequente *Bertin. An. 857.*
Noviocomum aggreſſi Immonem epiſcopum cum multis nobilibus 858.
viris capiunt, abducunt, interficiunt: necatis jam ante, aliis quibus- 859.
dam epiſcopis. Alia manus Rhodanum ingreſſa, late circum vaſta-
vit omnia; ſeſeque apud flumen communiunt. Unde in ipſam Ita- 860.
liam excurrentes, Piſas aliaque oppida vaſtarunt. Lutetia Pariſio-
rum & templa ſæpius incenduntur. Hinc alii advenientes Nort- 861.
manni, eos, qui in Sequanæ inſula communiverant ſe, obſident, ma-
gna pecunia à Carolo conducti: cum quibus ad extremum obſeſſi
ſocietatem iniverunt, & ad mare deſcenderunt; ſicut & paulo poſt alia
manus, pacto Caroli delinita, fecit. Subinde nova manus Nortman- 862.
norum Pictavorum civitati magnam vim pecuniæ extorſit, templo
S. Hilarii incenſo. Majora fuerunt damna, quæ intulerunt, qui Li- 863.
gerim obſederant. Et quid impleamus paginas ceteris commemo-
randis? quæ aſſidua vice his temporibus redeunt.

Sicut autem Franciæ intima affligebant, ita Germaniæ & Lotharingiæ extima laceſſebant Nortmanni. Sic anno 864. *Nortmanni, qui cum plurimo navigio in Flandris appulerunt, reſiſtentibus ſibi pagenſibus, per Rhenum aſcendunt, & vicina Regnorum Lotharii ac* *Annal. Ber-*
Ludovvici ex utraque ripa ipſius fluminis vaſtant. Quo anno et- *tin.*
iam Lotharius Rex de omni regno ſuo 4. denarios ex omni manſo colligens, ſummam denariorum cum multa penſione farinæ atque pecuniæ, nec non vini & ſiceræ, Rodulfo Nortmanno Herioldi filio
cum ſuis, locarii nomine tribuit. Sed & biennio ante *Dani magnam* 862.

Regi-

Videndū omnino *Chronicon de geſtis Nortmannorum in Francia, ab ann. 833. ad 896.* *Regioni Hludovvici* (Germanici) *partem cæde & igni vaſtantes, prædantur*. Habuit præterea Ludovicus ille Germanicus acres hoſtes, cum quibus maxima bella geſſit, Winedos, Moravos, Hungaros, Bohemos, Bulgaros, quæ collegerunt partim cujusque gentis *ſcriptores*, partim *Annales Veteres* conſignarunt. Exagitatus eſt etiam Filiorum, præcipue Carlomanni rebellione. Carolum plane mente captum vidit.

Lotharius Rex Lotharii filius divortio Theutbergæ, & adulterio Waldradæ, ſibi & omnibus regnis Patruorum & Fratris negotium faceſſit: è quibus Carolum Regem infeſtum habuit, Ludovicum Imperatorem faventem; Ludovicum Germanicum, metu Caroli, ſociavit quidem ſibi, *atque ob eandem ſocietatem, partem regni ſui, id*

Annal. Bertin. 860. *eſt Helizatiam tradidit.* Septimo tamen poſt anno, (ut iidem Annales habent) filio ſuo de Waldrada Hugoni *Ducatum Elizatium donat, eumque Hludovico commendat, ac ceterum regnum ſuum, quaſi Romam perrecturus, committit.* Sed fragilia fere inter hos Principes fœdera fuerunt. De negotio divortii, mox in Eccleſiaſticis dicetur.

Excerpta de rebus geſtis.

867. IN bello Ludovici Imperatoris adverſum Saracenos in Italia, multa fortiter feliciterque geſta *Annales Metenſes* memorant. Pleraque

an. 867. autem alibi non reperienda, exequitur *Epiſtola Ludovici Imp. ad Baſilium*, de qua ſupra. Lotharii exercitus, qui ſubſidio profectus erat, cælum Italicum ferre non potuit, morbo fere abſumptus. Neapolitani quoque Saracenis ſubinde auxilio fuere.

861. In regno Franciæ eximius bellator fuit Robertus Comes, *cui* Carolus *ducatum inter Ligerim & Sequanam adverſum Brittones commendavit. Quem cum ingenti induſtria per aliquod tempus rexit.* Retuli verba *Annalium Metenſium:* qui & egregie parentant occiſo; quando adverſum Nortmannos Marcham, quam tenebat, infeſtantes; cum Rannulfo Aquitaniæ Duce profectus, incautius dimi-

867. cans occubuit. *Iſte*, inquiunt, *Robertus noſtris temporibus fuit quaſi alter Machabeus, cujus prælia, quæ cum Brittonibus & Nortmannis geſſit, ſi per omnia, ſcripta fuiſſent, Machabei geſtis æquiparari potuiſſent.*

Alia, quæ huc referri poterant, ad ſtatum hujus temporis publicum deſcribendum, ſuis indiciis ſignavimus. *Im-*

Imperatores Conſtantinopolitani.

DE Michaëlis III. Porphyrogeniti annis xxv, quibus poſt patrem imperavit, ut ſupra dictum eſt, duodecim fere an̄i huc pertinent.

Hic ſucceſſorem habuit interfectorem ſuum BASILIVM MACEDONEM: qui Imperium ab anno 867. usque ad 886. adeoque per annos 18. m. 10. d. 7. tenuit. Orſus ab ærario ſupplendo, quod Michaelis prodigæ donationes exhauſerant, ſemiſſem repetiit ab iis, qui ſine cauſſa ditati erant. Inde juri dicundo intentus, ne quis inopia cogeretur vadimonia deſerere, pauperibus alimenta publice conſtituit litigantibus; cauſſasque, quoties poterat, ipſe cognovit. Inter eximie ab eo conſtituta fuit, quod commentarios exactionum, integris vocabulis, expreſſisque penitus notis, quas è vulgo quivis intelligeret, publico ſumtu per omne Imperium deſcribi juſſit; cum animadvertiſſet, ex breviatis notis numerisque captatas occaſiones circumveniendi homines, juſtoque plus exigendi. Magnificentia ædificiorum omnis generis, quæ vel inſtauravit, vel à fundamentis exſtruxit, multum laudis adeptus eſt: ut &, rebus bello adverſum Saracenos præclare geſtis. Sobrius cætera, & ſtrenuus Princeps: de cujus tamen virtutibus virtutumque fructu, haud parum deminuit animus ſuperſtitioni deditus: unde ſuſpicio, timor, & inconſulta ſupplicia. *Vitam* ejus præter *Zonaram*, & ante eum, ſingulari opere tradidit *Conſtantinus Porphyrogenitus*, *Nepos:* quod inter Σύμμικτα *Leonis Allatii* editum habetur. Ex eo deſcripſit pleraque, pæne ad verbum, *Joannes Curopalates*, *Cedreno* deſcriptus.

Externa Imperia & Dominationes.

S*Araceni* à Perſis, auxilia Turcorum trahentibus, vincuntur. Ex hoc tempore Turci nunquam reliquiſſe Aſiam, adeoque in regnum & nomen Saracenicum ſubinde ſucceſſiſſe, memorantur. Vid. *Wolf. Drechsl. Chron. Sarac. ann.* 870. & *Huldricus Mutius lib.* 6. Ut *Italia* & *Sicilia* expellerentur Saraceni, cum Ludovico Imperatore tum Michaël, tum Baſilius conſilia ſociaverant; ut ante diximus. neque defuit ſucceſſus in Italia, capto Soldano, cladeque non una affectis hoſtibus: niſi quod diſcordia ducum Græcorum, tum morbi Francos infeſtantes, perfectæ victoriæ interceſſerunt. In *Sicilia* autem adeo dominabantur impotenter Saraceni, ut ne poſt-

ea quidem Baſilius, miſſo Adriano duce impedire potuerit, quin Syracuſæ, hactenus jugo barbarico immunes, horrendo excidio occuparentur, arcemque dominationi Saracenicæ præberent. Quæ ex *Curopalate* amplius deſcripta exhibet *Fazellus decad. poſter. cap.* 1.

In *Hiſpania* Alfonſi Magni, rebus adverſus Mauros Agarenosque præclare geſtis id cognomen adepti, his temporibus celebratur Imperium; ſive *vulgarem* Chronologiam, ſive *Ambroſium Moralem* ſequamur. 46. anni conſenſu tribuuntur ei: ſed illos vulgo inchoant 840; finiunt 886, aut ab 838. ad 883. numerant. *Ambroſius* ille inchoat 862; claudit 912.

In *Anglia* anno 857. Ethelvulpho ſuccedunt partitim filii, *Ethelbaldus* (qui & Adalboldus) in Weſtſaxonia; *Ethelbertus* (ſeu Ethelbertus) in Cantia: ignavus *ille* & thoro novercæ Judithæ infamatus; *hic* ſtrenuus, regnoque, quod cum fratre per quinquennium tenuerat, pari ſpatio ſolus potitus. Huic anno 867. ſucceſſit frater *Ethelredus* bello clariſſimus: quem uno anno novies collatis ſignis dimicaſſe cum Danis, & plerumque viciſſe, tradunt. In quibus prælium Eſſchendunenſe præcipua celebritate fertur. Interea, dum bello Danorum Angli attinentur, Merciorum & Northanimbrorum Reges, ab imperio Weſtſaxonum ſe in libertatem vindicare conniſi, Danorum dominationi viam aperuere; à quibus Mercii, obſidibus datis pacem redemerunt; Northanimbri bello victi, miſera ſervitute diu conflictati ſunt. Obiit Ethelredus anno 872: cujus ſucceſſorem, in ſequentes annos reſervamus. *Wil. Malmesburienſis de geſt. Reg. Angl. lib.* 2. *cap.* 3. & *Iſac. Pontan. Hiſt. Dan. lib.* 4. *in Erico Barn.*

Hoc enim tempore in Dania, cum Sivardo, *Ericus* Haraldi frater ſucceſſiſſet, tanta mox de regno certamina inter eum & Guthormum fratris Haraldi filium decertata ſunt, ut exhauſta Regia ſtirpe, imperium permitteretur *Erico Barn, ſive Puero*; Sivardi filio, cujus ætati Ericus ille, de quo dixi, inſultaverat. Huic longum & ad finem hujus ſæculi pertingens imperium tribuitur. Fuit ab initio perſecutor Chriſtianæ religionis; ſed *ad ſalutares Anſgarii monitus ſacrilega mentis errore depoſito, quicquid per ejuſdem inſolentiam commiſerat, expiavit, tantumque in excolenda religione ſe geſſit, quantum egerat in aſpernanda.* Verba ſunt *Saxonis Grammatici lib.* 9. Qui Danorum Reges in Anglia per hæc tempora memorantur; Duces Da-

nici

nici fuerunt; quorum quibuſdam genus regium; quibuſdam parta bello regia auctoritas fuit.

In *Suecia* Heroto *Chronologia Giſlonis* ſubſtituit anno 856. *Carolum VI.* (quem Saxo *Sorlum*, alii *Arlum* vocant) & anno 868. *Biornonem IV*, ponit usque ad 883. *Carolus* non ſanguinis jure, ſed procerum voluntate ad regnum evectus, adverſarium nactus fertur Regnerum Daniæ Regem, qui ſuorum filiorum uni, Heroti ſcilicet ex filia nepotibus, deberi regnum arbitrabatur. Commiſſa eſt res primum ſingulari dimicationi; inde prælio conſerto, Carolus à ſuis relictus cecidit: delato ad æmulum *Biornonem IV.* filium Regneri, imperio. Qui mox infeſta civium voluntate conſpecta, in Daniam profugit, longinquisque expeditionibus infeliciter tentatis, Norvegiæ ad extremum præfectus eſt. *Joh. Magnus lib.* 17. *cap.* 6. & 7. & *Loccen. Hiſtor. Suet. lib.* 1. *cap.* 1.

Eccleſiaſtica.

IN Pontificum Chronologia turbatam ſeriem jam ante intelleximus: dum Johannem fœminam alii inſerunt numero, alii extrudunt. Igitur I. *Benedictum* III. *Sigebertus Gemblacenſis* anno 854. *Marianus Scotus* 857; alii 856. ponunt: *Onuphrius & Baronius* 855. Hic à clero populoque electus eſt, citra auctoritatem Imperatoris. cuius legati ægre ferentes, alium (Anaſtaſius nominatur) opponi Benedicto paſſi ſunt. donec ſeditione exorta, Imperator ea de re appellatus Benedictum in ſede Pontificia confirmavit. Conferri debet cum *Platina* hiſtoria, *Sigonius de Regno Ital. lib.* 5. *anno* 855. II. *Nicolaus* I. Magnus Theodori (an Theodoſii) filius, Romanus; *conſtituitur* Pontifex 858. *præſentia magis ac favore Ludovici Regis* (Imperator intelligitur) & *Procerum ejus, quam Cleri electione*, quæ ſunt verba *Annalium Bertinianorum*. Præfuit annis 9. m. 6. d. 21. juxta *Onuphrium*. Hic eſt, qui Pontificiæ dignitati, maximam ex omni occaſione poteſtatem vindicare, clam palam, per fas & nefas, ſummopere conniſus eſt. Connivente, quod negari nequit, plus quam fieri oportuit, Imperatore. cui tamen ipſi nimia impotentia aliquando bilem movit; adeo, ut opus haberet, infimis deprecationibus ac ſupplicibus cærimoniis iram ejus placare. CumqueBulgarorumPrinceps Nicolao Pontifici, *arma, quibus indutus fuerat, quando de ſuis adverſariis in Chriſti nomine triumphavit, cum aliis donis tranſmiſiſſet:*

ad an. 858.

Bertin. An. 864.

 Hlu-

Ibidem Annal. 866. *Hludovicus Imperator hoc audiens, ad Nicolaum Papam miſit, jubens ut arma, & alia quæ Rex Bulgarorum ſancto Petro miſerat, ei dirigeret. De quibus quædam Nicolaus Papa per Arſenium ei conſiſtenti in partibus Beneventanis tranſmiſit, & de quibusdam excuſationem mandavit.* Ut hinc quoque appareat Papæ ſtudium, ſibi vindicantis trophæa, & arbitrium rerum ad Imperatoris auctoritatem ſpectantium. *an. 865.* Idem *Nicolaus Papa* (utendum eſt iterum verbis *Annalium Bertinianorum*) Arſenium Ortenſem Epiſcopum & Conſiliarium ſuum, cum Epiſtolis ad Hludovvicum & Carolum fratres, ſed & ad Epiſcopos ac Primores Regnorum illorum, ea quæ Lotharius per fratrem petierat continentibus, non cum Apoſtolica manſuetudine, & SOLITA HONORABILITATE; SICUT EPISCOPI ROMANI REGES CONSUEVERANT IN SUIS EPISTOLIS HONORARE; ſed cum MALITIOSA INTERMINATIONE *tranſmittit.* Iterum eodem anno: *Arſenius* ad Carolum veniens, *epiſtolam Nicolai Papæ plenam terribilibus*, & A MODESTIA SEDIS APOSTOLICÆ ANTEA INAUDITIS MALEDICTIONIBUS, *detulit ſuper eos, qui ante hos annos eidem Arſenio multam theſauri ſummam prædantes abſtulerant, niſi ſatisfaciendo, quæ tulerant, ei reddere procurarent.* III. Nicolao, cum anno 867. obiiſſet, ſucceſſit *Adrianus* II, *ad an. 868.* in annos 5, d. 12. *Platina* 9. menſes addit. Verba *Flodoardi* & *Annalium Bertin.* hæc ſunt: *Nicolaus Papa Idus proxime præcedentis menſis Decembris obiit. Cui ſucceſſit Adrianus Papa electione Clericorum, & conſenſu Ludovici Imperatoris, in Pontificatu.* Quæ de Legatis Imperatoriis ad electionem Pontificis non adhibitis, *Anaſtaſius Bibliothecarius*, & ex eo *Baronius*, ac ſummatim *Platina* referunt, ejusmodi ſunt, ut etiam credita juri Imperatoris non officiant: cujus indulgentia, præterquam quod ratione niti potuit, eo effuſior fuit, quod ſciret fama magis quam vi ſtare res ſuas. Hujus Pontificis, varie temporibus inſervientis, illud maxime intolerandum eſt, quod veſtigia Nicolai impudenter premendo, non arbitria modo Regnorum affectavit, ſed fulmen excommunicationis, minime in hos uſus *ad an. 869.* torquendæ inſolentiſſime intentavit. Denarrant rem candide *Annales Bertiniani*, de Legatis & Epiſtolis Hadriani ad Carolum Franciæ Regem, de non attrectando Lotharii regno addita comminatione: *Quod ſi quis præſumeret, non ſolum per ſuæ auctoritatis miniſterium infirmaretur, verum etiam vinculis anathematis obligatus, nomine Chriſtianitatis privatus cum diabolo locaretur. Et ſi quis de Epiſco-*

pis

pis tam nefariæ temeritatis auctorem vel tacendo ſugeret, vel non reſiſtendo conſentiret, non jam Paſtoris, ſed mercenarii nomine, ſe noſſet fore cenſendum. Et quia jam non pertineret ad eum de ovibus, non pertineret conſequenter de paſtoralibus dignitatibus. Sequente anno idem Carolus Rex Legatos Papæ *cum epiſtolis ad ſe & ad Epiſcopos Regni ſui directos, terribiliter ſibi regnum quondam Lotharii, quod fratri ſuo Imperatori debebatur, interdicentibus moleſte ſuſcepit.* Tandem cum in cauſſa Hincmari Laudunenſis iterum ſuperbius ab Hadriano appellaretur, reſpondit pro jure ſuo Carolus: cujus epiſtolæ pars à *Baronio* producitur, & mira diſputationis ambage vellicatur. Quantum ſibi in cauſſa religionis jurisjurandi *Joannes*, qui Adriano ſucceſſit, arrogaverit, ſupra tetigimus. Sed quia hujus Pontificis hiſtoria potiſſimum ad ſequentes Imperatores pertinet, non immerito differri poteſt.

ann. 870. *ad an.* 871. §.93.*& ſeq.*

Ceterum, inquietavit Eccleſiam & Rempublicam per hæc tempora Lotharii Regis maleſuada libido: qui, cum *Thietbergam* (ſ. Theubergam) Hucberti Abbatis ſororem duxiſſet uxorem, amore Waldradæ pellicis irretitus, de divortio faciendo conſilia agitavit. *A. Met.* 856

Bertiniani Annales ſtatim inſequenti anno abjectam, & altero deinde receptam, nec tamen ad thorum admiſſam ſed cuſtodiæ traditam, referunt. *Iidem*, anno 860. calumniis circumventam & in Monaſterium detruſam ponunt. Sed mox ſubjicitur: *Uxor Lotharii timens odium viri ſui, atque inſidias, ad fratrem ſuum Hucbertum in Regno Caroli aufugit. Fratre occiſo, ad fidem Caroli confugiſſe* dicitur. Subinde Legati Pontificis Nicolai, eam in manum mariti reddiderunt, propoſita excommunicationis pœna, niſi eam retineret, & Waldrada abſtineret. Structa tamen eſt nova calumnia, irrito conatu. Sed *Annales Fuldenſes* ad annum 863. & *Metenſes* ad 864. & deinceps, ea tradunt quæ conjunctim exhibet *Reginonis* narratio. Noſtri inſtituti potius eſt, aliqua annotare. Et primo quidem certum eſt, Guntharium Colonienſis Urbis Pontificem publici hujus adulterii incentorem fuiſſe; & in ſocietatem peſſimi conſilii pertraxiſſe Thietgaudum Archiepiſcopum Trevirenſem. Illius malitia, hujus imprudentia & imperitia ab omnibus notatur. Nec diſſimularunt recentiores, *Chronici Colonienſis auctor*, & *Kyriander in Annalibus Treverorum.* Auget magnitudinem ſceleris, proſanata *Synodorum Eccleſiaſticarum* auctoritas: cum in *Synodo Metenſi,*

857. 858. 860. 864. 865. 866. & 867 *ann.* 864. *part.* II. *ann.* 864.

tenſi, iñocens Regina, ſub prætextu inceſti cum fratre admiſſi, abdicaretur; & *Synodo Aquisgranenſi* Waldrada adultero permitteretur. Triumphavit utraque hac Synodo, de vitiis Cleri, profanus Lotharii furor; principemque flagitii Guntharium ludibrio inſolenti ſtatim ultus eſt, vitiata & mox remiſſa nepte, quam in Thietbergæ repudiatæ locum, avunculus deſtinaverat. Quicquid ergo Gunthario & Theutgaudo mali inde accidit, jure meritoque (quantum ad juſtitiam fati attinet) eveniſſe, putari debet. Etiam Carolum, & Germaniæ Regem Ludovicum magis probare debemus, cum Lothario nefas coram & per Legatos exprobrarunt, ac emendationem ſuaſerunt; quam Ludovicum Imperatorem, qui fratri adultero ſubinde patrocinari viſus eſt. Verum non defuit magna ratio, Pontificis ſeu Pontificum molitiones diligentius obſervandi. Miſerat Nicolaus Legatos cognituros de negotio Theotbergæ & Waldradæ. Illi autem (refero nunc *Annalium* verba) *corrupti muneribus, epiſtolas domini Apoſtolici occultantes, nihil de his, quæ ſibi commendata fuerunt, ſecundum ſacram auctoritatem egerunt. Ut autem aliquid viderentur egiſſe, Guntharium Colonienſem Archiepiſcopum, & Theutgaudum Trevirenſem æque Archiepiſcopum, cum veniis, quas in eadem Synodo ſubſcripſerunt Epiſcopi, Romam ire juſſerunt, ut judicio domini Apoſtolici ipſa cauſſa diffiniretur.* Hic interpoſita eſt auctoritas Imperatoris Ludovici. cujus fiducia cum Romam veniſſent, graduque dignitatis dejecti eſſent, non immerito, ut ante dictum eſt, graviter tulit Imperator, ſola Pontificis auctoritate geſtum, quod ſine Imperatore geri non debuerat. Et certe veriſſima eſt exceptio Guntharii & Theotgaudi, quamquam nocentium, cum apud Ludovicum Imperatorem ita conqueruntur: quod *nusquam auditum ſit, vel uſpiam lectum, quod ullus Metropolitanus, ſine voluntate Principis, vel præſentia aliorum Metropolitanorum, fuerit degradatus.* De Arſenio, *magnæ calliditatis & nimiæ cupiditatis homine* (ut in Annalibus vocatur) hoc vere dici poteſt, quod fuerit tum in hac tum in ceteris cauſſis, ambitionis Pontificiæ inſtrumentum fatale. Jam videndum quomodo ſibi conſtet Pontificia ſeveritas. Mortuo Nicolao, cum Lotharius veniſſet in Italiam, *apud Adrianum, datis illi muneribus, per Engelbergam obtinuit, ut Papa illi miſſam cantaverit, & ſacram communionem hac convenientia ei donaverit: Si, poſtquam Nicolaus Papa Waldradam excommunicavit, nullum cum ea contuber-*

Bertin. 863.

Annal. Metenſ. 865.

bernium, vel carnalis copula matrimonium, quin nec colloquium quoddam habuerit. Quæ latius eſt expoſita videre in *Annalibus*. Non abſurde autem dixeris, hanc eximiam occaſionem fuiſſe Pontificibus, majora ſpirandi, quam Eccleſiaſtica conditio capit. Nec omiſit notare *Otho Friſingenſis*, quando de excommunicatione Lotharii ita judicat: *Vide jam regno decreſcente, eccleſiam tanta auctoritatis factam, ut etiam reges judicet.* Aliis itaque temporibus, prout dominationi Pontificiæ conducebat, in contrarium exempla extant. Unde *Aventinus*, cum expoſuiſſet excommunicationem Waldradæ, in hanc ſententiam pronuntiat: *Proverbium vulgo protritum apud Germanos, omnia fert atas. Quà tunc, crimina maxima fuere, noſtro avo, modo Senatus Romani* (curiæ Pontificiæ) *conſenſu fiant, pia cenſentur. Ludovicus duodecimus Celtarum Rex, nuper cum Carolus Octavus ejus deceſſor obiiſſet, uxorem ſororem Caroli repudiat, indulgenteque Alexandro Sexto Pontif. Max. viduam Caroli ducit uxorem. Romani Pontifices cum adhuc pauperes cum Chriſto eſſent, modeſtiores fuere: nec os ſuum in cœlum auſi ponere, tantam ſibi ſolvendi legibus, permiſere poteſtatem.* In cauſſa Lothariani divortii obiter monendum eſt, falli eos, qui tanquam de Imperatore Lothario memorant.

Bertin. 869. *Chron. lib. 6. cap. 3.* *lib. 4.*

Tentavit arcana dominationis Nicolai, Joannes archiepiſcopus Ravennas; cum ſe Pontifici obnoxium negaret, ejusque auctoritatem detrectaret. Quem cum Nicolaus dignitate privaſſet, ad Ludovicum Imperatorem venit, petens per eum reſtitui in dignitatem, cujus beneficio ſit adeptus. Adnitentibus igitur Legatis Imperatoris, venia petita reſtitutus eſt in *Synodo Lateranenſi*, cujus acta extant, & ſummatim ex Anaſtaſio referuntur apud *Baronium*. Addatur *Sigonius*.

ann. 861. §. 57. & ſeq. *lib. 5. de regno Ital.*

Quantum ad *Synodos Eccleſiaſticas* attinet, Ludovico huic tribuitur *Synodus Ticinenſis* anno 855, quanquam vivente adhuc Lothario coacta. Ex actis hujus Synodi, apparet provida Imperatoris cura, tum etiam auctoritas & diſpoſitio circa res Eccleſiaſticas. Mandat ibi Imperator Epiſcopis, ut diſquirant ea, quæ emendatione opus haberent, ſibique renuntient. Et agnoſcit *Baronius* id moris fuiſſe, ut *Epiſcopi, qua vellent in Eccleſia ordinari atque diſponi, non ipſi ſacerdotali auctoritate per Canones conſtituerent, ſed ea, per capita digeſta mitterent in palatium probanda ab Imperatore.* Sed hoc

ad ann. 855. §. 4.

ille

ille *calamitati temporum* tribuit, indeque factum ait, *ut Principes prædatorie, ut latrones in ſilvis, in Eccleſias ſibi jus injuſte vendicarent, in earundemque perſonas dominium tyrannice exercerent.* Hæc eſt ſcilicet ſolita *Cardinalis* modeſtia & adverſum Principes reverentia. Factum hoc eſſe optimo jure, optima methodo, ſæpius oſtenſum eſt: neque ita malæ cauſſæ, circa jus Synodorum, patrocinium ſuſcepit *Leo Allatius*, quin attentum lectorem in veriore ſententia, quam convellere cupit, confirmaret. Ceterum fatentur ibi Patres, *Epiſcopos tum in clericis ſibi commiſſis, tum in cœtibus, non eam adhibuiſſe curam, quam debebant: eosdemque & ſacerdotes doctrinam & prædicationem verbi ſatis negligenter tractaſſe: archipresbyteros autem & aliorum titulorum cuſtodes, avaritiæ ſtudio Eccleſiarum reditus in privatos ſinus redegiſſe, in eaque re laicorum auxilio & favore uſos eſſe. nobiliores ex laicis, raro ad majores Eccleſias veniſſe, ſed baſilicas, juxta domos ſuas habuiſſe; unde cœtus religionis cauſſa locis publicis congregandos aliquod detrimentum pati neceſſe erat.* Adduntur aliqua, *de ordinandis per parochias ſine ambitu hactenus recepto, dignis perſonis: de monaſteriis prorſus corruptis, ad diſciplinam & ordinem redigendis; de reſtituendis bonis eccleſiaſticis; de decimis juxta Canonum ſanctionem diſtribuendis, neque ab Eccleſia majore in baſilicas privatas, aut clericos privatim conductos devertendis; de inceſtis matrimoniis coërcendis; de modo ſumtibus Epiſcoporum parochias inſpicientium ponendo; de feſtivitatibus non aliis celebrandis, quam quas epiſcopus deſignaverit.* Secutum eſt, *Edictum Imperatoris, quo rapinæ* coërcentur. De Synodo *Metenſi* & *Aquisgranenſi* anno 864. celebratis, ante dictum eſt: quas damnavit Nicolaus Pontifex *Synodo Romana* 865. in qua & ipſa quid deſiderari potuerit, ex ante dictis patet. Sequitur *Francica Synodus*, ab Arſenio Epiſcopo Legato Nicolai Papæ congregata in cauſſa Lotharii Regis & Waldradæ. de qua præcipue *Regino* 866. & *Annales Metenſes*. Alia eſt *Synodus Romana* anno 861. (vid. *Baron.* §. 57.) in cauſſa Joannis Ravennatis Epiſcopi, ad extremum deſerti, & in ordinem redacti. Succedunt alternatim *Synodi Conſtantinopolitanæ & Romanæ*, in cauſſa Ignatii & Photii. Notari autem debet: Hiſtoriam hujus tragœdiæ, variis dubitationibus, partim ex ſerie rei geſtæ, partim ſtudio eorum, quibus nihil liquet in hiſtoria, niſi quod ad curiæ Romanæ ſcenam compoſitum accomodatumque eſt, hodieque implicari. Specimen

de Eccleſ. occid. & Orient. perpet. conſenſ. lib. 1. cap. 23.

cimen ejus rei poſſis capere ex *Leonis Allatii* diſputatione, quam artificioſo ſuo commentario, *de Eccleſia Occidentalis atque Orientalis perpetua conſenſione* inſeruit *lib.2.c.4.5.6.* ubi multa & ſcripta & facta circa hanc rem, eo, quo dixi, propoſito in dubium vocat. Ad quæ accuratius conſideranda non patitur inſtituti ratio, ut digrediamur. Fiet forte opportuniore loco & tempore. Turbæ autem ex hoc negotio enatæ, ad ulteriora etiam pertinebunt: nunc ea tantum attingenda ſunt, quæ Ludovici II. annis congruunt. Ignatio igitur Conſtantinopolitano Patriarchæ ſub Michaële Imperatore, depulſo, Photius πρωτοασηκρῆτις ſubſtituitur anno 859. Cumque adveniſſent Romani Pontificis Legati contra Iconomachos, perducuntur & ipſi in partes Photii, concilioque celebrato Ignatius ab exilio evocatus publice damnatur. Ita breviter *Zonaras* & *Cedrenus*. Alii ita ordinant ex Actis rei ſeriem: Photium ſtatim, *congregatis* quos faventes cognoverat, *Epiſcopis*, Ignatium damnaſſe; atque ut legati tum Imperatoris, tum ſuo nomine ad Pontificem Romanum mitterentur decreviſſe. Triumphat hoc facto *Baronius*, tanquam indubie ad ſupremam poteſtatem Papæ, ut ab ipſo Imperatore agnitam, ſpectante: quaſi vero, quicunque operam & conſilium alterius ad tollendas diſcordias expoſcit, ſtatim dominum ſibi & ſupremum judicem conſtituat. Cum tot negotii momenta in contrarium lancem inclinent. Nicolaus ergo Pontifex *Synodo* ſuorum *Romæ* coacta (860.) legatos Conſtantinopolim deſtinat Rodoaldum, Portuenſem; & Zachariam Anagnienſem Epiſcopos. Mandatum his fuiſſe, ut cognoſcerent tantum cauſſam inter Ignatium & Photium, nihil autem definirent, ſtudioſe, nec ſemel, *Baronius* inculcat. Cum tamen verba *Epiſtolæ Nicolai* ad Michaëlem Imp. à *Baronio* producta, ita Legatos commendent: *Quibus etiam frequens colloquium tribuatis, & eis, quæ de Eccleſiaſtico ſtatu irreprehenſibiliter dixerint, credere non ambigatis. Et cum in conventu Eccleſiæ ſederint pro Eccleſiaſticis DEFINITIONIBUS, nihil à vobis aut ab aliis alicujus contrarietatis impetum ſentiant.* Celebrata eſt igitur ſubinde (861.) *Conſtantinopolitana Synodus* quæ Oecumenica dicta eſt, in qua deſtitutio Ignatii & Photii Patriarchatus confirmabantur. Quid ibi tum egerunt Legati Pontificii? Reſpondet Nicolaus Papa apud *Baronium*: *Pervenientes igitur Miſſi noſtri Conſtantinopolim, minis Imperii tui* (ad Imp. Mich. loquitur) *ſicut ipſi poſtea nonnunquam fatebantur, deterriti, & horrendis terroribus impulſi, contemptis & epiſtolis ſibi à nobis coram tota eccleſia*

859.

f. 581

ep. 9.

noſtra datis, imo poſtpoſito timore Dei, ſicut poſtea claruit, in contrarium verterunt omnia, quæ ſibi fuerant imperata. Alii, Legatos dolo
863. circumventos malunt credere. Hinc novi *Concilii Romani* occaſio; quo Nicolaus Legatos Conſtantinopolim miſſos deponit & excommunicat, tanquam prævaricatores: alieque in Photium & pro Ignatio, itemque de cultu Imaginum decernit, quæ in *Tomis Conciliorum*, & apud *Baronium* habes. Nihil æque hac Synodo actum eſt, quam ut Papa impotenter vindicaret, quæ contra affectatam dominationem ejus, libere erant Conſtantinopoli acta. Interim & Theutgaudi Gunthariique ac Haganonis ſociorumque literæ, querelam de Nicolai Papæ impotentia Conſtantinopolim deferunt, Photioque occaſionem præbent novæ *Synodi Conſtantinopolitanæ*: qua Photius libro conſcripto de Pontificum Romanorum tyrannide, noviſque & impiis quibusdam dogmatibus ea comprehendit, quæ etiam in *Epiſtola Encyclica Baronio* commemorata (863.§. 34.) habentur. Fiebat enim tum frequenter, ut cum Græci inter ſe diſſiderent, apud Occidentalem eccleſiam ſtudia & partes quærerentur. Idem Latini fecerunt in ſuis diſſidiis. Ubi mirum ſane eſt, ſi nemo Pontificiorum ferre poteſt, ut Græcis ſumma aliqua poteſtas delata dicatur tali conſultatione; tam violenta manu veluti ad ſtabiliendum Papæ in Orientalem Eccleſiam dominatum rapi, quicquid quocunque modo alterutra partium Romam perſcripſit. Priusquam hinc abeo, liceat annotare impiam *Nicolai* Theologiam, ſtabiliendis ſedis Pontificiæ opibus, & convellendo juri Regio, id eſt, perturbandæ tranquillitati generis humani deſtinatam. Adventio enim Metenſi Epiſcopo veniam petenti ſuper negotio Synodi Metenſis, inter alia, ita reſcribit, apud
ann. 863. §. 60. Baronium: *Illud vero quod dicitis, Regibus & Principibus vos eſſe ſubjectos, eo quod dicat Apoſtolus, ſive Regi tanquam præcellenti: placet. Veruntamen videte, utrum Reges iſti & Principes, quibus vos ſubjectos eſſe dicitis, veraciter Reges & Principes ſint. Videte ſi primum ſe bene regunt, deinde ſubditum populum. Nam qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? Videte ſi jure Principantur: alioquin potius tyranni credendi ſunt, quam Reges habendi, quibus magis reſiſtere & ex adverſo aſcendere, quam ſubdi debemus. Alioquin ſi talibus ſubditi & non prælati fuerimus: nos neceſſe eſt eorum vitiis faveamus. Ergo Regi quaſi præcellenti virtutibus ſcilicet & non vitiis ſubditi eſtote, ſed ſicut Apoſtolus ait, propter Deum non contra Deum.* Bona clauſula: ſed ἐξήγησις reliqua à propoſito & exemplo Apoſtolico plurimum abit,

eaque

eaque dogmata ſerit, è quibus perturbatores Rerum publicarum bella civilia, infandasque clades progenerarunt. Quid enim periculoſius dici queat, quam: Principes qui ſe ipſos non bene regunt, aut à virtutis tramite elabuntur, non eſſe pro Principibus habendos? ſed de Nicolai arrogantia, & tyrannide, alius erit agendi locus: nunc ad Synodos revertendum eſt. Cum Baſilius cæde Michaëlis ſibi ad imperium viam patefeciſſet, à Photio eccleſiæ communione eſt excluſus. Iratus ergo Imperator *Concilium Conſtantinopolitanum* celebrat, Hadrianique II, qui Nicolao ſucceſſerat, Legatis contra Photium impenſe favet. Illi non alios admittunt ad Concilium, quam qui Pontificis Romani auctoritati ſe manciparent, ut impudenter ſatis à Pontificiis Oecumenica Octava Synodus vocetur: cum & paucos adfuiſſe Epiſcopos *Anaſtaſius* fateatur; & qualia ſint quæ acta ſunt, res ipſa loquatur. Ediderat poſt *Anaſtaſii* verſionem, *Græce* & *Latine Matth. Raderus.* Adde *Baron.* qui ad annum 869. (nam alii variant) refert, & *Conciliorum opus noviſſimũ Pariſiis editum*. Legi omnino meretur judicium de hac Synodo, *in Annalibus Bertinianis*, *ex continuatore Aimoini* deſumtum, *ad ann.* 872. De *Synodo Romana* anni 873. in cauſſa Ludovici Imp. contra Adalgiſum, ſupra dictum eſt. Sunt & aliæ Synodi celebratæ. *Silvanectenſi* an. 862. in regno Caroli Rothadus ſeu Rhotaldus Sueſſionenſis Epiſcopus deponitur. Ita *Bertiniani Annales.* à *Baronio* 863. ponitur. Provocavit ille ad Pontificem, indeque contentio nata. *Sueſſionenſis Synodus* anno 866. præcipue verſabatur in cauſſa Wulfadi & collegarum, ab Ebbone quondam Remorum Archiepiſcopo, poſtquam is depoſitus erat, ordinatorum. Eandem cauſam tractavit *Synodus Trecenſis*, ſi eccleſiæ Gallicanæ diſſidia tolli poſſent, anno, ut *Bertiniani Annales* habent, 867; ex quibus *Frodoardus* deſcripſit. Anno 869, agente Adventio Metenſi Epiſcopo, *Synodus Metenſis* Carolo Regnum Lotharingiæ decrevit. de qua lite etiam ſupra mentio facta. Acta Synodi habes *in Bertin. Annal.* Eodem anno ponitur, *Synodus Wermerienſis* à Carolo Franciæ Rege congregata adverſus Hincmarum Laudunenſem, cum quo diuturnam contentionem habuit *Hincmarus Remenſis*, de jure & privilegiis ſuæ diœceſeos. Damnatus eſt Laudunenſis *Synodo Attiniacenſi ſ. Duciacenſi* anno 871, ut *Annales laudati* conſignant. *Baronius* 870. annotat. *Colonienſem* quoque *Synodum* à Ludovico Germaniæ Rege celebratam memorant *Annales Fuldenſes* 870. Ad Chriſtianam religionem perductos his temporibus *Bulgaros* & *Ruſſos* Græ-

Annal. Bertin. & Baron. 863.

Hiſt. Eccleſ. Rem. 3. 17.

add. Aventin. lib. 4. *Herberſt. Moſcov. cap. de relig.*

Græci Latinique ſcriptores tradiderunt. *Vid. Centur. Magdeb. IX. 2.* Bulgari à Latina Eccleſia petierunt doctores, & acceperunt. Hinc Græcorum cum Latinis contentio, de diœceſi. In Epiſcopis Argentoratenſibus poſt *Bernaldum*, *Ratholdus* ponitur. Cumque chronologia eorum hactenus à nemine ſit expedita, illud interim certum videtur, Ratoldum Argentorati hoc tempore Epiſcopum fuiſſe. quippe cum *Annales Bertiniani* memorent (anno 864.) Lotharium Regem *Ratoldum Argentoratenſis urbis Epiſcopum, cum ſcriptis præmiſiſſe ad Apoſtolicum.* Sed an duo Ratholdi fuerint, merito dubitavit *Guillimannus:* cum præſertim *Wimphelingii* narratio tempora confundat manifeſto errore: quemadmodum incaute *Hertzogius* ſecutus eſt.

Epiſc. Arg. *in Chronic. Alſat. lib. 4.*

Literæ & Studia.

in Baſilic. Fabrotti.

INcipiemus ab ipſo Imperatore, *Baſilio*, cujus opera memorantur, *Novellæ* quædam; *πρόχειρον νομικὸν*, ab Harmenopulo magnam partem transſcriptum: tum *παραινέσεις ad filium Leonem.* *Michaëlis* quoque ante Baſilium fertur *Epiſtola contra Primatum Papæ, ad Nicolaum:* itemque *contra adorat. imag. Photii*, quanta fuerit erudi-
1653. tio, vel *Bibliotheca* ejus teſtatur; ab *Andrea Schotto*, in Latinum converſa & *Auguſtæ Vindel.* ab *Hæſchelio* olim edita, nuper autem *Rhotomagi.* Etiam *Nomocanonem* fecit Photius, in quem extant *Theo-*
1651. *dori Balſamonis* & *Joannis Zonaræ* luculenti comentarii *Pariſiis* editi. Præterea *Epiſtolas ejus* anno ab hinc quarto Angli edidere, cum verſione & notis *Richardi Montacutii.* Ad ceteram viri notitiam apprime conducet *Præfatio Schotti* in *μυριόβιβλον.* Hujus adverſarius fuit *Nicetas Paphlago*, cognomen. *David*, auctor vitæ *Ignatii*, *Patriarchæ dejecti.* v. *G. I. Voſſ. de Hiſt. Græc.* 2, 25. De *Benedicti III. Nicolai I.* & *Adriani II.* Pontificum *Epiſtolis* vid. *Centur. Magdeb. IX*, 10. *Bellarmin. de ſcript. Eccleſ.* & *Chron. Eccleſ. Gualter. lib.* 2. *in Biblioth. Patr.* & ea, quæ exhibet *Opus Scriptor. Franc.* hactenus ſæpe laudatum. In hæc tempora refertur Udalricus (ſeu Huldericus, ut *Centur. Magdeb.* volunt) Auguſtanus Epiſcopus, alius ab Udalrico, qui ſequenti ſæculo vixit, ejus *Epiſtola* extat memorabilis *pro conjugio Clericorum ad Nicolaum Papam.* Addendi ſunt *Bertharius Caſſinenſis*, *Bertramus Corbejenſis*, *Thioto Prumienſis*, *Abbates*, de quorum ſcriptis *Centur. Magdeburg.* IX, 10. Hiſtoricis & Theologicis ſcriptis innotuerunt, quos partim ad Ludovici II, partim ad hujus & Ca-

roli

roli Calvi, Ludovici III. & Caroli Craſſi tempora pertinere notat *Gerh. Joh. Voſſ. de Hiſt. Lat. 2,36. & 37. Meginhartus, Florus, Almannus Gallus ſ. Almantius, Paſchaſius Radbertus, Milo, Hubaldus ſ. Hucbaldus, Joannes Diaconus, Haimonus, Burchardus Dorceſtrius, Emericus, Gildas Cambrius* fabuloſus & fortaſſe ſuppoſititius ſcriptor; *Rembertus ſ. Rimbertus* Ansgarii in Archiepiſcopatu Hamburgenſi ſucceſſor. Ex *Epiſtolis Hadriani* Papæ adjungam obiter elogium Ludovici Imper. Ad Duces, Comites & Primores Regni Caroli ſcribens, eosque exhortans ut concordiam inter fratres ſtabiliant, de Ludovico ita loquitur: *Non autem ignorare vos credo, qualiter deſiderabiliſſimus & ſpiritalis filius meus Hludovicus piiſſimus & à Deo protectus Imperator, non ut quidam adverſus ſanctæ religionis filios, non contra fidei Chriſtianæ domeſticos, ſed adverſus filios Belial, adverſus Chriſti nominis inimicos, præcipue pro noſtra ſecuritate, proq; multorum liberatione fidelium, qui fine tenus apud Samnium, & circumquaque regiones jam jamque periclitabantur, ita ut etiam fines noſtros infeſtatio propemodum Saracenorum invaderet, egreſſus à ſummo ſublimitatis propriæ ſolio, & à pacatiſſimo requiei ſuæ fundamine, non corpori parcat, non æſtibus, non algoribus, non denique ullis eventibus cedat; ſed omnia incommoda, omnia diſcrimina pro Chriſti nomine tolerans, nihil eſt quod pro Chriſtianorum exemtione recuſet arripere, nihil eſt quod pro fidelium quiete ac pace declinet aſſumere. Denique non modicam Eccleſiæ ſanctæ quietem per eum divina pietas operata eſt; nec modice Paganorum vires fortitudine ſuperna proſtratæ ſunt: ſiquidem ſæpius hoſtes tanquam mures cavernis ſuis egreſſos ad ſua latibula terga vertere compulit, & brachia contra noſtros exerta potenti virtute diſſolvit. Quin & nobis omnibus qui longe fuimus & qui prope, magna ſecuritatis præſidia contulit, dum ſcilicet nonnullos eorum proſtravit, nonnullos etiam ab eorum ſuperſtitione convertens, Chriſti fidei & veræ religionis itinera ſectari docuit.* Quomodo hæc conveniant cum reprehenſione *Remberti* apud *Baronium* 872. §. 3, in promtu eſt animadvertere. *Franc. du Chesne tom. 3. & Baron. 869.*

De *Mahummediſmo & Judaiſmo* vidè *Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. cap. IX. ſect. 2. & 4.*

Memorabilia alia.

R*Egino & Annales Metenſes* anno 858. narrant copioſius ſpectri diabolici præſtigias, quibus vicus in Regno Ludovici Germa-

niæRegis per trienniũ infeſtatus ſit publice: crimine in unum hominem collato, quaſi is malorum talium auctor eſſet. Quocunque enim ſe ille conferebat, infelix gen us præſto erat, damnisq; variis homines multabat. Igitur miſellus homo innocentiam ſuam candenti ferro demonſtrare contendit. cujus moris tanquam pii, in deſcriptione hujus hiſtoriæ, defenſionem ſuſcipit *Aventinus*, non ſine ſuperſtitionis quodam prætexto. Quam hoc ipſo ſæculo *Nono* nonnullos agnoviſſe, teſtimonio eſt, quod Nicolaus Pontifex, cum Lotharius Rex objectum Theutbergæ adulterium per campiones ex utraque parte comparatos, ſimili ſuperſtitionis genere, probatum iret, reſpondit: *Singulare certamen nulla divina lege ſancitum eſſe. qui id tentarent Deum ipſum videri tentare.* apud *Sigonium de Regno Ital. lib. 5. ann. 866.* De *Locuſtarum ingentium agminibus* Galliam depopulantibus videas *Annales Fuldenſes* anno 874.

Epitaphium Ludovici II. Imp. quod in Eccleſia S. Ambroſii Mediolani ſepulcro ejus inſcriptum eſt.

D. P. M.

Apud Baron. 875. & Andr. du Cheſne tom. 2. p. 399.

Hic cubat æterni Hludovicus Cæſar honoris,
   Æquiparat cujus nulla Thalia decus.
Nam ne prima dies Regno ſolioque vacaret,
   Heſperiæ genito ſceptra reliquit avus.
Quam ſic pacifico, ſic forti pectore rexit,
   Ut pueri brevitas vinceret acta ſenum.
Ingenium mirerne, fidem, cultusve ſacrorum,
   Ambigo, virtutis an pietatis opus.
Huic, ubi firma virum mundo produxerat ætas,
   Imperii nomen ſubdita Roma dedit!
Et Saracenorum crebras perpeſſa ſecures,
   Libera tranquillam vexit ut ante togam.
Cæſar erat cœlo, populus non Cæſare dignus,
   Compoſuere brevi ſtamine fata dies.
Nunc obitum luges infelix Roma Patroni,
   Omne ſimul Latium, Gallia tota dehinc.
Parcite. nam vivus meruit hæc præmia. gaudet
   Spiritus in cælis, corporis extat honos.

CARO-

CAROLUS II. CALVUS LUDOVICI PII EX JUDITHA FILIUS, CAROLI MAGNI NEPOS.

Annotatio Temporis.

NAtus eſt 823. m. Junio. Judicio Patris Regnum Franciæ ſortitus eſt, ut ſupra diximus. Cujus regni *anno trigeſimo ſeptimo*, ut habent *acta Electionis*, Imperator creatus, ſupervixit *annos 2. m. 2. & d. aliquot*. Obiit pridie Non. Octobr. 877. Ita *potiores. aliqui* annum ulteriorem ponunt. *Script. Vit. Lud. apud Andr. du Cheſne tom. 2. pag. 458. & ſeq. 876.*

Elogium.

PRincipem hunc multiplex adverſitas per omnem vitam exercuit. cujus tamen magnam partem ſibi conſcivit ipſe; varius in conſiliis, actu infidus, ambitione præceps; & per hæc non raro ſævus. Adeo autem ei in conſuetudinem venerat, mala malis redimere, ut ſciens volensque à cordatis agendi rationibus ſubinde elaberetur. Sed pleraque ejus fata in antegreſſa, Lotharii ſcilicet Fratris, & Ludovici nepotis tempora congruere vidimus. Imperatoria dignitas breviſſima fuit, ſicut jam ſignavimus. Decedens autem vita Ludovicus II. Imp. non reliquerat maſculam ſubolem. hæc occaſio fuit, de Imperatoris nomine & Italiæ regno concertandi. Antea enim Carolus M. Ludovicum Pium; Ludovicus Lotharium; Lotharius filium Ludovicum quisque ſcilicet parens majorem natu filium ea dignitate impertiverat. Nunc Itali Francique, illi ad recuperandum decus antiquum; hi ad retinendam avitæ laudis gloriam incitabantur. Inprimis autem duo Fratres, Ludovicus Germaniæ Rex, & Carolus hic noſter Calvus, comperta Imperatoris Ludovici morte, ſucceſſionem ejus fore credebant, qui Italiam armis prior occupaſſet; Romanæque Urbis animos ſibi conciliaſſet. Carolus igitur de obitu Ludovici certior factus, filium ſuum tuendæ parti Regni, quam acceperat, Lothariani dimiſit; ipſeque ad iter Italicum omnia comparavit. Ubi proſpera uſus fortuna, præoccupatis locis opportunis, Ludovici Germanici alterum filium Carolum adverſus ſe miſſum profligavit: alterum Carolomannum itidem recedere coëgit: ſive *menſe Auguſto Annal. Bertini 875.*

pretio

pretio & vanis pollicitationibus inductum (quod *Fuldenſes Annales* tradunt) ſive, quod viribus Caroli imparem ſe judicaret; quod *Bertiniani Annales* memorant. Ipſe quoque Ludovicus Rex cum filio cognomine, regnum fraternum deprædando Attiniacum uſque progreſſus, extorquere Italiæ Carolum, fruſtra conatus eſt. Is
876. enim Romam pervectus, tantis largitionibus Romanorum & Pontificis ſtudia ſibi comparavit, ut emiſſe potius, quam electione accepiſſe Imperium videri poſſet. *Scriptor Annalium Fuldenſium* ſtilo paulo ſeveriore: *omnem Senatum populi Romani more Jugurthino corrupit, ſibique ſociavit: ita ut etiam Johannes Papa votis ejus annuens, corona capiti ejus impoſita, eum Imperatorem & Auguſtum ap-*
ad ann. 875. *pellare præcepiſſet.* *Annales Metenſes* bis idem teſtantur: *Carolus Calvus datis Apoſtolico Johanni & Romanis magnis muneribus, Imperator creatur.* Et ad annum 877. *Carolus Imperatoris nomen à Præſule ſedis Apoſtolicæ Joanne ingenti pretio emerat.* Exemto mox rebus humanis Ludovico Germaniæ Rege, filius ejus, præter fas & morem controverſiam movit, de paternis ditionibus, non ſine verborum ludibrio, cum patre ſe pactum, non cum filiis, cavillatus.
An. Bertin. 876. & Metenſ. Sed cum nihil à ſe impetrari pateretur æqui, ac de opprimendo Ludovico Juniore, inter ſimulacra pacis, conſilium agitaret, Wilibertus Colonienſis Epiſcopus, fruſtra increpita improbitate, Lu-
A. Fuldenſ. dovicum per hominem fidum, quid pararetur, admonuit. qui maxima clade apud Andernacum patrui iniquitatem ultus eſt. Inſequente anno multa Pontificis obteſtatione adverſum Saracenos in
Aimoin. lib. 5. Italiam accitus, cum eo veniſſet, & Pontificem Papiæ obvium habuiſſet, nuntio adventantis cum exercitu Carolomanni revocatus, in morbum incidit; propinatoque per Judæum Sedechiam, cujus arte medica an magica familiarius uti conſueverat, veneno, in tugurio
An. Bertin. extinguitur; & apud *cellam quandam Monachorum Lugdunenſis Epiſcopii, quæ Nantoadis dicitur*, ſepelitur: unde poſt annos aliquot Pariſios tranſlata Oſſa, in Monaſterio S. Dionyſii monumentum ſepulcri nacta ſunt. Agitaſſe eum vaſta & immania quædam, ex quo Imperator eſt factus, ſermones ſuperbiſſimi arguunt: *cum ſe Rhenum exſiccaturum, multitudine equorum, omnemq. Germaniam occu-*
Ann. Fuldenſ. 876. *paturum minaretur.* Sed &, *Imperatorem & Auguſtum omnium Regum cis mare conſiſtentium* appellari ſe præcepit. Inſolentia quoq; novi habitus, Græciq; moris imitatio invidiæ fuit ad populos. à quibus amari, neſcio an meruerit, nunquam certe ſtuduit.

Quæ

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

QUin Carolus Calvus non parum imminuerit dignitatem Imperatoriam, quando ſuffragationem Pontificis quodammodo emit, negari nequit. Cui ſcenæ ſtrenue ſervivit Pontifex, cum Imperatorem ſibi jurata fide ad auxilia ferenda obligaret; ejusque electionem Synodi Romanæ decreto ſplendidiſſime confirmaret. *in Februar.* Extant *Acta* ejus *confirmationis*; in quibus oratio Pontificis artificioſæ modeſtiæ plena legitur. *877.* Quia enim ſciebat, ſe male audire, *apud Andr. du Cheſne* ob accepta munera, Carolum immenſis laudibus in cælum vehit, *tom. 2. pag.* ejusque merita avitis paternisque præfert. hinc inferri tempeſtivum *467. & ſeq.* erat, non ambitione ſed judicio lectum, qui digniſſimus eſſet. Sed *Baronius* hoc quoque non audet ſibi arrogare Johannes: verum ait; Nico- *hyperbolicas agnoſcit.* lao Pontifici pridem cœleſti inſpiratione revelatum eſſe. A Deo igitur deſtinatum vocatumq; ſe approbaſſe: idque, *una cum anniſu & voto omnium Fratrum & Coëpiſcoporum ſuorum, atq; aliorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ miniſtrorum, amplique Senatus, totiusque populi Rom. gentisq; togatæ.* Denique, *quod* ipſe *auctore Deo famulatus ſui miniſterio gesſerit, preces benedictionis fundendo, & coronam imponendo ſceptri, & diadema Imperii*, ab Univerſo Concilio confirmari petit. Hæc modeſtia, quocunque tandem conſilio, publice certe & ſolenniter à Pontifice promulgata, opponi debet ſuperbis Pontificiorum declamationibus. quibus merito accenſeas etiam *Sigonii* illum floſculum, cum ad hanc hiſtoriam ita judicat: *de Regn. It. lib. 5. ann.* *Hinc titulus imperatoris Auguſti poſt hac ſincerum Pontificis beneficium eſſe, annique Imperii à conſecratione Pontificia repeti cœpti.* *876.* Quod, quam fragili nitatur fulcro, ſuis paſſim locis, oſtendetur. & poſſunt interea legi quæ *Joannes Garſenius* & *Simon Schardius*, de Pontificia Imperatoris coronatione ſcripſerunt. *ap. Goldaſt. Polit. Imperial. part. 4. de paſſagiis.* quibus adjici forte queat *Æneæ Sylvii* judicium ex *Hiſtoria Mſc. de rebus Friderici III.* à nobis alibi productum. Hoc tamen accipimus libenter, quatenus *Sigonii* opinio eos arguit, qui ab ipſa Caroli M. coronatione ſolidum Pontifici jus arceſſere ſolent. Quod autem ex *Actis confirmationis*, *Baronius* *ad ann. 876 §. 9.* putat luculente oſtendi, *Pontificis auctoritatem & poteſtatem in creandis Imperatoribus, ut non nudum exhibeant miniſterium in ipſis ungendis & coronandis, ſicut facere ſolent Patriarchæ Conſtantinopolitani in coronatione Orientalium Imperatorum:* id quidem non alius crediderit, quam cui ex quovis ligno Mercurius fit, qui paſſim nun-

mingardam apud ſuæ factionis homines educatam Boſoni, quem omnia apud Calvum poſſe ſciret, collocaſſe. Ipſam autem fœminam, quæ Baſilio Græco Imperatori deſponſa fuiſſet, patremque, avum, proavum, abavum Auguſtos meminiſſet, Regem optaſſe virum; neque Calvum votis adverſum habuiſſe. Huic Boſoni poſtea conventu Mantalenſi Regis nomen ab Arelatenſis regni Epiſcopis Proceribusque delatum eſt ſolenniter Idibus Octobris anno 879. Excerpſit *Acta* ex *annalibus Burgundiæ Guillelmi Paradini*, & *Conciliis Galliæ*, *Andreas du Cheſne tom.2. p.* 480.*ſeq.* An Carolus revera eum *Regem* fecerit, non injuria dubites. Annales *Bertiniani* tantum referunt *Ducem* conſtitutum, & *Corona Ducali ornatum.* Ex illa Corona regnum fabricatum ſuſpicor.

Habet hæc & Regino lib. 2. ad an. 876.

Ludovicus Germaniæ Rex anno 876. ſuum diem obiit: quem hoc elogio proſequuntur *Annales Metenſes*: *Fuit iſte Princeps Chriſtianiſſimus, fide Catholicus, non ſolum ſæcularibus ſed etiam Eccleſiaſticis diſciplinis ſufficienter inſtructus. Quæ religionis ſunt, quæ pacis, quæ juſtitiæ, ardentiſſimus executor. Ingenio callidiſſimus, conſilio providentiſſimus, in dandis ſive ſubtrahendis publicis dignitatibus, diſcretionis moderamine temperatus. In prælius victorioſiſſimus; armorum quam conviviorum apparatibus ſtudioſior. Cui maxime opes erant inter inſtrumenta bellica. Plus diligens ferri rigorem, quam auri fulgorem. Apud quem nemo inutilis valuit, in cujus oculis perraro utilis diſplicuit, quem nemo muneribus corrumpere potuit. Apud quem nullus per pecuniam, Eccleſiaſticam ſive mundanam dignitatem obtinuit: ſed magis eccleſiaſticam probis moribus & ſancta converſatione; mundanam devoto ſervitio & ſincera fidelitate.* Ex uxore Hemma tres filii Carlomannus, Ludovicus & Carolus, regnum paternum inter ſe diviſerunt: ita ut Carlomannus *ſortiretur Bajoariam, Pannoniam, & Carnutum, quod corrupte Carantanum dicitur, nec non & regna Sclavorum, Beheimenſium, & Marahenſium*; Ludovicus, *orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & partem regni Lotharii*, jam adverſus patruum defenſam, ut diximus; Carolus *Alemanniam & aliquas civitates ex regno Lotharii. Regino.*

Juſtitiam cauſſæ ſuæ Ludovicus, Germanici, de cujus morte modo diximus, Filius cum à patruo Imperatore Calvo armis impeteretur, ſuperſtitioſo, ut tum tempora ferebant, more, in quo ſumma religio-

religionis & innocentiæ ponebatur, ita declaravit: *decem homines aqua calida, & decem ferro calido & decem aqua frigida ad judicium miſit coram eis qui cum illo erant: petentibus omnibus, ut Deus in illo judicio declararet, ſi plus per rectum ille habere deberet portionem de Regno quam pater ſuus illi dimiſit ex ea parte, quam cum fratre ſuo Carolo per conſenſum illius ac per ſacramentum accepit. Qui omnes illæſi reperti ſunt.* Ut eſt in *Annalibus Bertinianis.* Cujus generis *ad an. 876.* purgationes merito damnat melior philoſophia. Vid. *Gregor. Tholoſ. ſyntagm. Jur.* 48. 15. De ritu ipſo vide *Lindenbrogii Gloſſarium*, voc. *Judicium aquæ.*

Excerpta de rebus geſtis.

IN hæc tempora, quibus Carolus Calvus Imperator factus eſt, *Annales Metenſes* referunt, certamina Paſquitani & Vurfandi Du- 875. cum, de regno Britonum, poſt Salomonis Regis mortem. Quæ *alii* citerius ponunt. Stupenda autem ſunt, quæ de Vurfandi fortitudine copioſius ibi commemorantur. Nos enim nolumus exſcribere.

Illud quoque, eventus inopinati admiratione omnibus memorabile viſum eſt: quod Carolomannus Ludovici Germanici filius, magno cum apparatu adverſus Carolum Calvum in Italiam profectus, fama quidem & terrore expeditionis ſuæ, Imperatorem fugavit: ipſe autem, in vicem, inani rumore de viribus & inſtructu Ca- *Annal. Bertin.* 877. roli, re infecta, fugienti & ipſe ſimilis, domum redire feſtinavit. Qualem, explorandi hoſtilia, negligentiam, ne capere quidem poſſunt, qui virum militarem & diſciplinam armorum cogitant.

De Conſtantinopolitano Imperatore, & Externis dominationibus.

Ut aliquid hic dicamus, conſultum non videtur, ne in minutias ſpargantur iſta, quæ facilius ulterioribus ac citerioribus connexa noſcuntur,

Eccleſiaſtica.

FUit hic Princeps toto, etiam priore, regni ſui tempore tenaciſſim⁹ juris ſui in Eccleſiaſtica, ſicut præcedentia docuerunt. Cum Impera-

Andr. du Cheſne tom. 2. pag. 483. plures anno 879. tribuunt. *Fragmentum Eccleſiæ S. Quintini* 880. *nominat.* *Onuphrius* Regni tempus putat ann. 1. m. 6. d. 5.

Elogium.

BRevitas temporis, quo reipublicæ præfuit, effecit, ut & hiſtoria ejus & vita in ambiguo eſſet. Itaque *Cuſpinianus* nec bonis nec
ad ann. 878 malis Cæſaribus eum annumerare audet. *Annales* tamen *Metenſes* hoc eum proſequuntur elogio: *Fuit iſte Princeps, vir ſimplex ac mitis, pacis, juſtitiæ & religionis amator.* Uxores duxit duas. quamquam priorem *Anſgardam*, poſtquam duos ex ea filios *Ludovicum* & *Carlomannum* ſuſcepiſſet, Carolus pater divortio divulſit ab ejus latere, quod ſe inconſulto & invito, eam in matrimonium aſſumſiſſet. Tradita ei eſt deinde *Adelheidis*, quam decedens gravidam reliquit:
lib. 11. enixam poſtea *Carolum* poſthumum. *Mutius* in hac hiſtoria, omnia confundit: Carolum Craſſum, pro Carlomanno nominans, eumque contra Ludovicum Balbum, creatum eſſe Imperatorem aſſerens: cum ἐπικείσει: *Balbi nomen Imperatorium vertitur in riſum, nec ſcribitur in albo Imperatorum.* Longe melius ſeriem rei orditur *Sigonius*:
de regno Ital. lib. 5. *Mortuo Calvo Carlomannus* (Bavariæ Rex) *extemplo Italiæ regnum iniit. An vero Italiam, cui imminebat, adierit; an potius, ut Franci ſcribunt, in regnum ſuum Bavariæ, falſo Caroli adverſus ſe contendentis nuntio exanimatus receperit, parum compertum. Regnum quidem ipſum Italiæ per triennium tenuiſſe, in maximo Francorum Germanorumque Annalium ſilentio, vetera multa, quæ in Lombardia leguntur, diplomata fidem faciunt: quibus ipſe Bavariæ atq; Italiæ Rex, ſic enim ſe inſcribit, per hos tres annos, eccleſiis populiſq; beneficia confirmavit, ante à Carolo, Pio, Lothario & Ludovico Regibus condonata. Omnia vero diplomata in Bavaria data ſunt.* Hæc altius conſiderata, non unius generis diſciplinam habent. Illud interim non dubitandum puto: Italiæ Imperium, partim propter factiones, partim propter hunc veluti tranſitum rerum, in ambiguo fuiſſe. Et Ludovico huic Balbo, etiam ad Galliæ imperium omnia viam intercludere videbantur. Noverca Richildis, blanditiis & precibus delinienda fuit.
877. id quod *Annales Bertiniani* hoc fere modo efferunt; Richildem cum Proceribus quibusdam, iratis itinere ſatis tumultuoſo adventaſſe, donec legationibus ultro citroque miſſis, *Compendium ad Ludovicum venerit, & attulerit ei Præceptum, per quod pater ejus illi Re-*

gnum

gnum ante mortem ſuam tradiderat, & ſpatam quæ vocatur ſancti Petri, per quam eum de Regno reveſtiret. Sed & regium veſtimentum, & coronã, ac fuſtem ex auro & gemmis. Proceres certe, paterni imperii pertæſos, nullo non genere indulgentiæ demereri coactus eſt. Coronatus eſt ergo ab Hincmaro Archiepiſc. Remenſi ſoleñi cærimonia Rex Franciæ. Inſequente anno, à Papa Johanne VII. Id. VIIbris Trecis ſ. Tricaſſibus coronatus eſt (Imperator ſcilicet) & jurejurando adactus, ſe Eccleſiam defenſurum. Mirum autem eſt, quod nulli Annales, nec *Fuldenſes*, nec *Bertiniani*, nec *Metenſes* Imperatorii nominis mentionem habent, ſemper ut de Rege loquentes. Ex *Epiſtolis* tamen *Johannis* Papæ *Baronius* unam citat, (87. ſc.) Ludovico ſcriptam *cum jam* (ut ait) *infulas Imperii ſuſcepiſſet ab Eccleſia Romana.* Valetudinem ejus veneno infirmatam crediderunt. Unde, cum ad rebellionem Bernardi Markionis domo exiſſet, viribus defectus demandata Ludovico filio expeditione, Compendium rediit, inſigniaque Regni ad illum ipſum filium, tanquam ſucceſſionis pignora, miſit; morbo & vita ſolutus die Paraſceves IV. Id. Aprilis. In *Chronico veteri* apud *Fr. du Cheſne tom.* 3. *p.* 359. legitur: *Ludovicus Balbus vel nihil fecit, filius Caroli Calvi, annis II.* (ſc. regnavit) *obiitque anno verbi incarnati* 879. *Compendii.*

878. *ad ann.* 878. §. 13. 879.

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

IMperatoris nomen & dignitatem magnopere eviluiſſe hoc tempore manifeſtum eſt. In Italia, verbis potius, quam re ipſa, Ludovicus aliquid juris vindicabat. Patrueles ſuos metuere & conciliare cogebatur. Domi non deerant factiones, rebelliones, incurſiones hoſtiles. Sunt præcipue duo monumenta, quibus ſtatus Reipublicæ, qualis hoc tempore fuit, accurate deſcribitur. I. eſt *Epiſtola Hincmari*, qua ſuum illi de pacifica Regni adminiſtratione conſilium ſuggerit, oſtendendo ſcopulos, ad quos facile impingi queat. Ante omnia, *Procerum Conſilia & auctoritatem nunquam feliciter contemni*, exemplis & rationibus, firmat; atque inde, congregandos Proceres in unanime concilium, infert. Deinde ſuadet: *ne Eccleſiæ exactionibus onerentur; ne Proceres virique nobiles bonis ſuis, vario prætextu diſpolientur; ne licentia rapinarum ulterius graſſetur; ne Nortmannis porro Regnum direptui ſit, aut tributarium veluti habeatur; ut conſiliis & conſiliariis libertas detur; cum ſobri-*

Andr. du Cheſne tom. 2 *pag* 475.

nis autem Regis pax firmetur. II. Acta *Conventus Furonenſis*, quæ apud *Andream du Cheſne* inſcribuntur ad ann. 879; in *Annalibus Bertinianis* 878. Adde *Goldaſtum*, *Conſtitutionum tom. 3.* Pacti ſunt inter ſe Ludovicus Balbus, & Ludovicus Ludovici Germanici filius 1. *ut regnum Lotharingiæ diviſum ſit & maneat, ſicut Patres eorum habuerunt.* In 2. capitulo ipſa verba ponam: *De regno vero, quod Hludovvicus Imperator Italiæ habuit, quia nec dum ex illo aliqua diviſio facta eſt, quicunque modo illud tenet, ita teneat: donec domino volente ſimul venientes cum communibus fidelibus noſtris, inveniamus & definiamus, quod ex hoc melius & juſtius fuerit. 3. De Regno Italiæ, quia modo nulla ratio eſſe poteſt, omnes ſciant quia partem noſtram de illo Regno & requiſivimus & requirimus, & Domino auxiliante requiremus.* Quæ ſequuntur, pertinent ad firmandam tantiſper amicitiam, donec etiam Carlomannus & Karolus, reliqui filii Ludovici Germanici in proximum Concilium veniant, plenioriſque concordiæ viam communibus conſiliis inveniant.

Acta *Coronationis* Regiæ 6. Id. Xbris Compendii factæ partim in *Annalibus Bertinianis* habentur, partim peculiari conſignatione *tom. 2. Andreæ du Cheſne*: ubi ponitur *petitio Epiſcoporum*, de conſervandis privilegiis ſuis & defenſione eccleſiarum impetranda, juxta Capitulum primum Cariſiacenſium Comitiorum à Carolo celebratorum. 2. *Promiſſio Regis Balbi.* 3. *Benedictiones ſuper Hludovicum Regem factæ.* 4. *Sacri olei infuſio.* 5. *Impoſitio coronæ.* 6. *Sceptri traditio.* 7. *Benedictionum formulæ.* In *Annalibus*, veluti exempli cauſſa, annotatur ipſa formula *Commendationis Anſegiſi Epiſcopi & aliorum Epiſcoporum, qui adfuerunt ap. Compendium, quando benedixerunt Ludovicum filium Caroli Imperatoris*, in hæc verba: *Me ac eccleſiam mihi commiſſam vobis commendo ad debitam legem & juſtitiam conſervandam, & defenſionem exhibendam, ſicut Rex Epiſcopos Eccleſiæ ſuæ juſto judicio conſervare & exhibere debet.* Additur formula fidei juratæ: *Ego, ille ipſe ſic profiteor: De iſta die & deinceps iſti Seniori & Regi meo Ludovico Caroli & Hermintrudis filio, ſecundum meum ſcire & poſſe, & meum miniſterium, auxilio & conſilio fidelis & adjutor ero: ſicut Epiſcopus recte Seniori ſuo debitor eſt, in mea fide & meo Sacerdotio.* Accedit promiſſio Regis, quæ data ſcribitur *Compendii 2. Kal. Xbr.* adeoque ante ipſa Coronationis ſolennia.

In

In Italia ſtatim ab obitu Caroli Calvi factiones fuiſſe, ex iis, quæ dicta ſunt, intelligi potuit. Carolomannus enim, ſpem Regni Italici ſemel animo hauſtam non dimiſit. Itaque (ut habent *Annales Fuldenſes*) *Lantbertus Witonis filius, & Albertus Bonifacii filius, Romam cum manu valida ingreſſi ſunt, & Johanne Pontifice ſub cuſtodia retento, optimates Romanorum fidelitatem Karlmanno ſacramento firmare coëgerunt.* Quibus inde digreſſis Pontifex ædis Petrinæ theſauros in Lateranum contulit, clauſitque ædem, ut nemini orandi cauſſa ingredi liceret. Quod *dictu nefas* eſſe, *Annales Fuldenſes* notant. Ad hunc modum: cum omnia Romæ eſſent perturbata, Pontifex, excommunicatis Lantberto & Adalberto, in Galliam venit, opera Boſonis Provinciæ reguli uſus, cum quo occulta conſilia agitabat. Non enim incaute accipi debet, quod *Æmylius* ait: *Pontificem Francicarum partium fuiſſe, conſtantiæque ac præjudicii ſui eſſe duxiſſe, ut cum Calvum Auguſtum creaſſet, Balbum filium in ejus defuncti locum conſtitueret.* Non properavit certe hoc facere; ſed ante omnia Regnum Italiæ Carlomanno ereptum Boſoni committere ſtuduit, teſte *Fuldenſium Annalium ſcriptore.* Poſtea, cum Balbus Trecas ad Pontificem veniſſet, *colloquio conſtituto Balbus* (verba *Sigonii* ſunt) *durus ſe ipſius atq; Eccleſiæ, quæ commemorabat, temporibus affuturum oſtendit, ſi ille ſe Auguſtali corona, quam patri ſuo tradiderat, exornaret.* tum Pontifex annuit. *Bertiniani Annales* addunt: *Poſtea* (Balbus) *per Miſſos* ſuos petiit eundem Papam, ut uxorem illius in Reginam coronaret. Sed obtinere non potuit. Si *Regina* eſt Imperatrix hoc loco, forte Papa in gratiam Angelbergæ ſ. Ingelbergæ adhuc viventis Eximperatricis, negaverit. Sed majoris momenti eſt, quod ſequitur: *Frotarius autem & Adalgarius Epiſcopi attulerunt in conventum Epiſcoporum Papæ Joanni Præceptum, per quod pater ſuus Ludovico Regnum tradiderat, petentes ex ipſius parte* (Ludovici) *ut privilegio ſuo ipſum Præceptum confirmaret.* Tunc Papa Joannes, fictum in vicem Præceptum Caroli Calvi de Abbatia S. Dionyſii Romanæ eccleſiæ data, illiusque reſtitutionem à Balbo firmari petiit. *Quod argumentum* (ita pergit *Hiſtoricus*) *ſicut factio & non ratio, imperfectum remanſit.* Obliquus Papæ animus inde colligitur; & ſophiſtica cum Ludovico agendi ratio patet. Cetera obſcura ſunt. Si enim Regnum Franciæ intelligitur; quid opus confirma-

ad ann. 878.

ad ann. 878.

tione Pontificis? & cur Pontifex negaret id quod minus eſt, majoribus conceſſis, Imperatoria ſcilicet dignitate? Forte Regnum Italiæ intelligas. Quid cauſſæ fuit ergo cur negaret Pontifex, qui Carlomanni auctoritatem defugiebat? Et quis crederet, Ludovicum Abbatiam denegaturum fuiſſe, ſi regno Italiæ in vicem potiri poſſet?

Mortem Ludovici exceperunt turbæ, *Tribus illis vetuſtiſſimorum* (quantum ad hæc tempora attinet) *Annalium conditoribus* ante laudatis, deſcriptæ. Miſerat quidem vicinus morti inſignia regni cum ipſo jure ſucceſſionis ad Ludovicum filium, ut ſupra attigimus; ſed antequam pertuliſſent legati, audita morte ad Theodoricum Camerarium referunt. Is cum Boſone paciſcitur de partibus potentiæ. Qui ut ſtare poſſent, etiam filios Balbi Ludovicum & Carolomannum conſecrant Reges. Interea Gozlenus Abbas & Chuonradus Comes Ludovicum Alemanniæ Regem ad invadendum Galliæ Regnum ſolicitant. Cum quo pacem faciunt Boſo & ſocii tradita regni Lothariani parte. Boſonem ipſum, partim ſtimulis uxoris actum, partim occaſione temporis illectum; Epiſcopis illarum partium perſuaſiſſe ferunt, ut *Rex* crearetur. Cujus *conventus acta* in Calvo nominavimus. Hoc demum tempore Carolus Craſſus Longobardicum regnum invaſit, & in Italiam contendit. In quo itinere Ludovicus & Carlomannus eum convenerunt, regreſſique adverſum Nortmannos proſpere pugnarunt. Mox cum Ludovico Germaniæ Rege, iterum in has partes pellecto, pacem fecerunt: ipſique regnum ita diviſerunt, *ut Ludovicus quod de Francia reſiduum erat ex paterno Regno, ſed & Neuſtriam cum Marchiis ſuis haberet; & Carolomannus Burgundiam & Aquitaniam cum Marchiis ſuis haberet; & quique de Proceribus ſecundum convenientiam* (quod convenerat) *in cujus diviſione honores haberent, illi ſe commendaret.* Inde apud Gundulfi villam conventum celebrarunt, cum Ludovici Germ. ægrotantis legatis, & Carolo Craſſo ex Longobardia reduce; communique ope adverſarios præſertim etiam Boſonem impugnarunt. De qua expeditione Carolus Craſſus, qui Viennam obſidendam ſuſceperat, ubi uxor & filia Boſonis jam fuga elapſi, agebant, divertit in Italiam, Romæque Imperator factus eſt. Itaque inter mortem Balbi & Imperium Caroli aliquod interregnum collocari debet. quod & *Baronius* agnoſcit.

Regin. ad ann. 879.

Annal. Bertin. 880.

ad ann. 879 §. 3.

In

In Conſtantinopolitano, ceteriſque Externis Imperiis.

Cum pleraque ante conſignata ulterius pertingant, nihil hic interpolamus; Angliæ quoque Regem, qui Ethelredo ſucceſſit, in ſequentem rerum contextum referentes. Idem propoſitum tenebimus, in iis, quæ ad *Literarum ſtudia & viros doctos* ſpectant.

Eccleſiaſtica.

SYnodus Trecis ſ. Tricaſſibus celebratur à Johanne Papa, cum Imperator valetudine detentus, ab initio adeſſe non poſſet. Ubi Excommunicatio Landberti & Adalberti cum ſociis, tanquam hoſtium eccleſiæ, & invaſorum rerum Eccleſiaſticarum, ab Epiſcopis confirmatur. Formula confirmationis extat in *Annalibus Bertinianis*. Adde *Baronium*. Inter alia, etiam tum de cauſſa Hincmari Laudunenſis & Remenſis actum eſt: Pontifice favente contra Remenſem Laudunenſi: ita tamen, ut non poſſet Hincmari Remenſis rationes apologeticas aſpernari. Male autem habuerat Pontificem, quod Hincmarus, plus tribuendum Canonibus veterum Synodorum, & privilegiis Eccleſiarum, quam novis Pontificis decretis cordate docuiſſet & oſtendiſſet. In *Orientali Eccleſia*, diſſidium in cauſſa Photii & Ignatii accendit Johannes Pontifex; dum Ignatium Patriarcham jurgio adoritur, ob Bulgariam, quam ſuæ ditioni vendicabat, ut ſupra cœpimus dicere; & excommunicat eum, niſi intra 30. dies revocaret Epiſcopos à ſe in Bulgaris ordinatos. An paruit Ignatius? Minime. Igitur, cum contra Photium tantopere commendatur Ignatius, cum exceptione hujus labis illa elogia audiri debere, *Baronius* contendit; eo more judicandi, qui intelligi à nemine poteſt, niſi quem Romanæ curiæ halitus excæcavit. Fatetur interim, Joannem hac contentione Photio vires & animum contra Ignatium addidiſſe. Et quid opus argumentis? paulo poſt, reſtitutum Photium, Ignatio defuncto, Johannes approbat. De quo facto quid ſentiat *Baronius* videre licet ad anni 879. §. 4. & 5. examinatu digniſſimis, ſi nunc ratio inſtituti ferret.

ann. 878.

ad ann. 878 §. 42.

Anno eod. §. 8. & 36.

CAROLUS III. CRASSUS, LUDOVICI GERMANICI EX HEMMA FILIUS.

Annotatio Temporis.

INitium Imperii ejus *Onuphrius* ponit a. 4. Id. April. ann. 879; coronationem Romanam 8. Cal. Januar. 881. mortem pridie Id. Januar. 888; colligitque annos Imperii 8. m. 7. Annales *Bertiniani* initium Caroli hujus referunt in annum 880: obitum *Annales Metenſes*, (nam *Bertiniani* anno 882. finiuntur) in annum 888. conſentiunt fere Imperatorium nomen, non ſtatim ab obitu Ludovici Balbi obtinuiſſe.

Elogium.

ad ann. 888. REgino & *Annales Metenſes* Pietatem hujus principis ſingularem prædicant; cum manſuetudine morum & liberalitate conjunctam. Sub Patre Ludovico Germanico aſſueverat, duros Martis labores ferre. Neque infeliciter rem geſſit adverſum Saracenos in Italia; ut nomen Imperatorium mereretur. Sed deſtituit eum ſubito fortuna, cum jam ad ſummum uſque faſtigium eſſet ei obſe-
880. cuta. Italiam frater Carolomannus moriens ei reliquerat. Ger-
882. maniæ regnum, fratris alterius Ludovici hæres, acceperat. Fran-
884. cia quoque Imperium ei detulerat. ita, ut ſparſa hactenus in tot partes Regna, in unam potentiæ molem coirent. Hæc, quo illuſtriora videbantur, eo fœdior fuit infelicitas, cum in Nortmannos pleraque fruſtra moliretur aut parum probatis conſiliis confi-
885. ceret. Unus ei aſtus ſucceſſit in Godefridum Normannorum Regem; de quo poſtea. Publicam infelicitatem non parum auxit
887. domeſticum cum uxore Richarda diſſidium, ac mox divortium. Deſtitutus tandem ab omnibus, de ſummo faſtigio ad imas miſerias recidit, ab Arnulfo, qui ſurrogatus erat, victum emendicare coactus; ſingulari exemplo viciſſitudinis humanarum rerum. Ita favor ſummus & regnis ultro deferendis validus, in odium & con-

contemtum, quo nec privatim quicquam ſalvum relinqueretur, perlevi momento convertitur.

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

ANte omnia periodi Carolinæ fatalis terminus hic notari meretur. Hic enim Carolus Craſſus, Carlomanno & Ludovico fratribus ſuperſtes, unicus fuit, cum Carolo Simplice Ludovici III. filio, de ſtirpe Caroli. Nam Arnulfus Carlomanni Germanici filius, qui poſtea imperavit, ex concubina ortus erat. ut & Carlomannus
ac Ludovicus Francici, Ludovici III. filii, qui & ipſi tamen mortui 881.
ſunt acerbo exitu: dum Ludovicus quidem luſu puellam inſe- 884.
quens, impetu equi humili oſtio illatus corruit; Carlomannus autem in venatione imprudentis miniſtri vulnere ſternitur. Ita *Regino*, & exinde *Annales Metenſes*. nam *Æmylius* confundit nomina, & caſus illos. Supererat unicus de radice Carolina ſurculus, Carolus Simplex: huic quoque imperium, factionibus adimitur. Ceterum *Regino*, cum mortem Carlomanni Germanici Regis memoraſſet, addit: *Huic ex legitimo matrimonio non eſt nata ſoboles, propter infæcunditatem conjugis, ſed ex quadam nobili fœmina filium elegantiſſimæ ſpeciei ſuſcepit, quem Arnulphum nominari juſſit, ob recordationem reverendiſſimi Arnulphi Mettenſis eccleſiæ epiſcopi, de cujus ſancto germine, ſua aliorumque Germanorum Francorum proſapia pullulaverat: quod non caſu accidiſſe, ſed quodam præſagio portentoque futurorum actitatum videtur. Siquidem genealogia Regum cælitus proviſa, per intervalla temporum ſecundis incrementorum ſucceſſionibus cœpit exuberare, quouſque in Magno Carolo ſummum Imperii faſtigium non ſolum Francorum: verum etiam diverſarum gentium regnorumque obtineret. Poſt cujus deceſſum, variante fortuna, rerum gloria, quæ ſupra vota fluxerat, eodem quo acceſſerat modo, cœpit paulatim diffluere, donec deficientibus non modo regnis, ſed etiam ipſa regia ſtirpe, partim immatura ætate pereunte, partim ſterilitate conjugum marceſcente, hic ſolus* (Arnulphus) *de tam numeroſa regum poſteritate idoneus inveniretur, qui imperii Francorum ſceptra ſuſciperet.* Habent Familiæ Principum ſua

ſua fata, fatorumque ſeriem : ſicut Carolo Magno ad ſummum culmen effloruit iſta ſtirps ; inde imminui, diſſolvi, & antequam interiret, in Carolo Craſſo quendam quaſi fulgorem, ſed caducum, oſtentavit. Facunda eſt philoſophia *Pauli Æmylii* de hac re *in libr. 3.*

Illud certe perinſigne fuit, quod in Carolum Craſſum tot regna, de quibus olim & hactenus armis fere certatum erat, ultro & ſponte confluxerunt. In ipſa autem tam vaſti imperii gloria, ignominioſum fuit, Nortmannos per vitalia regnorum graſſantes, novis ſubinde pactionibus & mercedibus demereri potius, quam virtute perdomare.

Hinc etiam factum, ut Neuſtria, cujus caput Rotomagum, Nortmannis traderetur, ac de ipſorum nomine Nortmannia diceretur : peculiares in poſterum Reges numeratura. Ita *Æmylius in Carolo Craſſo* & *Joh. Serranus.* Alii, ſub Carolo Simplice id putant accidiſſe.

De Godefrido rege Normannorum non debemus prætermittere, quin repetamus, quæ potiora ſunt. Hunc Carolus ab initio ſtatim à Germanis Galliſque in auxilium Italia evocatus, cum armis compeſcere non poſſet, Friſia provincia conceſſa, & Giſla filia Lotharii in matrimonium data, ſicut petierat, placavit ; & ex ſacro baptiſmate Chriſtianum factum ſuſcepit. Poſt quæ, ab Hugone Lotharii filio, Giſlæ fratre, multa & crudeliter his temporibus moliente ſolicitatus Godefridus, ut regni Lothariani recuperandi ſibi adjutor eſſet, partemque recuperati poſſideret, poſtulatis quibusdam impudentibus Carolum Imperatorem aggreditur, cauſſam defectionis quærens. Qua re animadverſa, Imperator, inacceſſa bellis loca, quæ teneret Godefridus, cogitans, aſtu utendum ratus, miſſurum ſe legatos, & amicitiæ conſervandæ cauſſa omnia facturum oſtendit. Miſſi ſunt Henricus Dux (cujus conſilio & virtute plurimum Carolus utebatur) & Wilibertus Coloniæ Epiſcopus, à quibus in inſulam ad colloquium evocatus Godefridus, operâ Eberhardi Comitis interficitur. Ut parum generoſe facta hæc putabantur : ita neque ad ſummam rei profecerunt, Nortmannis omnia devaſtantibus, à quibus poſtea ipſe Dux Henricus in inſidias præcipitatus cæditur. Quæ omnia late *Regino*, præcipuus horum temporum ſcriptor, exequitur.

Ad-

Addantur *Annales Fuldenſes* anno 882; ubi finiuntur in *editione Pithœana*.

Italia quoque multiplici motu concuſſa; per Witonem & Perangarium (ſ. Berengarium) per eundem & Liutwardum; alioſque. Videatur *ſupplementum Annalium Fuldenſium in editione Freheri*. *Sigonius prope finem libri quinti de regno Italiæ*, etiam iſta de his temporibus annotat: Jampridem Italis Francorum Imperatorum Regumque nomen, ob inteſtina diſſidia & imminutas opes, in contemtum veniſſe; cernentibus, Italiam à Saracenis, ipſorum potiſſimum incuria affligi. itaque agitaſſe eos, de proprio rege conſtituendo, ſi quid Craſſo accideret, quem ſolum ex Caroli legitima progenie ſuperſtitem haberent, liberis carentem. Itaque Hadrianum (III.) pontificem flagitationibus Italorum adductum, duo decreta feciſſe; unum pro Romanorum libertate, *Ut pontifex deſignatus conſecrari ſine præſentia regis aut legatorum ejus poſſet*: alterum pro dignitate Italiæ, *Ut moriente Rege Craſſo ſine filiis, regnum Italicis Principibus una cum titulo Imperii traderetur*. Apud *Baronium* altum eſt de hac re ſilentium. *Platina*, etiam primum illud decretum affirmat, remque à Nicolao olim inchoatam potius quam perfectam aſſerit. Quicquid ſit de re, *Baronio* certe haud parum adverſa ſunt hæc decreta, qui jampridem ademtum Imperatoribus jus circa conſtitutionem Pontificis, ubique inculcat. Cumque ipſe maximopere conqueratur, nec immerito, de invaſoribus Imperii Italicis, qui omnia deinceps ſurſum deorſum tulerunt, hoc poſteriore decreto Hadriani occaſionem tot malis præbitam confiteatur neceſſe eſt, qui velit eam hiſtoriam aſſeverare.

ad ann. 883. & 886.

in Hadrian. 3.

Motus Pannonicos ſub Carolo Craſſo exortos, vehementiſſimos illos quidem & cruentiſſimos, accurate deſignat *Supplementum Freherianum Annalium Fuldenſium. addatur Aventinus & ſcriptores rerum Hungar.* *ad an. 884.*

Inter *Leges* Caroli Craſſi fertur *conſtitutio de Expeditione Romana*, quam *Goldaſtus in Statut. & Reſcript.* poſuit *pag.* 28. & 29: itemque in *Conſtitutionibus* pag. 207: ut & *Lehmannus in Chronico Spirenſi* 2, 42; unde etiam originem & formam hujus rei (des Römerzugs) repetit *Limnæus I. P.* 2. 4. 107. Sed tempus nullo modo congruit. Cum in ipſa conſtitutionis clauſula nominetur

annus DCCCXC, quo jam mortuus erat Carolus. In *Limnæo* quidem annus 881. nominatur, ex margine *Conſtitut. Goldaſt.* Sed aliter, ut diximus, eſt in ipſa conſtitutione. Sunt & alia, quæ rem iſtam non patiuntur eſſe in expedito; de quibus ſuo loco & tempore ſeorſum. Ponit plures Leges *Goldaſtus tom.* 3. *Conſtitut.* ex *Leg. Longobard. lib.* 1. *tit.* 13, *& lib.* 2. *tit.* 14. Sed ibi *Henrici* non Caroli nomen præſcribitur.

E *Comitiis* celebrantur maxime *Wormatienſia* anno 882. Kal. Novembr. *regni formandi cauſſa* indicta. *Aventin. lib.* 4. *Sigon. de Regn. Ital.* 5. *Regino* & *Annales Metenſes* ajunt, Carolum etiam 887. apud Triburias conventum generalem convocaſſe; quo ipſe depoſitus ſit. de qua re mox videbimus.

Inter *Judicia*, illud quoque refertur, de cauſſa Richardæ ſive Richardis Imperatoriæ coniugis. *Regino* & *Annales Metenſes* ita habent: *Carolus Ludvvardum Epiſcopum Vercellenſem, virum ſibi percharum & in adminiſtrandis publicis utilitatibus unicum conſiliarium, objecto adulterii crimine, eo quod Reginæ ſecretis familiarius quam oportebat immiſceretur, à ſuo latere cum dedecore repulit. Deinde paucis interpoſitis diebus conjugem Ricgardem (ſic enim Auguſta vocabatur) pro eadem re in concionem vocat. Et (mirum dictu) publice proteſtatur, nunquam ſe carnali coitu cum ea miſcuiſſe, cum plusquam decennio legitimi matrimonii fœdere ejus conſortio eſſet ſociata. Illa econtra non ſolum ab ejus, ſed etiam ab omni virili commixtione ſe immunem eſſe profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur, idque ſe approbare Dei omnipotentis judicio, ſi marito placeret, aut ſingulari certamine, aut ignitorum vomerum examine fiducialiter adfirmat. Erat enim religioſa fœmina. Facto autem diſſidio in Monaſterio, quod in proprietate ſua conſtruxerat, Deo famulatura receſſit.* Ita ſcriptores, quos dixi. *Hermannus Contractus in Chronico auctiore* exprimit nomen Monaſterii, quod quarto ab Argentorato milliari adhuc memoriam rei conſervat: *Richarda Imperatrix, adulterii cum Luitvvardo Wercellenſi Epiſcopo incuſata, Aquino judicio ſe ab omni virorum commixtione integram & virginem comprobavit, quamvis jam* 12. *annis in conjugio Imperatoris apparuerit. Moxque à rege ſeparata, in Andelabenſe cœnobium virginum à ſe conſtructum receſſit; ibique Deo ſerviens, virgo regina permanſit.* Eadem pæne verba leguntur in

ad ann. 887 — *Andlo. ad ann.* 887

Frag-

Fragmento Urſtiſiano, niſi quod pro *Aquino judicio*, *divino*, ſcribitur. Vid. *Franciſcus Guillimannus in Epiſc. Argent.* 27. *Cruſius Annal. Suev. lib.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. & confuſa Chronologia, *Hertzogius Chron. Alſat.* 3, 8. Acceſſerunt fabulæ ad hanc hiſtoriam, quibus præcipue gaudent otioſa & curioſa ingenia: merito prætermiſſæ gravioribus Hiſtoricis. *Sigonius* Richildem vocat. addatur *Aventinus lib.* 4. *lib.* 5. *de regn. Ital.*

Quantum ad *deſtitutionem Imperatoris Craſſi* attinet, admodum reſtricte agit nobiſcum hiſtoria. *Regino* & *Annales Met.* ajunt: poſt divortium illud cum uxore, Craſſum *corpore & animo cœpiſſe ægrotare*, adduntque de Triburienſi conventu: *Cernentes optimates Regni non modo vires corporis, verum etiam animi ſenſus ab eo diffugere, Arnolphum filium Carolomanni ultro in regnum attrahunt, & ſubito facta conſpiratione ab imperatore deficientes, ad prædictum virum certatim tranſeunt, ita ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei ſaltem officia humanitatis impenderet. Cibus tamen & potus ex Luidperti epiſcopi ſumtibus adminiſtrabatur:* donec ſcilicet, quod ſequitur, *Arnolphus Rex nonnullos fiſcos in Alemania, unde ei alimonia præberetur, conceſſit.* Eadem pæne verba habet *Marianus Scotus. Aventinus* Francofordiæ deſtitutum, ait, Imperatorem, eo quod deſiperet & deliraret. Alii vel eadem dicunt, vel refuga manu tractant. *Paulus Æmylius* plane tranſilit hoc loco. alibi autem *curatorem ei datum* notat. Omnino autem ſequenda *Reginonis* ſententia videtur, *conſpirationem* hanc & *defectionem* nominantis. Quomodo tulerit eam calamitatem Craſſus, diſſentiunt. *Aventinus* de eo: *Quanquam Literarum peritia, pietate in Deum, liberalitate erga pauperes inſignis fuit: tamen fati iniqui vim immeritiſſimus ſenſit, patienterque toleravit.* At *Sigonius* de deſtitutione ejus locutus, *qua ex re*, inquit, *Craſſus tantum animo mœrorem contraxit, ut mox pridie Idus Januarii migrarit è vita.*

Aventinus hoc quoque de Craſſo annotat: *Primus annos Chriſti ſervatoris noſtri omnibus epiſtolis, libellis, diplomatibus addidit. Poſthac id usque ad noſtrum ævum hactenus obſervatum eſt.* *lib.* 4.

Non exigui ad ſtatum reipublicæ, præſertim in Gallia, noſcendum momenti ſunt, quæ leguntur in *Epiſtola Hincmari, ad Carolum Craſſum: qua illi inter alia commendat, ut Eccleſiam Gallicanam pæne collapſam reſtituat, Regni diſſidia tollat, ac Ludovici Balbi liberis è Regni primoribus idoneos inſtitutores & conſiliarios attribuat.* apud *Andr. du Cheſne* tom. 2. pag. 484.

In Conſtantinopolitano Imperio.

BAſilio ſucceſſit Filius LEO VI, anno 886, cui tribuunt annos 22; mortuumque putant 908. Hunc *Luithprandus* æqualis horum temporum (lib. 1. c. 2.) *ſanctè & juſte rexiſſe imperium* ait: & ſpecimina diſciplinæ, duo, in exploranda vigilum Urbanorum & cuſtodum corporis diligentia, fuſius denarrat. Reliqua *Zonaras* & ex *Joanne Curopalate Cedrenus*, exponunt. Cognomentum tulit hic Leo, *Philoſohi:* ob inſigne literarum, & præſertim Aſtrologiæ ſtudium. Ædificiis conſtruendis neſcio an nimis, intempeſtive certe deditus fuit. Mulierum quoque illecebris irretitus, ſubinde in curſu rerum agendarum obhæſit. Adverſus Bulgaros Græcis infeſtos Turcorum Ugrorumque auxiliis parum felicibus uſus eſt. Suſpicacem in ceteris animum Leonis, Sammonas homo Agarenus, ſed detectis inſidiis conciliatus ei, ad exemplum Sejani alicujus devinxerat; donec ad extremum, veluti torpore excuſſo, evertit, quem ſibi formidabilem fecerat.

cap. 3. & 4.

Externa Imperia atque dominationes.

SAracenorum opes in Sicilia adhuc vigent; de quibus *Fazellus rer. Sicil. decad. poſter. lib. 6. c. 1: Defuncto Baſilio, cum Leo ejus filius in Imperium patri ſucceſſiſſet, Sarraceni in Sicilia magna vi Taurominium aggreſſi, dura aliquandiu obſidione cinctum, maxima demum civium ſtrage & calamitate capiunt.* In *Italia* Garilianum montem pro receptaculo habuerunt, unde egreſſi prædas agerent, Italiamque crebris cladibus vexarent. direpto præſertim per hæc
ann. 884. tempora Caſſinate Monaſterio. *Sigon. lib. 5. de regn. Ital.* Hinc querelæ, & odia Italicorum in Craſſum.

In *Hiſpania* Alfonſus Magnus imperium adhuc tenet.

In *Anglia* Ethelredo, anno 872. ſucceſſit *Elfredus* filius Ethelvulfi natu minimus. qui duro regni initio uſus, cum prævalentibus Danis in inſulam Adelingiam ſe abdidiſſet, regreſſus felicius rem geſſit, cladesque priſtinas ut inſtrumenta novæ victoriæ habuit. Domeſtica quoque latrocinia memorabili centuriarum & decuriarum invento ſuſtulit, adeo ut per publicos aggeres, ubi viæ finduntur, armillas aureas juberet ſuſpendi, nemine reperto, qui rapere auderet. Literas fovit, & literatos; liberalis in Eccleſias.

Diſpo-

Diſpoſitio aulæ ſingularis laudatur: temporis quoque locandi bene ordinata ratio. ut & redituum & impenſarum. Tribuuntur ei anni 28; qui hoc ſæculum abſolvunt. *Willelm. Malmesbur. lib.* 2. *de geſtis Reg. Angl. cap.* 4.

In *Dania* Erici Barn regnum, ut ſupra monuimus, continuatur.

Apud *Suecos* Biörnoni IV. anno 883. ſucceſſiſſe memoratur *Ingevallus* (ſ. Ingellus, aut Ingiællus) Herothi ſeu filius ſeu nepos. cujus res breviter tangit *Joh. Magnus lib.* 17. *cap.* 8, explicatius traditas, *Cl. Loccenio Hiſt. Suec. lib.* 1, *cap.* 1. Incendio eum periiſſe, conſentiunt; in eo diſcrepantes, quod alii merito, alii per proditionem hoc eum fato conflictatum arguunt.

Eccleſiaſtica.

PONtifices Romanos *Onuphrius* ita ordinat, ut Johanni VIII. (IX.) ſubſtituat anno 882. *Marinum* (qui Martinus II. vulgo); huic anno 883, *Hadrianum III*; & anno 885. *Stephanum V*, in annos 6. De Marino & Stephano conſentiunt *Sigonius* & *Baronius*: Hadriani initia in annum 884. conferunt. *Marianus Scotus* & *Sigebertus* aliter tempora numerant. Marinum malis artibus ad hoc faſtigium aſcendiſſe, nihilque memorabile geſſiſſe, *Platina* fatetur. Hadrianum tertium *tanti animi* fuiſſe, *Idem* ait, ut *initio Pontificatus ſui ſtatim ad S. P. Q. retulerit, ne in creando Pontifice Imperatoris auctoritas expectaretur.* Sed in Chronologia plurimum aberrat, cum hoc factum ait anno 895; toto amplius decennio lapſus. *Sigonius* in annum 884. refert. Ex *eodem* alterum ejus decretum de Regno Italicis Principibus vindicando ſupra retulimus. Utraque res firmandæ dominationi Pontificiæ, ſed fruſtra comparata eſt. Stephano tribuit *Sigonius*, quod purgationem, quæ candenti ferro, & ferventi aqua fiebat, *ex parte* ſuſtulerit. Bene ait, *ex parte.* non enim ſtatim ſuperſtitio illa ſublata eſt. Marino, ante Hadrianum alii ſubrogant *Agapitum.* Sed id nomen Hadriani fuit, antequam Pontifex fieret. Sicut & ante Stephanum *Baſilius* à nonnullis ponitur, quod ipſius Stephani ante Papatum, nomen fuiſſe, *Onuphrius* ait. Centuriæ Magdeburgicæ *Synodos* ſub Carolo Craſſo memorant, *Colonienſem* & *Macrenſem* ſive ad S. Macram: cum iis, quæ tractata ſunt.

lib. 5. *de regno Ital.*

ann. 885.

Inter ea quæ Marinus à Johanne tanquam perperam conſtituta abrogavit, eſt etiam reſtitutio Photii; quem denuo damnavit. Photius autem Baſilio Imperatori autor fuerat adverſus Marinum & Hadrianum ſcribendi; ipſeque ad Patriarcham Aquilejenſem prolixa *Epiſtola* invehitur in Pontifices, & Latinæ Eccleſiæ errores. In ea accuſantur etiam Latini, quod *Symbolo* Niceno ſeu Conſtantinopolitano adjecerint (ubi Spiritus S. à Patre procedere dicebatur) vocem *Filioque*. Qua occaſione *Baronius* diſputationem ingreditur de illa adjectione; quod & alibi fecerat. Addi poteſt, *Leonis Allatii* in *comment. de Eccleſ. Occid. & Or. perpet. conſenſ. lib. 2. cap. 6.* diſſertatio: inprimis vero, dilucida *G. J. Voſſii* animadverſio *diſſert. 3. de Trib. Symbolis.* Ceterum defuncto *Baſilio*, Photius à Leone dejectus nec in poſterum reſtitutus, quem finem habuerit, incertum eſt.

ann. 883. ann. 447.

lib. 5. regn. Ital.

De ſtatu Eccleſiæ ita ad annum 883. annotat *Sigonius: Regibus & pontificibus, aſſiduis certaminibus occupatis, paulatim vetus Eccleſiæ diſciplina eſt lapſa. Siquidem præter cetera turpi Simoniacorum, & Nicolaitarum hæreſi polluta ac corrupta ſunt omnia. quorum illi interdicta ſacrorum commercia, hi prohibita clericorum connubia defendebant.* Sicut autem prius illud rectiſſime reprehenditur in Simoniacis: ita male taxantur, qui clericorum conjugio favebant; pejus etiam, uſitato tamen Pontificiis convitio, Nicolaitæ vocantur; cum Nicolaitæ olim repudiato conjugio ad promiſcuas libidines ferrentur.

Literæ & Studia.

Celebrantur per hæc tempora *Fulconis Rhemenſis* Archiepiſcopi, qui Hincmaro ſucceſſit, ſcripta: ut & *Remigii Antiſiodorenſis Monachi*, quo Fulco in inſtaurandis Scholis uſus eſt adjutore. *Adonem Viennenſem* Archiepiſcopum, ſcriptum ab orbe condito uſque ad ann. Chr. 879. *Chronicon* illuſtrat. de quo vid. G. I. Voſſ. *de Hiſt. Lat. 2, 37. & cap. ſeq.* ubi deſcribuntur huc pertinentes *Hericus* (ſ. Ericus) *Altiſſiodorenſis*, *auctor vitæ S. Germani*; *Guido Ravennas*, qui de bello Gothorum ſcripſit; *Monachus San-Gallenſis*, *de geſtis Caroli M. in opere Andr. du Cheſne noviſſime editus*; ſicut & *Abbo monachus S. Germani*, *poëmate de Lutetia à Nortmannis obſeſſa nomen adeptus*; & *Anonymi quidam hiſtorici.* Ipſe etiam Rex Angliæ *El-*

Elfredus (ſ. Alvredus) ante laudatus præclare de literis meruit, relictis *chronicorum collectaneis Latinis*; multisq; in linguam patriam converſis: de quibus *Bedam de geſtis Anglorum* Saxonica lingua translatum, nuper edidit, ex Cantabr. Biblioth. *Abrah. Whelocus.* Ejusdem Regis operâ, inſtauratæ ſunt per Angliam, quales tunc eſſe poterant, Bibliothecæ: quas incenſis paſſim templis Nortmannica bella perdiderant. In Græcis *Leo Imperator*, *Philoſophus*, præter *Novellas* ab Agyllæo Latine converſas, *epitomas juris*, itemque opus βασιλικῶν ſeu ἑξηκοντάβιβλον edidit. Τακτικὰ ejus, quæ reſpondent *Vegetiano operi de re militari*, Græco-latina *Meurſius* publicavit: *Vitam Chryſoſtomi* ex Georgio Alexandrino à Leone veluti excerptam, *Savilius.* Feruntur & alia ejus: *Liber de aucupio*, *varia oracula & vaticinia*; quæque præterea *Poſſevinus* memorat. cui addes *G. I. Voſſ. Hiſtor. Græc.* 2, 25. Ceteri in ſequentes annos ſua nomina referent.

Memorabilia alia.

B*Aronius* ad ann. 888. §. 1. de viſione quadam Caroli Craſſi ita annotat: *Fertur libellus ejusdem Caroli de viſione ipſi ante triennium oſtenſa de locis inferis & purgatoriis, quibus complures torqueri vidit Principum & Epiſcoporum, qui bellorum civilium fomitem ſuccendiſſent.* Habetur ea viſio apud *Wil. Malmesbur. de geſt. reg. Angl. lib.* 1. *cap.* 2, & *in auctario ad Bedam.* Adeo autem eſt abſurda, craſſa, parumque ſibi conſtans, ut, qui non videat otiorum Monachorum futile commentum eſſe, qualia de judiciis divinis fere ſolenniter circa exceſſum magnorum virorum confingebant, is Jove parum æquo judicare, imo nihil judicare deprehendatur.

Mauſoleum Caroli Craſſi, cum *Epicedio* conſpicitur in inſula Rheni Richenau prope Conſtantiam, ubi ſupremum diem obiit, in hanc ſententiam: *adde Iſac. Pontan. hiſt. Dan. lib.* 4.

Carolus Craſſus Rex Sueviæ pronepos Caroli Magni
Italiam potenter intravit eamque devicit Imperiumq;
Romanum ubi Cæſar coronatus obtinuit ac mortuo
Fratre Ludovico univerſam Germaniam & Galliam
jure hereditario acquiſivit demum animo mente
& corpore deficiens ab Imperio ſane magno cum Fortunæ
ludibrio dejectus à ſuis omnibus poſtpoſitus humili hoc
in loco ſepultus jacet. obiit anno DCCCLXXXVIII. *Idib. Jan.*

Inci-

Inciſa ſunt hæc præterea:

Pannones & Cimbros diverſo Marte ſubegit
Carolus, à Craſſo corpore nomen habens.
Sed bene quas juvenis regni tractarat habenas,
His iterum ſenior diſpoliatus obit.

ARNULPHUS,
CARLOMANNI BAVARIÆ REGIS EX CONCUBINA FILIUS.

Annotatio Temporis.

INitium ejus, Carolo Craſſo abdicante Imperium, anno 887. ponitur ab *Onuphrio*; annique Imperii numerantur 12. m. 1. d. 19: poſt mortem Craſſi ann. 11. m. 10. d. 18. Mors, anno 899, in 3, Cal. Decembr. à *Reginone* & *Annalibus Metenſibus* refertur. Unde corrigendum puto *Aventinum*, qui 6. Cal. Xbr. habet.

Elogium.

QUomodo ad Imperium pervenerit Arnulphus (quidam *Arnoldum* vocant) ſupra fuit ponendum in fine Craſſi. Præcipuam laudem meritus eſt bellis, fortiſſime adminiſtratis adverſum Sclavos, Moravos, Nortmannos, & Italos factionibus deditos. Religionis quoque Chriſtianæ propagandæ ſtudium, non parvis documentis oſtendit. Liberalis inſuper, magnificus in extruendis muniendisque oppidis; talis denique, cui ad Imperium adipiſcendum virtus & fortuna ſuffragari videretur. Duo ſunt, quæ in eo notari ſolent: aſperitas quædam, in vindicando; & inconſtantia in deliberando. De uxoribus & liberis variant Scriptores. cui placet diverſas cognoſcere ſententias, is adeat *Aventinum*, *Paulum Æmylium*, *Megiſerum* (*in Annalib. Carinth. lib. 6. c. 57.*) *Lazium*, *Henningem in Theatro Geneal.* & alios. De morbi genere, & interitu, conſentiunt fere *Luithprandus* (ſ. *Liuthprandus*) *Urſpergenſis*, *Sigebertus*, & recentiores, qui inde deſcripſerunt. quod nimirum in Italica expeditione, cum caſtellum Firmum obſideret, à miniſtro, quem Widonis uxor obſeſſa auro corruperat, dolisque deceperat, venenatam potio-

nem

nem acceperit; unde, præter ceteram valetudinem, tandem φθειρίασις conſecuta ſit. Qua extinctus, quem acceperit ſepulturæ locum, non uno modo traditur. Audiendus eſt *Otho Friſingenſis*, cujus iſta ſunt verba: *Arnolfus XII. regni ſui anno, Imperii vero (juxta quod dictum eſt) quinto, diem obiit, & in loco Odingas* (Otinga) *ut Rhegino refert, juxta patrem ſepelitur. Monſtratur tamen ſepulchrum ejus in Monaſterio S. Emmerani Ratiſponæ: Poterat enim eſſe ut ibi humatus, huc poſtmodum transferretur.* Reginoburgum enim ſ. Ratisbonam præcipue amavit ornavitque Arnulphus. lib.6.cap.13

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

QUalis fuerit Reipublicæ ſtatus poſt Caroli Craſſi mortem, ſub Arnulfi initia, *Aſſer Menevenſis in vita Ælfredi Anglorum Regis*, memorabili deſcriptione exequitur: *Eodem anno* (887) *Farlus* (Carolus) *Francorum Rex viam univerſitatis adiit. Sed Earnulf filius fratris ſui, ſexta antequam defunctus eſſet hebdomada, illum Regno expulerat. Quo ſtatim defuncto, quinque Reges ordinati ſunt, & Regnum in quinque partibus conſciſſum eſt. Sed tamen principalis ſedes Regni ad Earnulf juſte & merito provenit, niſi ſolummodo quod in Patruum ſuum indigne peccavit. Ceteri quoque quatuor Reges fidelitatem & obedientiam Earnulfo, ſicut dignum erat, promiſerunt. Nullus enim illorum quatuor Regum hæreditarius illius Regni erat in paterna parte, niſi Earnulf ſolus. Quinque itaque Reges confeſtim Farlo moriente ordinati ſunt. Sed Imperium penes Earnulf remanſit. Talis ergo illius Regni diviſio fuit. Nam Earnulf orientales regiones Hreni fluminis; Hrotuulf* (Rodulphus) *quoque internam partem Regni accepit: Oda* (Odo) *etiam occidentale Regnum: Beorngar* (Berengarius) *& Witha* (Wido) *Langobardiam, nec non, & illas regiones, quæ in illa parte Montis ſunt. Et tamen tanta & talia Regna perſæpe devaſtaverunt invicem, & unusquisque alterum expulit de Regno.* Explicabunt iſta, *Regino* & *Annales Metenſes*: quibus addendus eſt *Luithprandus*; qui præſertim memorat, quemadmodum *Wido* (ſ. Guido) & *Berengarius* ex intima Caroli Craſſi amicitia, conjuraverint, ut poſt Craſſi mortem Berengarius quidem Italiæ Regnum, Guido Franciæ occuparet: in quo conatu cum fruſtra fuiſſet Guido, diſſoluta ſacramenti

ad ann. 888.
lib. 1. cap. 6. & 7.

 menti

menti religione, Berengario Italiæ imperium eripere contendit. Hinc bella, & prælia. In quibus cum bis ſuccubuiſſet Berengarius, Arnulfus Imperator in partes accitur, & Guidonem profligat. In Galliis Odo (ſ. Otto) tutor Caroli Simplicis pro rege ſe gerit; ejusque rei poteſtatem ab ipſo Arnulfo comi petitione impetrat. Contra hunc, poſt varias rebelliones, Carolus Simplex, auctoribus atque agentibus Fulcone Archiepiſcopo Remenſi, & Heriberto Pipinoque Comitibus Rex conſtituitur. Sed cum Ottonis viribus impar eſſet, ex Arnulfi *manu ſuſcepit regnum*, ut *Regino* loquitur; volens ſignificare, clientem Arnulfi factum Carolum. Defendendus ergo bello erat adverſus Odonem. In quo, exercitus Arnulfi miſſus, re infecta rediit. Inde varie tumultuatum ab utraque parte. Odo ipſe denuo Arnulfum (fortaſſis haud ſatis in hoc negotio conſtantem) ſibi conciliat; & in regreſſu legatos Caroli eodem conſilio ad Arnolfum tendentes fugat cæditque. Donec exemto rebus humanis Odoni, idque ſupremis vocibus optanti, Carolus Simplex ſuccedit. cui ſic quoque controverſiam movit Odonis frater Robertus; poſteris tandem ſuis conſilii talis fructum relicturus. *Dictitabat* ille (utar verbis *Æmylii*) *conſenſione concilioque univerſa Erancia jus regni ultro Odoni delatum, eodem exemplo quo ad Pipinum delatum fuerat. Si jure Pipinus regnaſſet, jure Odonem regnaſſe: nec potuiſſe illum in morte, voce ſupremave obteſtatione, translatum in domum ſuam regnandi jus, ſtirpi Balbi reſtituere. Jus enim Regni Franciæ, non ſingulorum hominum capitumve, ſed SANGUINIS eſſe. Mortuo ſine liberis Odone, teſtificatione ſemel univerſæ Franciæ juſto ac legitimo Rege, fratrem ſe juſtum ac legitimum Regem eſſe.* Nec quievit ambitioſus animus, quin ſubinde ſpem ſemel hauſtam avidius perſequeretur, dum in Carolo Simplice majorum gloriam conſeneſcere, novæque nobilitati ad regnum viam pandi fataliter, animadvertit. Qua occaſione *Æmylius*, eleganti exceſſu, ſtirpium & familiarum augmenta & detrimenta conſiderat; ac de Carolino genere ita loquitur: *Pectoris vigor fuit in Pipino Craſſo, ignea mens in Carolo Martello, numen prope ipſum in Pipino Rege, animus orbis terrarum ac cœli capax in Carolo Magno; eo Rege Auguſtoque Franci in ſummo conſtitere. Ludovicus Pius paterna magnitudine multo fuit inferior. Calvus propior adhuc laudi quam vituperationi. Balbus brevi-*

Marginal notes: Regino lib. 2. ann. 892. — ann. 893. — Regino 895. — ann. 898. — in Car. Simpl.

brevitate Regni ac Imperii eſt obſcura memoria. In Simplice conſenuit majorum gloria, & nova nobilitas, induſtria ſibi viam in ſolium patefecit apud Francos: id quod etiam apud Germanos accidit in alia ejusdem Caroli Magni progenie. Carolus Craſſus Auguſtus nullo exemplo curatorem habuit fratris filium Arnulfum Auguſtum. Quo & ipſo imperante, occaſio malis, Imperium diu vexaturis, patefacta eſt, ut poſtea dicetur. Nunc enim de *Rudolpho* (ſ. Rodulfo) pertexendum eſt, quod orſi ſumus. Rodulfus ille filius fuit Conradi Comitis Stratlingenſis, qui Burgundia Tranſiurenſi, ſive Gallia Ciſalpina occupata Regem ſe conſtituit; Lotharingici quoq; regni primoribus ſolicitatis. Arnulfus ergo tum per ſe tum per filium Zundiboldum, per omnem vitam fruſtra perſecutus eſt hunc Rudolfum, cum ſe ad inacceſſa loca ſemper reciperet. Ita *Regino* & *Annales Metenſes.* *ann.* 888. *Aventinus* tamen, reconciliatum Arnulfo refert. Hoc eſt ini- *lib.* 4. tium Regni Burgundici Jurenſis, ſupra 140. annos deinceps duraturi. Cujus terminos deſcribit, & hiſtoriam repetit *Pontus Heuterus rerum Burgundicarum libro primo.* Addatur *Sigebertus ad ann.* 890. & *Urſtiſii Chron. Baſil. lib.* 2. *cap.* 10. Regnum Lotharingiæ poſthæc Arnulfus filio Zundibolcho (qui & *Zuventebaldus* & *Suatebogus* *ann.* 895. dicitur) conciliavit. Cauſſam divulſi in tot partes Imperii aliqui, ut vidimus, fatalem faciunt; alii addunt, diſtrictas per Orientalia regna ab initio Arnulfi vires: *Aventinus* etiam negligentiam quan- *lib.* 4. dam agnoſcit Arnulfi; qui, cum præter ſpem obtinuiſſet tantam dignitatem, ſatiatus proximis ad remotiora ſegnius reſpexerit.

Inter tot mutationes igitur, nullum fere calamitatis genus eſt, quod non licentiam aut cauſſam, aut occaſionem in futurum, acceperit. *Sigonius* certe *ab initio libri ſexti*, Regum Italicorum per hoc tempus conata ita deſignat: *Hi ſummam ſibi rerum haud malo conſilio aſciſcere nixi inteſtinis populorum diſcordiis Italiam perturbarunt, ac ſe ipſos prorſus una cum Eccleſia perdiderunt, ea tempora in Remp. inferentes, quibus nulla alia tetriora ac fœdiora fuiſſe, vel Principum nequitia, vel populorum inſania in tota antiquitate reperiuntur.* Etiam *Baronius* Italiæ Galliæque mala complectitur: *Sic* *ad ann.* 888. *itaque Italia & Gallia hoc potiſſimum anno ſunt, ex iis tyrannis emer* §. 2. *gentibus, magnopere afflictatæ. Quod autem deterius videri potuit & plane monſtruoſum, illud fuit quod tam Epiſcopi quam Abbates armati ad bella procederent, in hoſtes irruerent, caderent ipſos, & caderentur*

rentur ab ipſis. execrandum plane diu iſtiusmodi facinus inolevit in Galliis. Additur querela, quod hi tales non fuerint ab Hiſtoricis fortitudinis nomine laudandi, ſed tanquam *violatores ſacrorum canonum*, & *muneris paſtoralis deſertores*, deteſtandi. Italicorum motuum hiſtoriam diligenter ordinat *Sigonius*; omiſſo tamen in numero Imperatorum, Arnulfo. Quod & *Baronius* facit: primo annotans, *Arnulphum nunquam ab antiquis ſcriptoribus Imperatorem eſſe nominatum ſed ſemper Regem, eo quod nefas eſſet Imperatoris nomen aſſumere, niſi illud eſſet ab Apoſtolica ſede collatum: quamobrem*, inquit, *perperam agere convincuntur, qui ſtatim poſt obitum Caroli Arnulfum nominant Imperatorem tanquam Hæredem Imperii.* De antiquis *Auctoribus* quod adfert, longe aliter ſe habere, deprehendet, ſi quis præcipuos jam laudatos inſpiciat, non dubitantes ſcilicet, quin ſucceſſerit Arnulfus in ea, que Carolus Craſſus obtinebat. Unde etiam, ut rebelles & defectores notantur, qui auctoritatem ejus detrectarunt. Quod de ſede Apoſtolica dicitur, quale ſit, ſæpius jam intelligi potuit. Expectaret ergo Lector ab hoc homine, futurum, ut *Imperator* deberet appellari poſt conſecrationem Pontificiam. Sed *Cardinalis*, ubi hiſtoriam ad illud tempus deduxit, factum quidem negare nequit, exceptionem autem quærit ab auctoritate Synodi Romanæ ſub Johanne nono, quæ decreverit, *per ſurreptionem factam eſſe unctionem Arnulphi*; adeoque imperioſe decernit, *corrigendos eſſe Chronographos*, qui poſt Carolum Craſſum, ponant Arnulfum Imperatorem: *quod privata ſcriptorum Germanorum affectio, non veritas perſuaſerit.* Sed Baronius, quod promittit, non præſtat. Neque enim Synodus illa Romana, ex qua ſe probaturum ait, Arnulphi unctionem reſciſſam eſſe, quicquam tale habet: Sicut apud ipſum videre licet anno 904. §. 4. & ſeqq. Berengarii tantum mentio fit, non Arnulfi. Fecerit autem id Johannes Papa, quod vult *Baronius*; & in temporis annotatione quinquennio amplius diſcrepans *Sigonius?* Res ipſa loquitur, præterito meliore exemplo Formoſi, peſſimum Stephani Johannem ſecutum eſſe. Formoſum enim laudat illa Synodo, Stephani acta improbat: quem etiam *Baronius* vix *audet inter Pontifices referre*, & *facinoroſum hominem* vocat, *qui ut fur & latro ingreſſus ſit in ovile ovium.* Hujus Stephani *Synodo*, cui Johannes ſuam oppoſuiſſe dicitur, Arnulfi unctio rejecta erat, ut habet *Sigonius*

ann. eod. §. 3.

ad ann. 896. §. 3.

ad ann. 898

ad ann. 897 §. 6.

ann. 900. §. 6.

nius lib. 6. de regn. Ital. ann. 896. Sicut ergo Stephanus ille Lamberti factionem, non jus cauſſæ ſequebatur in unctione Arnulfi abnuenda, ita Johannes non potuit meliori jure reſcindere Formoſi acta. Quin imo ſcelerate utrumque feciſſe, jurisjurandi Arnulfo dati religio temere diſſoluta oſtendit. *Sigonius* ipſam formulam, qua populus Romanus ſe Arnulfo devinxerat, in hæc verba refert: *Teſtor* *lib. 6. ann.*
Deum omnesque divos, & per divina myſteria juro, me, quoad vi- *896.*
vam fore in poteſtate Imperatoris Arnulſi, neque Lamberti aut matris ejus rebus fauturum, neque ut dignitatem aliquam adipiſcantur, aut hanc urbem ſervitute premant, operam daturum. Cujus ſit incepti, tale ſacramentum reſcindere; in aperto eſt. Quod ſi *Baronius*, his temporibus pleraque per factiones vi metuque facta eſſe contendit, (& ſæpe hoc inculcat) cur Stephani & Johannis odio in Arnulfum plus juris viriumque eſſe debeat, quam ſtudio Formoſi, nemo excogitaverit. Dominantur in talibus ſtudia partium; tum imperitia reipublicæ, familiare malum illis temporibus, ubi Hiſtoriæ ſcribendæ munus imparibus humeris delegatur. Igitur diverſa de iiſdem, & ſæpe contraria judicari videas. Notare voluit *Otho Friſingenſis lib. 6. cap. 13: Reperi ego,* inquit, *in quibusdam geſtis Romanorum, poſt Carolum tertium, tanquam imperio à Francis ad Longobardos translato, Arnulfum in catalogo Imperatorum taceri, & Ludovicum cæterosque poſt ipſum*, in numero *Auguſtorum poni. Alii Arnolfum in catalogo ponunt, & eos qui poſt ipſum uſque ad Ottonem, confuſe regnaverunt, non Imperatores & Auguſtos, ſed invaſores & anguſtos appellare conſueverunt.* Verum nobis ad ſeriem rerum Arnulphi Italicarum revertendum eſt. Cum primâ expeditione Berengarium adverſus Widonem reſtituiſſet Arnulfus, Italiamque pa- 894.
caſſet, & eodem anno Wido interiiſſet, filius ejus Lambertus, Romæ à Sergiana factione, in reliqua Italia à Principibus aliis ſublevatus contra Berengarium inſurgit. Hac occaſione Formoſus Pontifex injuriis tam potentis factionis exagitatus Arnulfum evocat. Is, tradu- 895.
cto altera expeditione in Italiam exercitu, Romam capit, Sergia- *v. Luitpr.*
nos multat, Lambertum fugat, atque Imperator conſecratus, ab *lib. 1.*
ejus partibus populum Rom. jurejurando exacto, ut diximus, avertit. Digreſſu Imperatoris Sergiana factio confirmatur, & Lamber- 896.
tus à Stephano, illo egregio Pontifice, contra Arnulfum, Imperator rebelli auſu coronatur. Interfecto Lamberto, Italici novis motibus 898.
inhian-

inhiantes, Ludovicum Provinciæ Regem Boſonis filium contra Berengarium advocarunt. cujus prima in Italiam expeditio Berenga-
899. rii virtute repulſa eſt. Quo ſubinde fato ſit uſus, ad ſequentia tempora pertinet. Italicorum in rebellando ſtudium pulcre notat *Luithprandus: Semper Italienſes geminis uti dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coërceant.*

Non parvis momentis ad ſtatum Reipublicæ pertinet Ugro-
888. rum (qui & Hungari) demigratio. Illi trajecto Tanai, cum in Europam rege Cuſſale ſe effudiſſent, triennio circiter palati quarto anno ſedes accipiunt ab Arnulfo; qui hoc ſtipendio auxilia eorum ſtipulatus eſt, contra rebellantem Suatebogum ſeu Zundibolchum Marahenſium Sclavorum Regem, cui Arnulfus etiam Bohemiæ Ducatum tradiderat. Ita vallum, quo olim apud illos fines arceri conſueverant exterarum gentium incurſiones, revulſum viam genti ferociſſimæ aperuit, qua in poſterum ad excidia Europæarum nationum irruerent. Itaque tam infelicia auxilia, futura in poſterum to-
lib. 1. cap. 5. ti imperio damnoſa, execratur *Luithprandus.* addantur *Witichind. Annal. Saxon. lib. 1. Regino anno* 889. *Aventinus lib.* 4. ubi de origine Hungarorum, Hunnorumque & Avarum excidio. *Megiſer. Annal. Carinth. lib. 6. cap. 66.*

Lib. 4. *Comitia* ſub Arnulfo *Aventinus* primo memorat Omontober-
ann. 890. gomi (Ormontz) habita: *in quibus Stephanus Pontifex per legatos Romæ auxilium ferri contra Saracenos & alios poſtulaverit.* Stephanus hic intelligi ille debet, qui ante Formoſum numeratur. Scilicet Italicarum rerum Chronologiam mire per hæc tempora depravatam, etiam *Sigonius* conqueritur initio libri VI. Eodem anno *A-*
v. Regin. *ventinus* Forcheimenſia comitia ponit; quibus refert, *Irmendru-*
ad an. 894. *dam Boſonis Imperatoris Ludovici ſecundi filiam, cum filio Ludovico Galliam Norbonenſem, ab Arnulfo in fidem accepiſſe: Hugonem ex Francia antiqua oriundum, Arelatenſi præfecturæ præfectum eſſe. Goldaſtus* anno eodem, *decretum Comitiorum Francofurtenſium* refert, *in rebelles Imperio Reges & tyrannos per Galliam & Italiam. Regino* anno 893. *conventum publicum Wormatiæ celebratum* memorat, ubi Carolus contra Ottonem ſibi Arnulfum conciliaverit, regnumque quod uſurpaverat, *ex ejus manu* perceperit. *Idem* annotat alia *Comitia Wormatienſia* 894. ubi voluerit Arnulfus filium Zundibolch regno Lotharingiæ præficere; *optimatibus prædicti regni ea vice aſ-*

ſenſum

ſenſum non præbentibus. Anno inſequenti 895. (ita pergit *Regino*) *Arnolphus Wormatiam venit, ibiq; optimatibus ex omnib⁹ regnis ſuæ ditioni ſubditis ſibi occurrentibus; conventum publicum celebravit. in quo conventu, omnibus aſſentientibus atque collaudantibus, Zundibolch filium regno Lotharii præfecit.* Hic ſeditioſum poſtea conventum habuit, notante *Reginone* anno 899: regnoque ſibi conceſſo, ut & vitâ, per flagitia & tyrannidem, excidit anno 900. Pro Zundibolcho *Cendeboldum* vocat *Genealogia S. Arnulphi Metenſis.* Apud *Goldaſtum in not. marg. ad Decretum quoddam hujus Zundibolchi*, omnino perperam annotatur, quaſi Comitiis Wormatienſibus ſucceſſor Imperii patrii electus ſit; Et in Catalogo Regum Franciæ Orientalis, ut Cæſar inſeritur. Nullum hujus rei in hiſtoria veſtigium: & Regis nomen, ad Lotharingiam ſpectat. *ap. Andr. du Cheſne tom. 2.*

Ceterum Arnulfi *Conſtitutionibus* inter Comitia factis alia quædam addita habes apud *Goldaſtum in Tomis Conſtitutionum.*

Judicia quædam *majeſtatis* Imperante Arnulfo memorantur. Ex his non omittemus, quod *Aventinus* his verbis deſcribit: *Inter* *lib. 4.* *hæc Angelſcalcus orientalis Bojariæ præfectus, quem Marchionem Pannoniæ, gener Arnulphi, Wilhelmus patruelis ejus Reginoburgii, in celebri Bojorum conventu, quod cum Suatebogo clam ſenſerint, munera ab eo acceperint, ſententia crimine læſæ majeſtatis condemnantur: Angelſcalco oculi exſculpuntur, Wilhelmus capite pœnas luit.* Apud *Reginonem*, in Gallia Otto Walgarium rebellem damnat Lugduni. *ann. 892.* *Deinde omnibus primoribus, qui tunc ibi aderant, adjudicantibus, eundem Walgarium decollare juſſit, eo quod in conventu publico contra regem & dominum ſuum gladium evaginaſſet.* Idem *Regino* & *Annales Metenſes* anno 894. notant: *Per id tempus Hildegardis filia Ludovici Regis, fratris Carolomanni & Caroli, à quibusdam coram Arnolfo accuſata, regiis poſſeſſionibus privatur, & privata in exilium deſtinatur, in monaſterio puellarum, quod Chemiſſem dicitur: ſed non multum poſt temporis in gratiam rediit, & ſua ex majori parte recepit.* Eandem hiſtoriam *Aventinus* ita refert: *Eadem tempeſtate Arnulphus Luitgardam amitam ſuam, cujus ope imperium Francorum nactus fuerat, quod connubium regnumque affectare incuſabatur, ad Chiminum lacum Noricorum Bajoariæque maximum, in contubernium ſacratarum fœminarum, ubi adhuc ejus ſepulcrum oſtenditur, relegat.* In cauſſa adulterii *Aventinus* de Uta, ſe purgante

Regino-

Reginoburgii: *Ibi Vta Auguſta juramento ſe ab adulterii ſuſpicione ſolvit. eam inſontem eſſe, duo & ſeptuaginta optimates jurarunt.* Ubi mos de *compurgatoribus* notandus. In cauſſa veneficii, quo Arnulfo morbus conciliatus ſit, *Radpyrga & Gramanus capti, quæſtionibus adacti, facinus confitentur. Curtius fuga ſibi conſuluit in Italiaque delituit. Gramanus Vtini capitali pœna plectitur. Radpyrga apud Aibling Vicum primæ Vindeliciæ in crucem agitur.* Ex *eodem ſcriptore.*

Excerpta de rebus geſtis.

Singularis plane fuit virtus Arnulfi, qua anno 891. Nortmannis cladem reddidit, qua exercitum ipſius ante affecerant. Cum enim tali ſe communiviſſent loco Nortmanni, ubi equitatus uſui eſſe non poterat, Arnulfus gravi oratione ſuis perſuaſit equitibus, ut ex equis in pedeſtrem aciem deſcenderent; conſilioque & exemplo, occidione hoſtes concidit: duobus etiam Regibus Godfrido & Segifrido interemtis. Ex Auctoribus, qui deſcribunt, vetuſtioribus, *Regino*; *ann. 891.* junioribus, *Aventinus* (*lib.* 4.) præcipui ſunt. In chronologia valde diſcrepant ceteri. Godefridum etiam non vere hic nominari *Iſacius Pontanus* diſputat *Hiſt. Dan.* 4, *pag.* 115.

Quo caſu urbem Romam ceperit in ſecunda expeditione Italica Arnulfus, præ ceteris *Luithprandus* exequitur *lib.* 1. *cap.* 8. cui addendus eſt *Sigebertus ann.* 900. De ipſa Urbe capta, fallitur *Re-* *ann. 896.* *gino* cum judicat: *Quod retro ante ſæculis ideo inauditum, quia non factum fuit: excepto quod Galli Senones cum Brennone duce multo* *lib. 6 de* *ante nativitatem Chriſti tempore, ſemel fecerunt.* Melius *Sigonio*, *Ar-* *regn. Ital.* *nulfus urbe primus per vim poſt Gothicam tempeſtatem potitus* dicitur.

In Conſtantinopolitano Imperio

Leonis VI, de quo ſupra, anni abſolvunt hoc ſæculum nonum, & inchoant decimum.

Externa Imperia atq; dominationes.

QUæ *Saraceni* ex Gariliano monte, ubi ſuas opes communiverant, Italiæ damna dederunt, ſupra tetigimus. Per hæc tempora (anno ſc. 891.) *piratæ aliquot Saracenorum ex Hiſpania ad litora Italiæ forte delati, Fraxinetum arcem in Alpium Cottiarum provincia occuparunt, eamque per multos poſt annos cum maximo Lombardiæ detri-*

mento

mento tenuerunt. atque eorum, qui in Campania Garilianum inſederant, prædationes æquarunt.

In *Hiſpania*, ſi chronologiam vulgarem ſequimur, Alfonſo Magno ſive III, ſuccederet *Garſias* anno 886; quo poſt triennii regnum mortuo, 889. *Ordonius II.* numeraretur, illuſtribus victoriis adverſum Saracenos partis celebratus. Hujus culpâ Caſtellæ provinciam à Regibus Legionis defeciſſe, ob quatuor Comites contra fidem datam occiſos & *Judicum Dynaſtiam* inſtitutam eſſe, anno 898, tradunt. Froillam II. Ordonio ſubſtituunt, altero regni anno leprâ defunctum, 899. Sed *Ambroſius Moralis* & ex eo *Baronius*, Alphonſi M. temporibus, hoc ſæculum implent, & ſequentis duodecim annos conſignant, ut ſupra notavimus.

In *Anglia* Ælfredi; in *Dania* Erici Barn annis abſolvi hoc ſæculum, itidem diximus.

At apud *Suecos*, *Gislonis* Chronologia anno 891. Ingevaldo ſ. Ingialdo ſubſtituit filium *Olaum Treteliam*, qui a ſuccilis paſſim, humanioris cultus & agriculturæ ergo, arboribus, id cognomen nactus fertur. Bella ejus *Joh. Magnus* præcipue exequitur *lib.* 17. *cap.* 9. *&* 10. Adde *Loccen. Hiſt. Suec.*

Eccleſiaſtica.

STephano V. Pontifici, anno 891. ſubſtituunt *Formoſum* Papam. cui per factionem opponitur Sergius, quem III. dixere. De qua re *Sigonius: Comitiis creando novo Pontifici habitis, diſſidium in Eccleſia graviſſimum eſt coortum, factionibus, qui Romanam civitatem tenebant, parum in legendo ſucceſſore conſentientibus.* Refert poſtea Sergium primo conſtitutum; in quo cum præter nobilitatem generis nihil eſſet, Formoſum arreptum, qui ei opponeretur. *Inde*, inquit, *totus Formoſi Pontificatus aſſiduis Sergianorum contentionibus fuit infeſtus, Vidone Imperatore evidenter parti Sergianæ ſtudente.* Laudes Formoſi texit *Luithprandus lib.* 1. *cap.* 8. non ſine fabula, ut temporis genius ferebat. Obitum ejus, & ſucceſſores *Bonifacium VI.* & poſt dies 15. *Stephanum VI*, *Sigonius* anno 866. attribuit. *Baronius* utrumque ſucceſſorem anno ſequenti memorat: *Onuphrius*, Bonifacium 896, *Stephanum* 897. ponit. Hujus Stephani crudelitas maxima fuit in corpus & memoriam & acta Formoſi Pontificis. de qua re ita judicat *Platina: Ego arbitror hoc odium ex ambitione ortum fuiſſe, cum jam eo deveniſſent Eccleſiaſtici, ut non coacti, ut antea,*

lib. 6. de regn. Ital.

in Steph. VI

 ea,

ea, ſed ſponte & largitionibus Pontificium munus obirent. Hinc odium ortum eſt, quo etiam in mortuum Stephanus ſæviebat, quod ei antea impedimento fuiſſet, quo minus optata ſede potiretur. Interjecta mox commemoratione abolitionis actorum Formoſi, addit: *Magna fuit hac controverſia & peſſimi exempli, cum poſtea fere ſemper ſervata hæc conſuetudo ſit, ut acta priorum Pontificum, ſequentes aut infringerent, aut omnino tollerent.* Digno ſceleribus exitu functum Stephanum, laqueo in carcere periiſſe ex *Epitaphio* ejus *Baronius* oſtendit: qui etiam 4. ei annos attribuit, contra ceterorum Chronologiam. Nam *Platina* ait mortuum, *Pontificatus anno primo, menſe tertio. Onuphrius* anno 898. mortem ejus ponit: & ſucceſſionem *Romani I.* ac poſt m. 4. d. 23. *Theodori Junioris II:* iterumque, poſt 20. dies, Sergio ſecunda vice repulſo, *Johannis IX.* (X. vocat *Platina*) in annos 2. d. 15. *Sigonius* hæc omnia anno 897. adſcribit: *Baronius* 900. & 901, & *Johanni* tribuit annos 3. d. 15. Omnes autem Stephani ſucceſſores cauſſam Formoſi probaſſe, Stephani oppugnaſſe feruntur. Johannem *nihil de ſe dignum memoria reliquiſſe, niſi quod ſeditiones quasdam prope extinctas revocaverit, Platina* ait Formoſi memoriæ iniquior. De cetero ad hos jam Pontifices pertinet querela *Genebrardi* & *Baronii*; de *apoſtaticis apotacticisque potius quam Apoſtolicis Pontificibus, hominibus monſtruoſis, turpiſſimis.*

ann. 900. §. 6.

Primo Arnulphi anno (888) celebrata eſt *Synodus Moguntina*, cui occaſionem dederunt tum vaſtationes Paganorum, tum flagitia inter Chriſtianos exuberantia, ſicut ab initio Actorum miſerabilis ille ſtatus Eccleſiæ deſcribitur. Canones recenſentur etiam à *Centur. Magdeb. IX. 9.* Ubi & *Wormatienſis*, in cauſſa Adalgarii Hamburgenſis & Hermanni Colonienſis Epiſcoporum de Bremenſis eccleſiæ diœceſi litigantium, ad hæc tempora refertur. Ea cauſſa deciditur *Synodo Triburienſi* 895. ſententiâ non latura ætatem, pro Colonienſi Epiſcopo; faventibus ei Arnolpho, & Formoſo Pontifice. qua de re diſputat *Crantzius in Metropoli lib. 2. cap. 19. & ſeq.* Conſtituta ſunt & alia multa Synodo Triburienſi. *Baronius* mentionem etiam facit Synodi generalis à Formoſo indictæ anno 893. Johanni Papæ *Baronius* tres Synodos, ſed initio ſequentis ſæculi habitas tribuit; Romanam, Ravennatenſem, & tertiam, cujus nomen non ponit, nitens *epitaphio* Johannis. *Ravennatenſi* Synodo repetita autumat, quæ Romæ ſtatuta erant: exhibens *Acta*; quod & *Sigonius*

ad ann. 905 §. 1.

nius facit ad annum 898. Præcipua vis in abrogandis Stephani actis decretisque. Quod autem *Sigonius* ait, *Arnulſi regis imperialem conſecrationem ut metu extortam*, tum reſciſſam; illud in *Actis*, quæ ſubjicit, non reperitur, ubi poſt Lamberti unctionem confirmatam, ſequitur: *illam vero barbaricam, quæ per ſurreptionem extorta eſt, omnino abrogamus.* Quod ſine nomine hic ponitur, apud *Baronium* integrè in ejusdem Synodi actis (*ann.* 904. §. 9.) effertur: *illam vero barbaricam Berengarii &c.* Id quod jam ante monuimus. In eadem Synodo ſtatutum eſt: *ne Pontifices deſignatos, niſi in conſpectu legatorum Regiorum, jus eſſet conſecrari. in quo* (inquit *Sigonius*) *ſuperiori decreto Hadriani eſt obrogatum.* De tranſlatis furto è Gallia ad Arnulſum ac Ratisbonæ in templo D. Emerani repoſitis Dionyſii Areopagitæ reliquiis, & libro Evangeliorum aureis literis ſcripto, quem Carolus Calvus ædi Dionyſii in agro Pariſienſi donaſſet; ortaque inde contentione inter Germanos Galloſque *Aventinus lib.* 4. ſtudioſe, pro moribus ſui ſæculi ad iſta intentius converſi, diſputat.

In *Argentinenſibus Epiſcopis*, *Bruſchius* Grimoldo ſubſtituit Regenhardum ejusque finem in annum 895. confert. At *Wimphelingius* initium ejus anno 878. finem 888. tribuit.

Literæ & Studia.

ORtum Academiæ Oxonienſis in Britannia, quæ poſtea ad tantum celebritatis proceſſit, aliqui ad hæc tempora referunt, & auſpiciis Aelfredi Regis tribuunt. alii paulo citerius ponunt. Vid. *Middendorp.* & præſertim *Brianum Tvvynum de antiquitate Oxonienſis Academiæ.* E Theologis *Ambroſius Ansbertus Gallus Monachus*, *ſcriptis in Apocalypſim commentariis & aliis operibus* claret. *Formoſi Pontificis Epiſtolam*, refert *Crantzius Metropol. lib.* 2. *cap.* 20. Hiſtoriæ manus admovit *Adrevaldus* (ſ. Adelbertus, Albertus) *Floriacenſis monachus*, *ſcripto opere de miraculis S. Benedicti*; è quo, excerpta edidit *Franc. du Cheſne.* Appendicem addidit *Adelarius* tom. 3. *Floriacenſis.* De *Muſica* ſcripſit *Aurelianus clericus Rhemenſis.* v. *Gerh. Joh. Voſſ. de Hiſt. Latin.* 2. 38. ubi & de *Bononis Corbeienſis Chronico. Sigebertus* ad ann. 898. celebrat quendam *Odonem* muſicum, ex Clerico Turonenſi Monachum. Cujus tamen nihil extat. Apud Græcos *Symeon Metaphraſtes*, Theologicis & Hiſtoricis ſcriptis clarus, in hæc tempora vindicatur à *Gerh. Jo. Voſſ. in Hiſt. Græc.*

 lib. 2.

lib. 2. *cap.* 25. quem alii ponunt ante annum 859. Additur ibidem comes, *Hippolytus Thebanus.*

Memorabilia alia.

URſpergenſis ad ann. 898. de magna fame ita annotat: *Magna fames homines ſe invicem comedere perſuaſit.* Eadem verba *Hermannus Contractus* anno 896. habet.

Epitaphium Arnulfi.

Ratisbonæ in Choro Monaſterii S. Emmerani.

Andr. du Cheſne tom. 2. pag. 585.

Hac Arnulfus humo eſt Cæſar Romanus humatus,
Quem Galli Regem, Boii habuere Ducem.
Hic Ædem Emmerane tuam defendit & auxit;
Prædia ſunt teſtes, ſplendidus atque liber.
Ad noſtram cineres Dionyſi tranſtulit urbem,
Finibus è Gallis quos pia furta tulit.

LUDOVICUS IV.
ARNULPHI IMPERATORIS FILIUS.

Annotatio Temporis.

ANnum nativitatis, ſi *Aventino* credimus, 893. ponemus. Initium regni, in quod ſucceſſit Patri, *Onuphrius* in finem anni 899. quo Arnulfus obiit, confert: *Regino* & alii in 900. Mors refertur in anni 911. menſem Xbrem. Aliqui uno, nonnulli etiam pluribus annis, ulterius ponunt, calculo minus probato. Ætatis ergo annos *Aventinus* 18. numerat; cum imperium ſuſcepiſſet agens annum ſeptimum.

lib. 4.

Elogium.

MAtrem ejus *Utam* vocat *Aventinus*, de qua ante. Extincto Parente, Proceres ſolennibus comitiis Forchaimii Ludovicum Regem

Regem nuncupant. Tutores dantur, Otto Saxoniæ regulus, & Hatto Moguntinus Archiepiſcopus. Rei militari Luitpoldus, orientalis Boici limitis Dux, parens Principum Bojariæ, præficitur. Valdo Fruxinenſis epiſcopus regem puerum literis erudire jubetur. Scribarum princeps, Theodomarus Juvavenſis archimyſta Bojorum, conſtituitur. Hæc *Aventini* indagationi debemus. De ipſius autem Ludovici ingenio & moribus, nihil certi explicatique habemus. quamvis ſcriptores, tanquam de ipſo referunt, quæ miniſtrorum recte aut ſecus facta ſunt. Horum non minus culpâ, quam ſuo fato infelicem fuiſſe, id vero ſcimus. Habuiſſe eum in matrimonio Luidgardam Ludolfi Saxoniæ Ducis filiam, Brunonis & Ottonis ſororem, *Witichindo* aſſeveranti crediderunt *Urſpergenſis*, & *Albertus Stadenſis*. unde plerique omnes poſtea deſcripſerunt. Sed coarguit errorem accurate *Henricus Meibomius*; oſtenditque, Ludovicum alium, Ludovici nempe Germanici filium, Pii nepotem Luidgardæ maritum fuiſſe.

Annal. Saxon. lib. 1.

in not. ad Witich.

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

ORdiri cogimur hunc locum à confeſſione deliquii & inopiæ, quam hiſtoria incipit pati, in hoc decimo ſæculo, cui inauſpicatum hoc auſpicium Ludovicus facit. Neque eſt de nihilo querela *Baronii*, quod hoc ſæculum, *ſui aſperitate ac boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia ſcriptorum appellari conſueverit obſcurum.* Accipimus hoc judicium Baronii, ut cœpimus dicere, non de toto ſæculo, ſed de ſæculi præſertim initiis & progreſſu, uſque ad Ottonum tempora; quæ illuſtria fuiſſe, nec uno nomine præclara, argumentis vincemus, vel apud ipſum *Baronium* judicem, qui non ſivit nos ignorare ſententiam ſuam. Ut fruſtra *Genebrardus*, querelæ parum probabiliter motæ dicam Lutheranis impingat.

ad ann. 900 §. 1.

§. 6.

Statim autem de nomine Imperatorio hîc lis movetur Ludovico. Omittit eum in Imperatoribus *Sigonius*, & *Baronius*; male tamen concors *Sigonio*, cum his temporibus poſt Ludovicum Boſonis filium, qui Imperator dictus erat, Lambertum Widonis filium, Imperatorem numerat, omiſſa Berengarii memoria, cui, inde à victo Ludovico Boſonis excæcatoque *Sigonius* ſoli rerum ſummam deinceps in Italia tribuit. *Baronius* autem ait, Berengarii coronatio-

ann. 904.

nem, ut vi extortam, à Johanne Pontifice antiquatam Synodo, Lamberti ſtabilitam eſſe. Sed quæ poteſt eſſe hic Pontificum auctoritas, qui & ipſi inter aſſiduas factiones incerti fluctuabant, & pleraque male & per concertationem adverſum deceſſores, aut alios Italiæ proceres actitabant? Quid? quod ipſi Itali, notante, ut ſupra retulimus, *Luithprando, geminis* fere *dominis gaudebant* hoc tempore, ut *alterum alterius terrore, coërcerent.* Quæ ἀναρχίας cujusdam, opinor, luculenta deſcriptio eſt, quantum ad propoſita ſtudiaque Italicorum hominum pertinet. Sed ad Ludovicum IV. revertendum eſt. De quo *Sigebertus Gemblacenſis*: *Ludovicus Rex Germaniæ moritur, qui propter tyrannorum in Italia inſolentiam & multam malorum ingruentiam, non meruit benedictionem Imperialem.* Intellige à Papa factam, *Papalem*; ſicut *Wernerus Rolevinc* illa verba deſcribens explicat. Nihil agunt equidem, qui jus Imperatoris omne à conſecratione Pontificia ſuſpendunt, ut res ipſa oſtendit. Neque Ludovico in adoleſcentia defuncto, licuit ius ſuum in Italiam, exequi. id quod & aliæ temporum regnorumque turbæ & diſtractiones, impediebant. Non parum alias valuiſſet, jusjurandum populi Romani, quo Arnulfo fidem, neque ſe Lambertum Romæ regnare paſſuros, juraverant. Juſtiſſima inde Ludovico Arnulfi filio cauſſa fuiſſet vindicandæ perfidiæ, tum in populum, tum in Pontificem perjurii magiſtrum & auctorem: ſi tali negotio vires temporaque non defuiſſent. Inter quæ tam confuſa, nullam auctoritatem meretur, qui abrupte & confidenter pronuntiat. Igitur *Otho Friſingenſis*, ut ſupra vidimus, contra eos, qui Imperatoris nomen Ludovico aliisque negant, nominat alios, qui ultro concedunt. In quibus etiam *Onuphrius* eſt.

l. 10. *ad ann. 912.* *Sigon. lib. 6 regn. Ital.* *lib. 6. cap. 13* *in Princ. & Pontific.*

Congruit autem in hujus Ludovici tempora, tota malorum Ilias. Ab initio ſtatim Zundibolchus ſ. Kindiboldus, Arnulfi ex concubina filius, cum Lotharingico regno crudeliter & ſuperbe ac ignobiliter præeſſet, occaſionem fraternis armis dedit. Ludovicus enim in auxilium à Lotharingis accitus eſt. cujus milites Zundibolchum interfecerunt. *Regino ad ann. 900. Sigebertus ad 903. Otto Friſingenſis 6. 14.* In ipſis Imperii vitalibus graſſantur nobilium & Epiſcoporum factiones, ſub Arnulfo cœptæ, & fraterno itidem cruore ad furorem imbutæ. Videtur ſeriem hiſtoriæ optime ordinaſſe *Aventinus*: conferendus cum *Reginone.* Dux quoque Moſellanus Conradus, cum filiis, adverſus Gerardum & Machofridum armis decertat,

lib. 4. *ad ann. 897 & 898. 895.*

certat. Cumque Adalberti (ſ. Alberti) Bambergenſis Comitis factioſa & rebellia arma per ſeptem circiter annos Ludovici regnum exercuiſſent, tandem is Hattonis Moguntini Archiepiſcopi, cui prima tum auctoritas, perfidiâ deceptus pœnas capite dedit. Non ſine infamia tamen Regii nominis. Jurisjurandi enim ſanctitas nullo modo debuit, tanquam larva, fallendis quamquam ſontibus, adhiberi. Quare cordatum eſt *Ottonis Friſingenſis* verbum: *Judicent de hoc Sacerdotis facto alii, quod velint, & tanquam pro regni utilitate commiſſum tueantur: ego omnino nullius emolumenti gratia non ſolum quemlibet Chriſtianum fraude circumvenire, ſed etiam in corde; & corde in cauſſa capitali loqui non debuiſſe arbitror epiſcopum.* 6. 15. Narrant uberius rem *Luithprandus* 2. 3. *Regino ad ann.* 905. *Marianus Scotus ad* 908. *Sigebertus ad* 910. In primis autem horribili ſævitia graſſati ſunt Hungari, quos Arnulfus ad Moravos compeſcendos infelici conſilio in auxilium vocaverat, per omnem fere Germaniam, quaqua patet; ipſamque Italiam. Itaque ſingulorum fere annorum hiſtoria, cladibus & ſanguine ſignatur. Infauſtiſſimum fuit prælium, à Ludovici exercitu cum Hungaris apud Ansburg commiſſum: in quo Luitpoldus (ſ. Leopoldus) rei militari, ut dictum eſt, impoſitus, meliorem militem, quam ducem ſe præbuit, ſuaque negligentia cauſſam cladi triduanæ dedit. Abſumta tum pleraque Bojariæ nobilitas: terrorque in omnes terras diffuſus, animos etiam Germanicarum gentium comminuit. Quarum clades qui accurate præ ceteris & ex publicis inſtrumentis deſcribit *Aventinus*, adjicit *lib.* 4. tandem: *iram Dei fuiſſe manifeſtum eſt; nationes pugnaciſſimæ, gentes fortiſſimæ, tot hactenus triumphis clariſſimæ, deſperatione caſus debilitatæ animoque fractæ, nihil niſi de fuga cogitabant.* Adduntur *Luithprand. lib.* 2. *uſque ad cap.* 7. *Regino*, cujus hiſtoria deficit in anno 905. inde ſupplementum ſequitur. *Annales Metenſes*, qui in anno 903. deficiunt. Cladem Berengariani exercitus Italicam copioſius deſcribit *Sigonius*. *lib.* 6. *de regno Ital. ad ann.* 902. Vaſtatio Hungarorum Lombardica abſumſit etiam, fugientem cum theſauris *Luidvvardum* Epiſcopum Vercellenſem, cujus in aula Caroli Craſſi præcipua auctoritas fuerat. Regino *Ludmardum* vocat. *ad an.* 901. ſed prior illa *Annalium Metenſium* ſcriptura, ut in aliis nominibus fere ſemper, emendatior eſt linquæque & tempori convenientior. *Sigonius*, *Truſardum* vocat. Italiam inſuper Saraceni vexarunt.

Inte-

Inteſtina diſſidia & certamina cauſſam dedere aliquot *Comitiis* & *Judiciis.* Ita Albertus Comes, de quo ante, Triburienſibus comitiis majeſtatis damnatus, capite plectitur; *facultates & poſſeſſiones ejus in fiſcum rediguntur, & dona regis inter nobiliores quoſque diſtribuuntur*, verbis *Reginonis*. Eodem anno Metenſi Conventu, Gerardus atque Matfridus proſcriptione damnantur.

ad an. 905.

Leges de portoriis in conventu Boico Raſueltſtadienſi latas *Aventinus* exhibet. Quibus adde *Edictum de ritu manumiſſionis, anno* 906. & *conſtitutionem de auctoritate inſtrumentorum anno* 909. apud *Goldaſtum.*

Conſtit. tom. 3.

Excerpta de rebus geſtis.

SEriem rerum adverſus Hungaros bene geri cœptarum, interfecto rege ipſorum Cuſſale, interrupit diſcordia domeſtica, de qua ante diximus. In vaſtationibus illis, quibus Hungari, Alemanniam, Saxoniam, Thuringiam percurrerunt, etiam Burchardus Dux Thuringorum ab iis occiſus eſt, memorante *Lamberto Schaffnaburg.* *Sigebertus* etiam de Græcis & Bulgaris annotat: [906] *Hungari victos Græcos ſub tributo redigunt.* [907] *Hungari Bulgaros victos ſibi tributarios faciunt.* Firmat idem *Luithprandus*, annis tamen non expreſſis: *Bulgarorum gentem atque Græcorum tributariam fecerant.* Berengario & Italis jam in manus tradiderat fortuna Hungaros: ſi vel moderatius ferre res ſecundas, vel cautius habere, didiciſſent. Deprehenſum apud Brentam fluvium hoſtem, non fuiſſe, præciſis conditionibus, ad deſperationem adigendum, *Luithprandus* & alii, nec immerito, notant. Sed longe turpius etiam in eo erratum fuit, quod lubrica fortunæ munera ne preſſis quidem manibus tenere ſtuduerunt; ſoluta omni diſciplina incurioſi, negligenter, veluti interemto jam hoſte, ovantes. Igitur tot magnis exemplis priorum temporum maximum hoc acceſſit, quo docerentur, qui arma induunt, ſecuritas quantæ calamitati in bello ſoleat eſſe.

lib. 2. *cap.* 4.

lib. 2. *cap.* 5. *&* 6.

Venetorum autem virtus, adverſus Hungaros jam victores eximia plane extitit. Ita quod terra peccaverant, mari expiarunt crudeles hoſtes. Magni in eo prælio fuit opera Petri Ducis Veneti, cognomento Tribuni. Refert copioſius *Petrus Juſtinianus hiſtor. Ven. lib.* I.

In Conſtantinopolitano Imperio

quis Leoni VI. ſucceſſerit, in Conradi rebus paulo poſt annotabitur. Ut &, quod ſpectat *ad Externa Imperia ac Dominationes.*

Eccleſiaſtica.

MIſerum ac deformem Eccleſiæ ſub Ludovico ſtatum ſignanter exprimit *Aventinus* in hæc verba: *Creverant Principe puero tum in Germania vitia ſacerdotum. Nam & Romanus Pontifex ob ſcelera male audiebat vulgo: venter & ea quæ ſub ventre, illis Deus erant. Vino, otio, Veneri & Cereri dediti ſacras prophanas literas juxta contemnebant. Virgines ſacratæ paſſim inceſtu polluebantur. Adulterio nihil communius erat. Arrogantia, ſuperbia, luxus, libido, avaritia, communia ſacerdotum mala, invaluerant: levitatem illi omnem veſte, inceſſu, armis, quaſi carnifices circulatoresque præ ſe ferebant, pauperes, pupillos, viduas compilabant. Nemo hos defendebat. Carmina amatoria paſſim cantitabantur: emere, vendere ſacra pietas erat. Conradus Haopagus & Geophardus Argentoratenſis, vates divini, tum facundiam in vitia ſacerdotum, & monachorum aviditatem exercebant, ac, niſi reſipiſcerent, flagellum Dei Attilam adfore propediem, prædicabant. Sed nemo his recte monentibus præcipientibusque obtemperabat. Ira Dei mortales urgebat: cum inſipientiſſimi eſſent, ſapientiſſimos ſe eſſe credebant: ſuperſtitionem religioni, umbram rei, ſpeciem pietati præferebant.* Subjicit poſtea, exemplum turbarum Moravicarum, & querelas Boicorum pontificum adverſus Papam Romanum. lib. 4.

Romæ autem Johanni XI. (quem *ſtupris & avaritia infamem* Aventinus nominat) ſucceſſit Benedictus IV. vivo adhuc Arnulfo, anno 899. ſi *Sigonio* credimus; cujus hæc ſunt verba: *Eodem anno (899.) IX. Kal. Octobr. Joannes Pontifex morte abſumtus eſt. In ejus locum Tuſculanorum factio Benedictum quartum ſubrogavit, eumque CONTRA LEGEM SINE AUCTORITATE REGIA conſecravit. Et XIII. Kal. Decembr. Arnulfus Rex Germ. interiit.* Onuphrius ad annum 900. ſub Ludovico IV. refert: idem qui finem Benedicti & ſucceſſionem *Leonis V.* &, poſt menſem ac 10. dies, *Chriſtophori*, anno 905. ponit; annoque 906. *Sergium III.* ſubſtituit, in annum uſque 913; quo *Anaſtaſius III.* apud ipſum ſequitur. At *Sigonius* in

anno 904. ita memorat: *Eodem anno VI. Id. Aprilis Benedictus Pontifex moritur. Novi inde comitia pontificis, non Romæ ſolum, ſed etiam totius Eccleſiæ otium perturbarunt, libidine Romanorum ut cum maxime ſæviente, atque humanas leges divinasque ſpernente in Benedicti locum Leo V. eſt ſuffectus. Hominem incautum, & parum tractandis rebus idoneum eſſe cum animadvertiſſet Chriſtophorus ſacerdos ejus, quadrageſimo quam conſecratus fuit die accitis ſociis comprehendit, atque in cuſtodiam traditum abdicare coëgit, atque ipſe ſe pontificem facere novo exemplo non dubitavit. Hujus inde audaciam imitatus Sergius, qui bis jam ab adverſariis de pontificatu fuerat deturbatus, illum exigere, & ſemetipſum inferre conſtituit. Itaque ne adverſa potentia factionis opprimeretur, Adelbertum Tuſciæ marchionem, ut ſibi auxilio eſſet oravit. & conſpiratione facta Chriſtophorum IX. Kal. Januar. comprehenſum ſe abdicare, atque monaſterium inire coëgit, ac poſtridie ſedem occupavit.* Finem hujus Sergii ponit anno 911. *Baronius* plurimum diſcrepans, Joannis finem & Benedicti initia refert anno 905. Benedicto ſubſtituit Chriſtophorum 908. omiſſo Leone V. Sergii finem & initia Anaſtaſii 910. tribuit: confeſſus de cetero deformitatem turbarum, invaſionum, aliorumque Eccleſiæ & ſedis Papalis deliquiorum; etiam *Platinæ* deploratam. De Sergio *Sigebertus* refert, quod Formoſi corpus ſepulcro extraxerit, & cetera, quæ ante dixerat Stephano non Sergio tribui. Vnde *Sigonius* non immerito, Formoſi corpus iterum à Sergio poſt xx. annos ex ſepulchro extractum, negat veriſimile. In Gallia Fulco Archiepiſcopus Rhemenſis à Winemaro quodam Balduini Comitis ſatellite ex inſidiis interfectus eſt, anno, ut *Regino* & *Annales Metenſes* habent 903. *Sigebertus*, citerius ponit. & ad Arnulphi tempora refert, ſolitâ diſcrepantiâ in chronologicis. Propter hanc cædem excommunicati ſunt homines Balduini Comitis Flandriæ. cujus Excommunicationis inſtrumentum exhibuit *Andreas du Cheſne.*

ad an. 907. *ad an. 902.* *tom. 2. pag. 585.* *anno 905.*

In Argentoratenſibus Epiſcopis, *Rhegino*, *Baltrannum* nominat (aliis Baldramus & Waldramus eſt) cui Otbertus ſucceſſerit. Illius cum plebe diſcordiam ab ipſo Ludovico Imperatore compoſitam, refert; poſtquam ex Mediomatricibus regreſſus Strasburgenſem urbem adiiſſet. Sed inſtaurato adverſus ſucceſſorem ſubinde diſſidio, non potuit obviam iri, donec morte Otberti expiaretur. Qua de re videndi *Wimphelingius* & *Guillimannus.*

ann. 913.

Syno-

Synodum Ravennatenſem alii ad annum 903. *Baronius* ad 904. refert; ejusque acta deſcribit; in abolendis, quæ Stephanus Papa decreverat,& ſtabiliendo contra Berengarium Lamberto. Sed confuſis more ac jure agendi, auctoritatem haud pauca ſunt quæ non merentur. *Paulus Æmylius* & ex eo *Centuriæ Magdeb. X. 9.* duo Gallicana concilia memorant; quorum priore in cauſſa bonorum eccleſiaſticorum Fulco Archiepiſcopus occiſus; poſteriore de factione cædis rea quæſitum ſit. *Baronius* anno 909. *Sueſſionenſe concilium* ab Herveo Fulconis ſucceſſore celebratum deſcribit.

De *Mahumediſmo* & *Judaiſmo*, per totum hoc ſæculum, vid. *Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. cap. X. ſect. 2. & 4.*

Literæ & Eruditi.

IN hoc ſæculum referri ſolet *Muhammedes Alfraganus* ſive *Alferganus*, dictus Arabibus *Logiſta*; cujus *Elementa Aſtrologica* Arabice & Latine edidit *Jacobus Golius*. Feruntur & alia ejus ſcripta, *de ſciatericis*, *& planiſphærii forma*, *diviſione atque uſu*. *Albategnium* quoque *Syrum*, alio nomine *Muhammedem Aractenſem*, (cujus librum *de ſcientiis ſtellarum* ex Arabico olim vertit Plato Tiburtinus) huic ſæculo tribuit *Hottingerus*. Sed utrumque ſæculo præcedenti vindicat *Ger. Joh. Voſſius*, *de ſcientiis mathematicis c. 35.* Ad annum hujus decimi ſæculi ſecundum *Idiota*, ad ſextum *Marcus Eremita* (quorum ſcripta in *Bibliotheca Patrum* viſuntur) referri à nonnullis ſolent. In Ludovici IV. tempora *G. I. Voſſius de Hiſt. Latin. II, 39.* vindicat *Adalbertum Epiſcopum denique Auguſtanum ſcriptorem vitæ S. Hariolphi*; *Stephanum Leodicenſem Epiſcopum*; *Joannem Aſſer, ſ. Aſſerium ſ. Aſſerionem ex Meneveníi ſcriba epiſcopum Schyreburnienſem, qui vitam Aelfredi Regis magna fide & gravitate ſcripſit*; *Radulphum ſ. Rathulphum Flaviacenſem*, cujus ſcripta *Sixtus Senenſis* commemorat; *Rheginonem Abbatem Prumienſem*, qui duobus chronicorum libris præclarum nomen adeptus eſt. Perduxit id opus ad annum 907: id quod amplius apud Voſſium diſputatur. Quæ ſequuntur, ab alio adjecta ſunt Reginoni. *Radbodus Trajectenſis* quoque his temporibus convenire putatur. Præter ſcripta; quæ *Voſſius* refert, vidi etiam *Paraphraſin in Jobum metro & proſa*, *MSCtam*, Radbodi nomen præferentem. Addit *Voſſius Stephanum Leodienſem Epiſcopum*, & *Paderbornenſem quendam*, ſcriptorem vitæ Liborii; apud *Surium*.

Epitaphium Ludovici, Filii Arnulſi.

Ratisbonæ in Choro Mon. S. Em.

Panſo ſub hoc ſaxo Ludovicus Regia proles,
Romani Regem quem ſtatuere ſibi.
Mi fuit Arnulphus genitor, qui proximus illic
A cornu altaris conſpiciendus adeſt.
Hic ubi pertaſus vita ſua tempora clauſit,
Romani Imperii ſors mihi ſceptra dedit.
O nimis infelix! quatuor vix luſtra videbam,
Injecit rapidas cum mihi Parca manus.

CONRADUS I.

Annotatio Temporis.

INitium Imperii in annum 911. conferunt, *Reginonis Supplementum* & *Marianus Scotus*; at *Lambertus Schaffnaburgenſis*, *Hermannus Contractus*, *Sigebertus*; 912. nominant. *Otho Friſingenſis*, *Godfridus Viterbienſis*, & *Abbas Urſpergenſis*, 913. Obitus à *Continuatore Reginonis*, *Lamberto*, *Sigeberto*, ponitur anno 919. nec aliter *Urſpergenſis* numerat. Sed *Marianus Scotus* anno 918. X. Kal. Januar. deceſſiſſe, ait. *Aventinus* & *Onuphrius* annos 911. & 919. retinent: ſeptimo *ille* quidem regni anno mortuum ſcribens (quod & *Otho Friſingenſis* ait, ſed alio calculo uſus, ut vidimus) hic autem annos Imperii 7. & menſes 6. deſignans. Nativitatis, adeoque ætatis tempus non annotarunt.

Elogium.

vid omnino Henr. Meibom. not. ad Witikind. lib. 6. cap. 16

PAtrem habuit Conradus, cognominem; illum dico Conradum, Francorum Comitem, & exauctorato Poppone Comite Hennebergio, Thuringorum Ducem, quem Adelbertus Bambergenſis, fax & turbo ſui temporis, prælio apud Frideslariam interfecerat. Hæc teſtatior memoria. Alios diverſum tradidiſſe *Otho Friſingenſis* Au-

ctor eſt. *Hunc*, inquit, *quidam Ludovici fratris filium fuiſſe dicunt,*
& ob hoc noviſſimum eum Carolorum ponunt. Et *Hermannus Con-*
tractus : in hoc defecit progenies Caroli. Adeptus eſt imperium ſuf-
fragatione Ottonis Saxoniæ Ducis, qui cum Hattone Moguntino
rerum ſummam ſub Ludovico puero rexerat. Ad eum enim, cum
poſt mortem Ludovici improlis, extincta jam in orientali regno fa-
milia Carolina, proceres imperii dignitatem magno conſenſu de-
ferrent, Otto ætatis vacatione uſus, cum procul dubio ſine magno
motu ad novam familiam jus regni vix tranſiturum crederet, Con-
radum Francorum ducem, veluti tantæ moli parem demonſtravit.
Vitichindus ita refert : *Regi autem Lothovvico non erat filius, omnis-*
que populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema
imponere regni. Ipſe vero quaſi jam gravior recuſabat imperii onus :
ejus tamen conſultu Cunradus quondam Dux Francorum ungitur in
regem, penes Ottonem tamen ſummum ſemper & ubique vigebat im-
perium. Hæc verba deſcripſit *Urſpergenſis.* Otto autem ille, cu-
jus tanta hic auctoritas laudatur, anno inſequente mortuus eſt. *O-* *lib. 6. c. 15.*
thonis Friſingenſis hæc eſt narratio; *Defuncto Ludovico, Otto Saxo-* *& 16.*
num Dux, ab omnibus petitur. Princeps ergo clariſſimus, tanquam
ſenio gravis, rex fieri recuſabat. Et mox : *Conradus, Conradi (quem*
Albertus occiderat) filius, conſilio præfati Ducis Ottonis, conſenſu
omnium, Orientalis Franciæ Rex creatur. Hiſtoriam rei *Paulus Æ-* *lib. 3.*
mylius, eloquentia percoluit : unde *Cuſpinianus* & alii deſcripſe-
runt. Ceterum, Conradum hunc, *Continuator Reginonis* ita laudat,
quod fuerit *vir per omnia manſuetus, prudens, & divinæ religionis*
amator. Luithprandus *virum ſtrenuum, bellorumque exercitio do-* *lib. 2 cap. 7.*
ctum, vocat; eique *ſapientiæ vigorem & fortitudinis robur* tribuit.
Verbis *Urſpergenſis* deſcriptis. Addendus eſt *Bonfinius.* E quibus *Dec. 1. l. 10.*
concinnavit elogium *Lehmannus in Chronico Spirenſi.* Præter vir- *lib. 3. c. 51.*
tutes magnis gerendis rebus idoneas, inſuper liberalitatem, hilari-
tatem ejus & comitatem, non uno ſpecimine enarrat *Ekkehardus*
junior. Exercuerunt eum diſcordiæ inteſtinæ, æmulorum in Ger *de caſib. Mo-*
mania Principum invidia excitatæ. Quorum ceteros quidem fe *naſt. S. Galli*
liciter & ſtrenue compeſcuit : ex Arnulpho autem Bavariæ Duce, *cap. 1.*
plurimum detrimenti; ex Henrico Saxoniæ Duce, etiam infamiæ
non parum retulit. Arnulphus enim ille (*Arnoldum* etiam non-
nulli vocant, ſolita horum nominum confuſione; & *Mali* cogno-

 men,

men, judicium Monachorum ſecuti imponunt) cum eſſet vir fortis, ægre fugatus, poſtquam in Hungariam ſe contulit, filiamque Regis uxorem duxit, non modicum adjumentum attulit genti ad exitium Germanorum nimis pronæ. à qua Conradus vix tandem
Annal. Sax. lib. 1. precario pacem redemit. Quod ſi *Witichindo* credimus, ad extremum, etiam vulnus lethale Conradus adverſus Arnulphum prælio commiſſo, acceperit. Sed Hiſtorici cæteri nihil tale memorant; niſi quod *Chronici veteris Germanici rythmici* teſtimonium *H. Meibomius* adducit. neque ſatis videtur ea fama convenire cum geſtarum rerum ſerie. Idem *Witichindus* invidiam & ingratum animum Conradi Imperatoris adverſus Henricum Saxoniæ Ducem notat. Cum enim Ottonis Henrici parentis conſilio ipſe ad Imperatoriam dignitatem evectus eſſet, malam filio gratiam retuliſſe, ait, quem virtutis nomine ſuſpectum, à Ducatu Saxoniæ paterno removere agitaverit; conducto etiam, cum vim deſperaſſet, Hattonis Moguntini ingenio. qui haud rudis ſcelerum, torque aureo venenato Henricum, ſub imagine amicitiæ & hoſpitalitatis circumvenire deſtinaverit; niſi, re prodita, convivium Henricus vitaviſſet; armisque ſumtis, ſe ac ſua à Conrado vindicaſſet. Hattonem, pudore facinoris alii; quidam Italica febre, *Ditmarus* morte repentina, *Witichindus* fulmine; Compilatorum chronologorum non unus, à dæmonibus correptum ac in montem Ætnam conjectum periiſſe memorant. Auctoribus nominatis poteſt addi *Albertus*
Saxon. lib. 3. cap. 1. *Stadenſis*, *Sigebertus Gemblacenſis*, *Crantzius*. Emendavit autem Conradus, quæ in Henricum deſtinata erant, generoſo animo; cum morti vicinus, optimum de eo judicium faceret, præteritoque fratre ſuo, ſucceſſorem imperii deſignaret. quam rem paulo poſt amplius conſiderabimus. Uxorem habuit Placentiam, Ludovici Germanici ſenioris, aut (ut alii volunt) Junioris, filiam; liberos autem nullos. *Sepelitur* (inquit *Witichindus*) *in civitate ſua Wilinaburg, cum mœrore & lacrymis omnium Francorum.* Deſcripſit hæc verba *Urſpergenſis*: Alii Fuldæ ſepultum tradunt. Videndus o-
lib. 2. c. 7. mnino *Brovverus in Antiquitatibus Fuldenſibus.* Obitum ejus præmaturum *Luithprandus* (2, 7.) hoc præconio proſequitur: *Verum niſi pallida mors, qua pauperum tabernas regumque turres æquo pulſat pede, Conradum regem citiſſime raperet, is eſſet, cujus nomen multis mundi nationibus imperaret.*

Qua

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

N rerum perturbatione deſcribenda *Mutius* confundit tempora & perſonas. Itaque ordinem diligentius cuſtodire debemus. Poſt ortem Caroli Craſſi in partes iviſſe illum contextum Imperii, ante tendimus. Italia variis motibus contra Arnulphum & Ludovium tumultuata, inter Widonem, Berengarium, Lambertum, Luovicum Boſonis, diſtrahebatur. Conradi autem noſtri tempore rengarius regno Italiæ ſolus potiebatur, jam ab anno 902. Quin anno 915. Pontifex Imperatorem eum unxit, commemorante am-tus *Sigonio*. Hinc eſt, quod Conrado nihil negotii in Italia fuiſſe dunt. Non dimiſſam tamen fuiſſe curam vindicandi juris, ex *kehardo Juniore* diſcimus; qui Hattonem Archiepiſcopum Montinum in Italiam per hæc tempora iviſſe, *exacturum jus tium*, & *ab Italia ditiſſimum rediiſſe*, auctor eſt. Gallia, Arlphi majeſtatem comiter conſervaverat. Sed Conrado imperan-ſeorſum ſibi conſuluit. Imo Carolus Simplex, cum Hungaricis inteſtinis bellis fatigari rem Germanicam animadvertiſſet, Loringiam, Germanici juris per Ludovicum Ludovici Germanici um factam, recuperavit regnoque Galliæ adjecit, anno hujus culi ſexto decimo, ſi *Æmylio* credimus. nam alii 915. ſeu potius . malunt. Has æmulationes & diſcordias Italorum, Gallorum, rmanorum, occaſione deficientis ſtirpis Carolinæ, coortas, in mo habuit haud dubie Otto ille Saxonicus, cum ſenectam ſuam peratoriæ dignitati inter contentiones vindicandæ imparem juavit, & Conradi vigorem commendavit.

de regn. Ital. lib. 6.

de caſib. Monaſt. S. Galli, c. 1.

Verum huic conſilio plurimum interceſſerunt domeſtica diffi-. Florebant magni ſpiritus Principes, qui Conrado delatum in nia regimen, animo parum æquo ferebant. Giſelbertus in iis Dux Lotharingorum. Arnulphus Bavariæ Dux, valde laudatus *entino*; quem *Mali* cognomine notatum, ſupra oſtendimus: nricus Dux Saxoniæ; tum Erenger (Erchanger, Freckanger) n Berchtoldo fratre, & Burcardus, Suevi. His omnibus, exto Henrico, rebellandi cauſſam fuiſſe, *Aventinus* ait, quod Caro- Simplicem, veluti juſtum Imperii hæredem ex Galliis & Occitali Francia arceſſendum cenſerent. *Luithprandus*, his *Everdum* quoque *Franciæ Comitem*, fratrem Conradi accenſet: ut & *Sigeber-*

lib. 4.

7, 2.

Sigebertus. Cæterum, quo fato Arnulphus Bavarus fuerit uſus, ab initio declaravimus. cum Henrico graviter bellatum eſt, duce primum miſſo Everhardo Conradi fratre: poſtea ipſe Conradus expeditionem itidem fruſtra ſumſit, memorante *Witichindo*. Perchtoldus & Erchinger rectores erant Sueviæ ſive Alemanniæ; qui & Primates, & Cameræ nuntii (id eſt, fiſci Imperatoris procuratores) idemque judices, communi ſæpe præfectis legatisque Regiis titulo, appellantur. Hi longa lite, cum Hattone Moguntino, & Salomone Conſtantienſi Epiſcopis concertarunt, cauſſati *multa ſua ditioni ſubtracta eſſe per munificentias Regias* in utrumque Epiſcopum. Itaque jam ſub Arnulpho Imperatore Comitiis Moguntinis damnati ob vim & inſidias in Salomonem, liberantur ipſius Salomonis & Hattonis deprecatione apud Imperatorem interpoſita. Sub Conrado, cum denuo ad vim & arma converſi eſſent, & Epiſcopum Salomonem captivum tenuiſſent, iterum publice majeſtatis damnati, capite plectuntur. Quæ, ceteris fuſius accuratiusque, deſcribit *Ekkehardus Junior*. Annales *Hepidanni* ad annum 916: *Erchanger & frater ejus Perethol & Liuthfrid capti & occiſi ſunt*. Aliud *Chronicon breve S. Galli*, ita ordinat hiſtoriam; anno 913: *diſcordia cœpta inter Regem & Erchangerum. Ipſo anno Erchanger cum Rege pacificatus eſt, cujus ſororem, Liupuldi relictam Rex quaſi pacis obſidem in matrimonium accepit. anno* 914: *Erchanger hoſtili manu ſuper Epiſcopum Salomonem venit & eum comprehendit. Ipſo anno idem Erchanger apud caſtellum Oufridinga à Rege comprehenſus, & in exilium miſſus eſt*. Anno 915: *Erchanger de exilio reverſus cum Purchardo & Peratholdo, cum ceteris patriotis ſuis pugnavit, & eos apud Walavvis vicit, & dux eorum effectus eſt*. Anno 916: *Erchinger, Parthold, & Luitfrid, occiduntur doloſe*. Quid ſibi velit, quod de dolo habet, vix ex hiſtoria reſciveris. *Hermannus Contractus* annum ſupplicii 917. diem 12. Kal. Febr. habet. Bona occiſorum, excepta dote Berthæ (quæ uxor Erchingeri fuit) beneficii nomine tradita ſunt Burckhardo, cui & Sueviæ Ducatus ceſſit. Verba *Ekkehardi* ſunt: *Sueviæ Principum aſſenſu ſtatuitur Alemannis Dux primus Burckhardus gentis illius nobiliſſimus & virtutum dote probatiſſimus*. Primus dux vocatur Burchardus: antea enim de temporibus Arnulphi dixerat *Ekkehardus: Nondum adhuc illo tempore Suevia in ducatum erat redacta, ſed fiſco regio peculiariter parebat, ſicut hodie & Francia*. Hunc

de caſib. monaſt. S. Galli c. 1. apud Fr. du Cheſne tom. 3

de caſib. monaſt. S. Galli c. 1.

ınc quoque Burkhardum rebellaſſe, eodem anno, quo illi occiſi
ıt, idem *Chronicon breve S. Galli* refert. neque alia eſt *Luithpran-* 916.
narratio: niſi quod tempora variarum rebellionum parum diſtin-
it. De Lotharingis *Chronicon* modo laudatum iſta habet: Anno *lib. 2, c. 7.*
: *Conradus Francos, qui dicuntur Lotharingi, hoſtiliter invaſit.*
no 913: *Item Conradus cum exercitu regnum Lotharingorum in-*
ſſus eſt. Quod regnum deinde Carolus Simplex Galliæ Rex, ut
e diximus, armis occupavit.

Bellis & turbis, acceſſerunt Hungarorum arma Germaniam
ge lateque populata. *Continuator Reginonis*, anno 912. Franciam
Thuringiam; anno ſequente, partes Alemanniæ vaſtatas; reddi-
amen auctoribus mali clade, refert. anno 915. ita habet: *Hunga-*
otam Alemanniam igne & gladio vaſtaverunt, ſed Thuringiam &
oniam pervaſerunt, & uſque ad Fuldam monaſterium pervene-
t anno 916. Sequitur anno 917: *Hungari per Alemanniam in Al-*
iam & uſque ad fines Lotharienſis regni pervenerunt. Eadem fere
as in *Mariano Scoto, Herm. Contracto*, & *Sigeberto*, qui tamen an- 917. *Urſti-*
s aliter numerare ſolet. Baſileæ vaſtatio, nominatim annotatur. *ſii chronic.*

His tot malis concurrentibus, conſilium vindicandæ Italiæ, & *Baſil. 2. 10.*
rendæ in ea dignitatis Cæſareæ, neceſſe fuit interverti: quam- *generat. 31.*
ım de jure ipſo nihil deceſſiſſe, non abs re diſputat *Johannes* *in rebus*
*ucler*us. *Conradi.*

Leges Conradi Imperatoris *Goldaſtus tom. 3. Conſtitut.* collegit;
ım *de Pace publica*, alteram *de deſertoribus*. Tomo alio, addidit *De-*
ta Concilii Althaimenſis 916; quæ à ſacerdotibus deliberata, *diras*
tinent in rebelles, formâ Synodi eccleſiaſticæ ad negotium civile
ıibitâ: tum *Confirmationem concambii* (i.e. permutationis) *prædio-*
n cum eccleſia initi, quod ſine licentia Imperatoris ratum eſſe non
erat. Legum Feudalium auctorem facit *Henninges in Theatro ge-*
ılogico, neſcio quo argumento; niſi fors mera *δυσοφησία* eſt, nata
legislatione Conradi III. de Feudis, quam ſimili erroris genere
nrado II. Saliquo à Cuiacio & Guillimanno tribui, *Goldaſtus*
ıar.

Comitia Moguntina, quibus ex Lege memoratâ, de pace publi-
Erchinger, Berthold & Luitfrid damnati ſunt, his verbis deſcri-
Ekkehardus Junior: *Conſilio dehinc habito, primo colloquium pu* *de caſib.*
cum Magontiæ, poſtea generale edixit concilium, ubi tribus illis *mon. S. Gall.*
Z *lege* *cap. 1.*

lege abjuratis & proſcriptis, prædiisque eorum in fiſcum redactis majeſtatis reis capita damnata ſunt: cæteris omnibus qui tanto facinori intererant, tanquam rei præ hoſtibus proſequi juſſis. Habuit etiam inſtar Comitiorum, illa deſignatio ſucceſſoris Henrici, ſicut præſertim in *ſupplemento Reginonis* deſcribitur.

Eſt præcipue conſideratu dignum, quæ in illa ſucceſſione conſtituenda, Conradi auctoritas aut poteſtas fuerit. *Supplementum* ergo ait, Conradum vicinum morti, *vocatis ad ſe* fratribus & cognatis ſuis, majoribus ſcilicet Francorum, concordiam *in eligendo Rege* ſuaſiſſe, atque *ut Henricum eligerent*, *JUSSISSE*; denique *regiæ dignitatis ornamenta* ei tranſmiſiſſe, ſymbola ſcilicet traditi imperii. *Sigebertus Gemblacenſis* itidem: *Conradus Rex moriens coram Principibus regni regem deſignat Henricum, filium Ottonis Saxoniæ ducis.*
lib. 1. annal. Nec diſcrepat *Witichindus*, niſi quod, præterita mentione Principum, ſolum fratrem Eberhardum inducit, cui Conradus perſuadet, ut cedat Henrico, & ad eum inſignia imperii perferat. In quibus omnibus apparet, Conradum pro poteſtate egiſſe; quod & alia exempla, in hujus generis negotiis, ut probabile ſit, efficiunt. Nam
lib. 6. c. 16. *Otho Friſingenſis* uno verbo, citra curam accuratioris deſcriptionis,
lib. 2. cap. 7. defungitur; *Conſilio* Conradi Henricum *in regnum ſubrogatum* eſſe. *Luitprandus*, itidem orationem Conradi ad Principes, ut ceteri, format. Cetera virtutis ſunt: quod ſucceſſorem non in domo, ſed in republica quæſivit; quod privatas ſimultates publicis utilitatibus remiſit, electo inimico; quod Ottonis memoriam, cujus ſuffragatione ad imperium ipſe pervenerat, nobili imitatione, tum referendâ gratiâ, honoravit.

Excerpta de rebus geſtis.

IN rebus per hæc tempora geſtis, nihil illuſtrius eſt victoria de Hungaris parta anno 913. per Arnulphum Bavarum. Aſſueverant Hungari tributa à Germanis exigere, ſub Ludovico Imperatore. Ea nunc quoque à Conrado & Arnulpho Bavaro, cui propius vim intentabant, poſtulare inſtituunt. Contractis itaque viribus, additaque ad virtutem ſollertia, numeroſus Hungarorum exercitus apud Oenum fluvium internecione deletur. Auxit gloriam rei bene geſtæ, quod Arnulphus infortunium parentis ſui Luitpoldi, ab Hungaris,
913. ut ante diximus, occiſi ultus eſt. *Supplementum Reginonis* ita refert:

Hunga-

ngari partes *Alemanniæ vaſtaverunt, & juxta In fluvium à Bava- & Alemannis occiſi ſunt.* Marianus Scotus ita: *Ungari Alaman- m vaſtant, ſed à Bajoariis & Alamannis maxima cæde ſternuntur.* ım chronologiam, minusque probatam ſecutus, ut ſolet, *Sigeber-* 915. annotat: *Hungari Berengario confœderati, Alemanniam vaſtant, Baioariis & Alemannis graviter cæduntur.* Annales *Hepidan-* 913. c habent: *Agareni* (Hungaros intellige) *Alemanniam intrave- t. Erchanger & Pertholt frater ejus, & Vodalrichus Comes; auxi- ıte illis nepote eorum Arnulfo optimo Duce Bajoariorum, totum rcitum eorum juxta Ine fluvium penitus occiderunt, niſi XXX. vi-*

Ex recentioribus præcipue *Aventinus* & *Bonfinius*, videndi. n potuit tamen hæc clades efficere, quin ſtatim ad vaſtandam Ger- ıiam nova & exitialia Hungarorum agmina redirent.

In Conſtantinopolitano Imperio

Eoni VI. ſucceſſit Filius CONSTANTINUS VIII, anno 909. cu- jus obitus incidit in annum 962. putante *Onuphrio*, cum quo non ıvenit *Zonaras*, qui annos vitæ tribuit ei 54. cum duobus menſi- . Quo tempore cum patre Leone, Alexandro patruo, & matre os 13. cum Lacapeno tyranno 26. ſolus 15. imperaverit. Nec ali- *Cedrenus.* Ceterum hic Imperator in L. amplius annis miras re- ı vices expertus eſt. Septimum agebat annum, cum, Leone patre *in dubium* inčto, patruum Alexandrum acciperet tutorem: à quo, regno & *vocat hic fi-* ılitate pæne ſpoliatus eſſet, niſi mors ſubita inſidiatorem ſuſtuliſ- *dem Græcor. Baronius* 912. 6.

Hoc ſubmoto, coortus adverſus puerum Imperatorem Dome- us Legionum Conſtantinus Alexii filius, in ipſo ſceleris conatu eriit. Hæc occaſio fuit Tutoribus ſæviendi tanquam in conſcios participes, novaque invidiæ & odiorum ſemina ſpargendi. Re- cata ſubinde Imperatoris mater Zoë, quam Alexander aula pepu- at, adminiſtrationem Imperii capeſſit; admoto ad rerum ſumam nſtantino eunucho cubiculario. Cujus affinitate fretus Leo Pho- Domeſticus Legionum, regni occupandi conſilia agitabat. Huic em opponeret, Romanum Lacapenum delegit Imperator, claſſis ungarium: cujus arte mox dejectus potentia cubicularius, & Pho- deprehenſi ſceleris pœnas, oculis effoſſis dedit. Præmium Ro- ıno, Imperatoris affinitas, cui filiam collocavit; & mox Cæſaris gnitas, fuit. Qua non contentus, cum matrem Imperatoris Zoën

aula exegiſſet, uxorem ſuam Theodoram diademate ornaſſet, filium quoque Chriſtophorum eodem honore mactat: ſuumque nomen, ſpreta religione & fide, Imperatoris nomini præponit; paulo poſt & Chriſtophorus, & deinde duo reliqui Romani filii Imperatori Conſtantino præponuntur, qui ex primo, quintus jam nominabatur: imperio non parum inter tot Imperatores diſtracto. Hæc ſcelera Romanus, inſigni novarum tabularum beneficio, aliaque liberalitate, fruſtra conabatur redimere. Poſtquam enim annos viginti & ſex imperio incubuiſſet, filiorum ſcelere relegatur; atque, his quoque ſubverſis, ad Conſtantinum redit rerum ſumma. qui mox filium ſuum Romanum imperii conſortem facit. Sed & hic cum adoleviſſet, habere imperium quam expectare maluit; veneficio in patrem tentato. Quod cum evaſiſſet quidem ille, repetitas tamen poſtea filii inſidias exitium attuliſſe creditum eſt. Cum Bulgaris per hæc tempora ambigue, cum Ruſſis proſpere certatum eſt. Imperatoris Conſtantini, pietatem & ſtudium doctrinarum laudant: in regno autem adminiſtrando ſegnem, iracundum, ſævum ac inexorabilem deſcribunt. Vini quoque aviditas labem attulit; omniaque in aula venalia, dedecori fuerunt. Hæc novarum rerum cupidis, occaſiones & prætextus varia moliendi, abunde ſuppeditabant.

Zonaræ & *Cedreno* addi omnino debet *Liuthprandus*, cujus pater ab Hugone Conſtantinopolim miſſus erat; ſicut ipſe Liuthprandus poſtea à Berengario. Utrique viſa & comperta, de rebus hujus temporis, quod Conſtantini imperio tribuitur, habes *Lib.* 3. *c.* 5. *uſque ad* 10. *Lib.* 5. *cap.* 4. & 9. 10. 11. *Lib.* 6. *cap.* 1. *uſque ad* 6. Nobis in unum congreganda fuerunt, quæ alias ulterius pertinent.

Externa Imperia atq; dominationes.

S*Aracenos*, qui Garilianum montem tenebant, anno 915. occidione deletos, adnitente Imperatore Conſtantinopolitano, & Principibus Italicis, cum Pontifice, *Chronicon Caſſinenſe* & *Liuthprandus* memorant, *lib.* 2. *c.* 14. *Sigon. de regn. Ital. lib.* 6.

In *Hiſpania* Froillæ ſecundo, ſubſtituunt vulgo *Alfonſum IV.* & *Ramirum II.* per hæc tempora. *Sed Ambroſius Morales* Garſiæ defuncto anno 915. Ordonium ſubrogat in decennium, qui ſedem Regni Oveto Legionem tranſtulit.

In *Anglia* ab initio ſæculi hujus decimi, Patri Elfredo, ſucceſſit

filius

filius *Eduvardus*, 23. annis regnaturus. Provincias Britanniæ, Scotiæque, Danis inſeſſas recuperavit: bellator acris, ædificator ſollers: cujus virtuti fortuna reſpondit. *Wilhelmus Malmesburienſis* comparat eum cum patre Alfredo. Adde *Henricum Huntindonienſem lib.* 5. & *Rogerum Hovedenum parte annal. priore.* *lib. 2. de geſt. Reg. Angl. cap. 5.*

In *Dania* Erico Barn, ſucceſſit *Canutus Lodnecnud*, in cujus rebus *Iſacius Pontanus*, multa de Rollone, & qui ex eo prognati ſunt Normanniæ Duces uſque ad Gulielmum Conquæſtorem poſtea Angliæ Regem, annotat. Poſt Canutum, *Frothonem* ponit, *Idem Hiſtoricus*: diſſentientibus, in chronologia, & ſerie Regum, aliis. *hiſt. Dan. lib. 4.*

In *Suecia*, *Giſlonis chronologia* anno 900. ponit *Ingonem II.* Olavi filium; pacis ſtudioſum: quam ut domi conſervaret, Regneri Danici filia in matrimonium ducta bellandi cupidos cives adverſus Ruſſos emiſit. Anno 907. *Ericus VI.* à ventoſo pileo cognomen adeptus ponitur: & anno 917. *Ericus VII. Victorioſus.* de quorum rebus, videndi *Joh. Magnus* lib. 17. à cap. 11. ad 15. *Loccenius Hiſt. Suec. lib. 1. Ericus Upſalienſis lib. 1.*

Eccleſiaſtica.

Pontifices Romanos *Onuphrius* ita ordinat, ut *Anaſtaſium III.* (*Sigonius IV.* vocat) Imperatore Cæſare Conrado Franco ſediſſe dicat annos 2. totidem menſes cum 21. diebus; ab anno 913. Ab anni 915. trimeſtri poſtremo, *Landoni* tribuit menſes 4. d. 22. Inſequenti anno 916. *Johanni X.* aſſignat annos 14. m. 2. d. 15. At *Sigonius* Anaſtaſii mortem in annum 913. refert: *cui poſt biduum*, inquit, *Landus eſt ſubrogatus, nulla re in Pontificatu geſta nobilitatus. Eo inde V. Kal. Jan. mortuo, comitiisque creando pontifici indictis NIHIL EX LEGIBUS ACTUM EST. Siquidem Albertus Marchio Theodoræ ſocrus inſtinctu, neque ex eccleſia Rom. ſed ex Ravennati, neque cleri ſuffragiis, ſed propriis opibus IX. Kal. Febr. ſucceſſorem Joannem Ravennatem archiepiſcopum dedit. Is Joannes decimus eſt vocatus.* Addit, melius geſſiſſe, quam cepiſſe pontificatum. *Baronius* Anaſtaſii, quem III. vocat, finem anno 912. conſignat, eodemque *Landonis* menſes, & *Joannis* (Pſeudopapam appellat) initia. Anno autem 915. n. 3. de Joanne iſta annotat: *Quod ad Joannem Papam nuncupatum ſpectat, potuit contigiſſe, ut qui invaſor, fur, & latro ingreſſus erat, accedente Cleri conſenſu, haberi cœperit legitimus Romanus Pontifex: cujus quidem rei argumento ſunt legationes ex diverſis orbis partibus*

ad eum miſſa. Quomodo Joannes iſte, agente impudentiſſima meretrice Theodora, primo Epiſcopus Bononienſis, ſubinde Archiepiſcopus Ravennas, denique Pontifex factus ſit, æqualis horum temporum *Liuthprandus* commemorat. *lib.2.cap.13* *Platina*, Joannis (quem XI. vocat) initia refert ad annum 909. *ſpiritusque militares magis quam religioni deditos* ei tribuit; non diſſimulata arrogantia, qua, poſt devictos Saracenos, omnia ſibi vindicare cœpit. Ceterum, qui militari ferocia gloriabatur, ſeditione quoque militari, cervicali in os injecto necatus eſt. *Johannes Nauclerus*, pontificatum Joannis orditur anno 917.

Argentorati Otberto *Epiſcopo* occiſo, *Caſpar Bruſchius* & *Guillimannus*, Gotfridum quendam ſubrogant ante Richuinum. *Aventinus* ex aliis ita: *Otbertus Argentoratenſis ferro necatur. Richuinus demortui dignitatem invadit.* Quod de invaſione dicit, firmatur Synodi Althaimenſis decretis. in quibus etiam hoc legimus: *Richuinus Argentoratenſis ædis occupator, Herigero Mogontino archimyſtæ ſatisfacito. Quod ſi contemſerit, curia ſacerdotum exaugurantor.* E ducibus Lotharingiæ Richuini origo arceſſitur: cui & Collegii Thomani illuſtria augmenta tribuuntur.

Synodus ſub Conrado Imperatore unica, Althaimenſis memoratur: cujus decreta in Conſtitutionibus referre Goldaſtum ſupra diximus. *lib. 4.* *Aventinus* ita: *Eadem tempeſtate anno ab orbe ſervato nongenteſimo ſupra ſextumdecimum, indictione IV. XII, Calendas Octobris, regni Conradi piiſſimi & Chriſtianiſſimi regis quinto, concilium ſacerdotum frequens apud Althaim, in pago Rhetiæ cogitur ab Ortonenſi Epiſcopo, legato Joannis X. pontificis Maximi.* Subjicit poſtea decreta. quæ etiam habes in *Centur. Magdeb. X. 9. Baronius* nullum de hac Synodo verbum habet. an, quia Pſeudopapæ (quem tamen poſtea pro legitimo agnoſcit Cardinalis) legatus coëgiſſe dicitur? an & alia cauſſa ſubeſt in ipſis decretis?

lib.1. à c.45. Eccleſiarum Saxonicarum vaſtationes *Adamus Bremenſis* exequitur: Cui *Albertus Stadenſis* conjungi debet, annis qui huc congruunt. *pag. 29.* itemque *Cl. Lambecii Orig. Hamburg.*

Literæ & Eruditi.

ANte omnes nominandus eſt *Conſtantinus Imperator Conſtantinopolitanus*, qui eruditione ſua multa crimina redemiſſe putatur.

tur. τὰς γὰρ ἐπιστήμας, ἀριθμητικὴν, μουσικὴν, ἀστρονομίαν, γεωμετρίαν, καὶ τὴν ἐν πᾶσιν ἔποχον φιλοσοφίαν, ἐκ μακροῦ χρόνου ἀμελείᾳ καὶ ἀμαθίᾳ τῶν κρατούντων ἀπολωλυίας, οἰκείᾳ σπουδῇ ἀνεκτήσατο, τοὺς ἐφ' ἑκάστῃ τούτων ἀρίστους τε καὶ δοκίμους ἀναζητήσας καὶ εὑρὼν, καὶ διδασκάλους ἐπιστήσας, καὶ τοὺς σπουδαίους ἀποδεχόμενός τε καὶ συγκροτῶν. διὸ καὶ τὴν ἀλογίαν ἀπελάσας ἐκ ἐν μακρῷ τῷ χρόνῳ ἐπὶ τὸ λογικώτερον μετερρύθμισε τὸ πολίτευμα. Verba Cedreni ex *Curopalate* ſunt, quibus ſignificat, *inſtauraſſe eum, quæ à multo jam tempore interierant incuria & inſcitia imperantium, ſcientias, arithmeticam, muſicam, aſtronomiam, geometriam, & diſciplinas Philoſophiæ principes; requiſitis repertisque optimis in quovis genere & præſtantiſſimis, quos magiſtros conſtituit, & ſtudioſos literarum ſuſcepit congregavitque. Ea propter brevi, profligata inſcitia, ut Reſpublica concinnius tractaretur, effecit.* Opera ejus commemorantur permulta, de quibus & ſupra aliquid attigimus. Librum de *Thematibus*, itemque *de adminiſtrando Imperio ad Romanum filium*, à *Merſio* editos habemus. Juſſerat etiam excerpta ex hiſtoricis, veluti in locos communes colligi: conſulturus ignaviæ ſuorum. Qua re tamen factum videtur, ut auctores ipſi facilius perirent. Fragmentum illius operis à magno illo Peireskio comparatum *Henricus Valeſius* edidit, ac eruditis notis illuſtravit. Titulus eſt: *Excerpta Conſtantini Porphyrogeniti.* LIII. fuere capita totius operis. in quibus etiam locum habuerunt *Excerpta Legationum* à *Carolo Cantoclaro* Latine reddita, & cum notis publicata, anno hujus ſæculi nono. *Zonaras* auctor eſt, *ſcripta ipſius Conſtantini non quidem ad artem oratoriam perpolita, ornamentis tamen & figuris abundare.* nominatim ceteris *epiſtolas, rythmos, omnisque generis verſus* laudat. Alias ad Conradi noſtri annos pauca doctrinarum monumenta conveniunt. Si velis huc etiam referre *Cappidum Staurienſem*, cujus de operibus fragmenta quædam ſuperſunt: & *Hilduinum* ſ. Hildouinum, denique epiſcopum Mediolanenſem. quanquam & Henrici Imperatoris temporibus tribueris. vid. *Voſſ. de Hiſt. Lat.* 2. 39.

De ſcholarum diſciplina obſerves aliquid ex iis, quæ *Ekkehardus* de Schola Cœnobii San Gallenſis tradit. Primo Conradus Imperator, cum ibi eſſet, *in proceſſione infantum, quibus poma in medio ecclesiæ pavimento anteſterni jubens, cum nec unum parviſſimorum moveri nec ad ea attendere vidiſſet, miratus eſt diſciplinam.* In refectorio deinde, cum cibus caperetur, *infantulis per ordinem lectitantibus & analo-* *de caſib. mon. S. Gall. cap. 1.*

analogio (i.e. pluteo,in quo libri ponebantur) *deſcendentibus,aureos in ora ad ſe elevatis miſit.* Cumque Salomon epiſcopus Conſtantienſis, in eodem Cœnobio S. Galli, ſcholam intraſſet, diſcipuli joculari quodam jure ſuo uſi, pro capto eum retinuerunt, ut ſe redimeret, poſtulantes. Converſo poſtea jure, cum & ipſe Epiſcopus onus eis injunxiſſet, iterum petierunt, ut redimi ſibi liceret, quo pacto à magiſtro mulctam impoſitam redimere conſuevîſſent. Epiſcopo annuente, & quid moris id eſſet rogante, *parvuli* (inquit *Ekkehardus*) *Latine, pro poſſe; medii, rythmice, cæteri vero metrice, quaſi pro roſtris rhetorice eum affantes. Quorum duorum quoniam à patribus verba recepimus, unus inquit:*

Quid tibi fecimus tale, ut nobis facias male:
Appellamus Regem, quia noſtram fecimus legem.

At alter verſificator inquit:

Non nobis pia ſpes fuerat, cum ſis novus hoſpes,
Ut vetus in pejus tranſuertere tute velis jus.

Sunt hæc ſimplicitatis, ut apparet, plena: ſed à genio ſæculi non abhorrent; & de cœnobiorum propoſito etiam tum teſtantur. Ex iis etiam, quæ paulo poſt ſubjicit *Ekkehardus*, ſive de *Salomone* ipſo, ut *Goldaſtus in notis* putat, ſive de *Carolo* quodam, colligis licet aliquid de ſtudiis horum temporum; *Erat homo præter decoræ faciei dotem & ſtaturæ proceræ doctus & diſciplinatiſſimus: ſcribendi lingua manuque artifex: lineandi & capitulares literas rite creandi* (caraxandi leg. Gold.) *præ omnibus gnarus, ut in apicibus L. & C. longi evangelii primis videre eſt: quas Epiſcopus, ut ajunt, probans quid in talibus adhuc poſſet, lineans aurificabat. Metro primus, & coram Regibus plerumq; pro ludicro cum aliis certator. Dicendi, præter quod naturalis ei commoditas inerat, artifex erat. In Palatinis & Synodicis æq; valens conſiliis. In eo loco, quo Apoſtolus Prophetas ponit, nemo nobilior illo, adeo ut raro in gradibus ſtans orator ille vehemens auditorib⁹ promtis lacrimas non eliceret.* Adduntur alia de moribus, quibus ſatis indicatur, de Salomone Epiſcopo, cujus mors commemorata erat, hæc omnia ſubjungi. Scribendi & pingendi literas ſtudium, περιεργίαν ſæculi ſapit; ad graviora parum aſpirantis. De poëtandi prurigine, familiari illis temporib⁹, quib⁹ Poëſis vera non intelligitur, alias diximus.

Memorabilia alia.

NE prætereatur hoc loco Berengarii cura in inſtaurandis Tabulariis

lariis, admonet ſimilium & recentium in Germania noſtra damnorum recordatio. *Sigonii* narratio hæc eſt: *Anno 912. Berengarius, IX. Kal. Aprilis Veronæ à Sibicone epiſcopo Patavino edoctus, baſilica ſua ab Ungaris inflammata antiqua tabularum monumenta omnia eſſe conſumta, vetera omnia regum privilegia inſtauravit.* *de regn. Ital. 6.*

Quantum ad prodigia, quæ vocantur, attinet, *Hepidanni Annales* ita annotant: *anno 913. in purificatione Sanctæ Mariæ, tranſacta feſtivitate, ad veſperum, grande miraculum contigit, ut ſtellæ miro modo uſque ad mediam noctem inter ſe volitarent.* Stellas diſcurrentes, puto, intelligit. quod μετέωρον Phyſici explicant, & ab aliis diſtinguunt.

HENRICUS I.

Cognomento *Auceps.*

Annotatio Temporis.

ONuphrius natum ait 876, in Saxoniâ, ad imperium perveniſſe 919. imperaſſe 17. obiiſſe 936. VI. non. Jul. vixiſſe 60. annos. *Dietmarus* & *Witichindus* 16. imperii, 60. ætatis annos numerant. *Herm. Contractus* 18. imperii annos numerat. *Sigebertus* ſolus pro 936. habet 937. annum mortis.

Elogium.

NAtus eſt Henricus I. Ottone Saxoniæ Duce patre, ad quem poſt mortem Ludovici, proceres fruſtra Imperium detulerant; matre ſeu Luitgarde ſeu Heduige Arnulphi Imp. filia. Fratres habuit duos, Ludolphum & Dancmarum, ante Parentem mortuos; ſorores quatuor, Luidgardam, Odam, Adelheidem, Babam. In hoc Imperatore laudando, magnus animadvertitur Scriptorum conſenſus. Et quantum fuerit teſtimonium, ab æmulo profectum, ſupra dictum eſt in Conrado, qui hunc ſucceſſorem, id eſt, optimum, nominavit; cum ad fratrem Eberhardum ita loqueretur teſte *Ekkehardo*: *Eſt in Saxonia, cui neminem in regno æquiparem ſcio, Heinricus quippe Comes* (ita & Herm. Contractus vocat) *Mathilda conjuge clarus.* *v. Henning. theatr. Geneal. & Reuſneri Baſ.* *de caſib. mon S. Gal. cap. 5.*

Apud *Liuthprandum* Conradus ita ſucceſſorem commendat: *Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentiſſimum, Regem eligite, dominum conſtituite. Is enim eſt & ſcientia pollens, & juſtæ ſeveritatis cenſura abundans.* Apud *Witichindum* his verbis: *Fortuna, cum nobiliſſimis moribus Henrico cedit: rerum publicarum ſecus Saxones ſumma eſt.* Et poſtea *idem Hiſtoricus*, vocat *regum Europæ maximum*; *regum optimum maximum, omni virtute animi corporisque nulli ſecundum*; ſingillatimque recenſet *pietatem ejus, liberalitatem, facilitatem magnæ gravitati junctam*; *prudentiam, fortitudinem, formæ dignitatem*; denique conſecutam domi foriſque has regias dotes, *auctoritatem* perinſignem. verbis, partim etiam *Lehmanno* deſcriptis. Educationem ejus *eodem Witichindo* diſcimus (lib. I.) in hunc ſenſum ſcribente: *Natus eſt autem* Ottoni Sax. Duci *filius toti mundo neceſſarius, regum maximus optimus Henricus, qui primus libera poteſtate regnavit in Saxonia: qui cum prima ætate omni genere virtutum vitam ſuam ornaret, de die in diem proficiebat, præcellenti prudentia, & omnium bonorum actuum gloria: nam maximum ei ab adoleſcentia ſtudium erat in glorificando gentem ſuam, & pacem confirmando in omni poteſtate ſua.* Verum ad propoſiti tam nobilis finem non niſi per arma & horrendas duri Martis vices iter patuit. Ut prorſus credendum ſit, ad compeſcendas ſæculi turbas, & confuſam diſciplinam vindicandam, à Deo conſtitutum Principem magno animo, conſilioque & manu juxta promtum. Præter reportata ab Hungaris tropæa, tributarias factas vicinas gentes *Witichindus* memorat, Abotritos, Vulzos, Hevellos, Dalmancos, Bohemos, Redarios. De Gallicis bellis poſtea dicetur. Inter quæ non defuerunt civilia arma: quorum neceſſitudinem attulerunt Arnulphus Bavarus, & Burchardus Alemanniæ Dux; cum aliis; tum rebelliones ſubactorum. His curis exercitus diſtractusque, quo minus Italiam reſpiceret, præpediebatur. Nihil itaque cauſæ fuit *Sigeberto*, cur id miraretur, aut aliam cauſam ſuſpicaretur, in iſtis: *Henricus licet in vincendis inimicis glorioſus fuerit, quia tamen pacificus erat, nullam operam dedit, ut effugatis ab Italia tyrannis, qui quaſi conductitii mercenarii alter alteri ſuccedentes imperium dilaniabant, benedictionem imperialem accepiſſet.* Longe ad rem & tempora accommodatius veriusque *Witichindus* ſenſit, cum ſcripſit: *Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, poſtremo Romam*

Lib. I. c. 7.

Lib. I.

Chron. Spir. lib. 5. c. I.

adde *Ditmarum lib. I. initio.*

v. Heinr. Meibom. not.

ad ann. 937.

fin. lib. I.

Romam proficiſci ſtatuit, ſed infirmitate correptus iter intermiſit. Poſt illuſtres victorias *Patris Patriæ* elogio honoratus, & ab exercitu, more militari *Imperator* conſalutatus eſt. Fortaſſe tamen non minor ſub diverſa virtutis ſpecie, gloria eſt in cognomento *Humilis*, quo ſui ipſius & rerum ſecundarum, quibus corrumpi magnos viros conſtat, victor declarabatur. *Aucupis* cognomen unde tulerit, *Siffridus Presbyter* in hunc modum annotat: *Iſte dicebatur Auceps, quia dum caperet aviculas, renitens electus eſt.* Eadem verba habet *Compilatio Chronologica* ſive *Chronica compendioſa.* Alii tradunt, Aucupem dictum, *quod in adoleſcentia, cum pater rebus praeſſet, plurimum indulgeret aucupiis.* In matrimonio habuit Henricus Mechtildem (Mathildis, Mithildis etiam ſcribitur) clariſſimam omni fœmineo decore, filiam Thiadarici (ſ. Thiderici) ſive Aldenborgenſis ſive Ringelheimenſis Comitis, cujus ſtirpem à Witichindo Magno Saxonum Exrege arceſſit *Witichindus* monachus. Ex hac ſuſcepit Henricus filios *Ottonem*, qui ei ſucceſſit; *Henricum*, Bavariæ poſtea ducem, cognomine Rixoſi notatum; & *Brunonem*, Colonienſium poſtea præſulem. quorum elogia texit *Witichindus prope finem Annalis ſecundi.* Filias numerant quinque, *Gerbergam*, (quæ & Gerungæ & Eugeberthæ nomine noſcitur) Giſelberti primo, inde Hludovici Francorum Regis conjugem; *Mithildem* abbatiſſam primam cœnobii Quitelburgenſis; *Adelheidem* Hugonis Comitis Parienſis uxorem; *Rixam*, Rudolphi Bavari conjugem; &, cujus nomen ignoratur, Comiti Eberſtenio in Suevia nuptam. Pro Adelheide *Chronicon Colonienſe*, Hadewigem ponit. Concubinam quoque Henrico tribuunt *Mithildem*, & ex ea filium *Danquardum ſ. Dancmarum.* Extrema Henrici *Ditmarus* ita refert, ut mortuum *Miminleve*, ſepultum in *Quidlingburg* tradat. Conſentit in loco ſepulturæ *Witichindus*: *Erant autem dies, quibus regnavit XVI. an... vita autem fere LX. Translatum eſt autem corpus ejus à filiis ſuis ... civitatem, quæ dicitur Quedelingeburg, & ſepultum in baſilica S. Petri ante altare cum planctu & lacrymis plurimarum gentium.*

vita Ditmari, & Harm. Sched. Chrō. Norib. tom 1. Piſtor. adde *Chrō. Colon. & Chron. Belg.*

v. Cuſpin. & Onuphr.

v. Ditmar. lib. 1. & Baron. 919. 3. lib. 2. lib. 15.

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

Henricum traditis juſſu Conradi inſignibus imperii ſucceſſorem conſtitutum, & mox conſenſu Procerum comprobatum eſſe, ante vidimus. Illa *inſignia* enumerantur, à *Linthprando* quidem

lib.2.cap.7. in hunc modum: Conradus moriturus, *propriam Coronam, non auro quo cujuſcunque ordinis pæne Principes pollent, verum gemmis pre- ad ann.919. cioſiſſimis, non ſolum inquam ornatam ſed gravatam; Sceptrum, & cuncta quæ regalia ſunt indumenta, in medium venire præcepit, ac pro- ut valuit, hujusmodi verba effudit: Hæredem Regiæque dignitatis vicarium Regalibus meis ornamentis Henricum conſtituo*, & quæ ſequuntur. *Supplementum Reginonis* de eodem Conrado: *Sceptrum* Henrico & *Coronam, cæteraque Regiæ dignitatis ornamenta, pacto tu- lib.1.annal. endi & conſervandi Regni per* Proceres *tranſmiſit*. Plenius *Witichindus, lanceam ſacram, armillas aureas cum chlamyde, gladium veterum Regum*, & *diadema* commemorat. Quæ verba deſcripſit *Conradus* à *Lichtenau Abbas Urſpergenſis*. *Ekkehardus* nihil præter *de caſib. mon. S. Gall. cap. 5.* *Coronam* & *Sceptrum* memorat. Apud *Godefridum Viterbienſem*, qui duobus amplius ſæculis poſt Henricum Aucupem vixit, inſignia imperii, ita recenſentur, & ambitioſâ philoſophiâ explicantur:

——*Crux, Enſis, Sceptra, Corona,*
Lancea, Palla.

Quibus quid acceſſerit, ſequentia tempora docent. Legendum præſertim *Chronicon Belgicum Magnum* de Wilhelmo Comite Hollandiæ, cum Rex Romanorum conſtitueretur anno 1247. ubi *annulus*, & *globus aureus* adduntur. Illud hic ſaltem notandum fuerit: inſignia hæc partim publicis cærimoniis coronandi inaugurandique Imperatoris adhiberi; partim, citra hunc uſum, inter pignora Imperii (clinodia hodie vocant) aſſervari conſueviſſe.

Ceterum tranſmiſſis ad Henricum Imperii inſignibus, ſecuta *lib. 1.* eſt *deſignatio ſolennis*; de qua *Witichindus*: *Deinde congregatis Principibus & natu majoribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri* (Fridislaria) *deſignavit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum.* Huic deſignationi debuit adhiberi *Unctio*, traditâ à majoribus, ut ſupra dictum eſt, cærimoniâ. Sed Hen- *Adde Ditmar. lib. 1.* ricus per modeſtiam recuſavit. Iterum *Witichindus*: *Cumque ei offerretur unctio cum diademate à ſummo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non ſprevit nec tamen ſuſcepit, ſatis, inquiens, mihi eſt, ut præ majoribus meis Rex dicar & deſigner, divina annuente gratia, ac veſtra pietate: penes meliores vero nobis unctio & diadema ſit: tanto honore nos indignos arbitramur. Placuit itaque ſermo iſte coram univerſa multitudine, & dextris in cælum levatis, nomen novi Regis*

Regis cum clamore valido ſalutantes frequentabant. In his verbis, *ſummus Pontifex* eſt Archiepiſcopus Moguntinus, ſicut oſtendit amplius *Meibomius in notis.* Quod ait *diadema* non ſuſceptum, referendum eſt ad cærimoniam unctionis, cum qua conjungebatur ſolennis impoſitio diadematis. Nam aliàs receperat diadema cum ceteris inſignibus ſibi traditum, non autem ſolita cærimonia publica impoſitum. Ut hanc modeſtiam ſuggillarent nonnulli, conficta eſt fabula, de viſo S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani, quod ex *vita ejuſdem* ita citat *Baronius*, quaſi Apoſtolus Petrus oſtenderit duos gladios, alterum cum capulo, ſine capulo alterum, & dixerit: *Dic Henrico Regi; Enſis ille qui ſine capulo eſt, ſignificat Regem, qui ſine benedictione Pontificali regnum tenebit: capulatus autem, qui benedictione divina Regni tenebit gubernacula.* Hæc *Baronius* ad Henricum accommodat. Sed nos longe graviorem Auctorem, ſi quid iſta res veri habet, merito audiverimus *Ottonem Friſingenſem*, *lib 6. c. 18.* qui gladium ſine capulo ad Arnolphum Bavarum rebellem, gladium cum capulo ad Henricum Imp. referri oportere, dicit: *Arnolfus* Bajoariorum dux, *dum primum regnare moliretur, beato Udalrico Auguſtenſi epiſcopo duo gladii, quorum alter capulo carebat, in viſu monſtrati ſunt, audivitque gladium cum capulo regem Henricum, Arnolfum autem gladium ſine capulo, tanquam ſine capite & juſtitia* [e]*ſſe.* Hæc directa fronte pugnant. Mirum, ni lector genium fabu[l]æ agnoſcat, ſi in medium reliquerimus, neutri, an utri credendum ſit.

Factum jam Imperatorem, quæ turbæ exceperint, jam ante [l]egimus. initium non eodem modo traditur. *Ekkehardus* ita memo[r]at, quaſi Giſelbertus Eberhardum fratrem Conradi Imperatoris, [d]olore injuriæ, veluti translato in alium quam cui debebatur re[g]no, extimulaverit. Verba ejus ſunt: *Henricus Saxonum & Fran*[c]*orum conſenſu elevatur & ungitur in regnum. Sed poſtea Lotharin*[gi]*orum Kiſilbertus Eburhardum caſtigatum, cur honorem ſuum alieno* [c]*edisſet, Regi Saxonico rebellare ſecumque ſentire perſuaſit. Sur*[g]*unt ambo in arma: Ducibus Suevo & Norico literas mittunt. Qui*[b]*us ſecum ſentire jam motis, quadam die cum collectas in armis apud* [B]*riſachum copias navibus transpoſuiſſent, ipſique interea in litoris* [p]*lanitie luderent tabula, Chuono quidem* (l. quidam) *regii generis,* [K]*hurzibolt à brevitate cognominatus, fortuitu viginti militibus ſtipa*-

de caſib. mon. S. Gall. cap. 5.

 tus

tus viros incurrit. Kiſilbertum cum omnibus, qui in navi erant, quam inſilivit, lancea infixa ſubmerſit: Eburhardum levitatis increpatum gladio in litore occidit. Hæc verba ideo volui recitare, quia lectorem non aliunde edoctum, poterant in errorem ducere, quaſi ille Rex Saxonicus eſſet Henricus, in quem Eberhardus & Giſelbertus conſpiraſſent, eaque conſpiratione ſibi interitum paraſſent. Verum iſta ad tempus Ottonis I. pertinent; ut ſubinde annotabitur. Et de Eberhardi fide in Henricum clara ſunt verba *Witichindi*: *Vt ergo Rex* (Conradus) *imperarat, Everhardus adiit Henricum, ſeque cum omnibus theſauris illi tradidit, pacem fecit, amicitiam promeruit, quam fideliter familiariterque usque in finem obtinuit.* Quæ verba *Henricus Meibomius* limitanda cenſet, ex loco *Ekkehardi Junioris* producto: tanquam de propoſito Eberhardi fido conſtantique exaudiri deberent; quod tamen labefecerit extimulatio Giſelberti. Sed, ſi totam ſeriem narrationis Ekkehardi conſideremus, clara erit confuſio temporum, de qua dixi. Quid? quod parum veriſimile videri poteſt, Eberhardum à Giſelberto in res novas pellectum, ſi conſideremus & conferamus, quæ *Liuthprandus* de rebellione adverſus Ottonem concitata refert; *ubi totius facinoris illex Everhardus* nominatur; adjectis his verbis: *Everardus ſane Gilebertum Lotharingorum ducem à Regis fidelitate ſejunxerat.* quæ poſtea repetuntur. Principium rebellandi idem ille *Liuthprand⁹*, quo antiquiorem hiſtoria horum temporum non habet auctorem, Arnulpho Bavaro tribuere videtur. Statim enim Henrici Regis conſtituti res inde orditur: *Rex Henricus cum obtemperare ſuis omnes juſſionibus, Arnoldumque ſolum reſiſtere cerneret, pervalido collecto exercitu in Bajoariam tendit.* At, ſi *Witichindum* audimus, expeditio in Burckhardum rebellem præceſſerit: *Eo ordine rex factus Henricus, perrexit cum omni comitatu ſuo ad pugnandum contra Burckhardum Alemanniæ Ducem.* Et mox: *rebus proſpere geſtis, tranſiit in Bajoariam, cui præſidebat Arnulfus Dux.*

lib.4.cap.9 & 10.

lib.4.cap.7.

Is, auditâ morte Conradi, ex Ungarico exilio domum revolat, magnaque ſuorum gratulatione receptus, Regis nomen aſſumit, atque Henrici Imperium detrectat. Henricus armis ad officium reducere rebellem feſtinans, cum acies jam utrinque ad confligendum paratæ conſtitiſſent, colloquio petito, Arnulphum fidei ac religionis admonet, atque ne conſenſum imperii, divinumque auſpicium,

quo

quo regna traderentur, detrectaret, graviſſima oratione hortatur: oblatis inſuper opimis conditionibus, quibus omne in Bajoariam jus retineret, ſolum autem Regis nomen dimitteret. Paruit Arnulphus, pacisque ſapientia compoſitæ pignus affinitas mutua acceſſit. Præcipuus qui rem deſcribit eſt *Liuthprandus*: cujus induſtriam ſequitur *Aventinus* & *Cuſpinianus*. *Witichindus* ſummatim, & paulo aliter, colligit: *Videns Arnulfus quod reſiſtere regi non ſufficeret, apertis portis* (Reginesburg) *egreſſus eſt ad Regem, tradito ſemet ipſo cum omni Regno ſuo. Qui honorifice ab eo ſuſceptus amicus Regis appellatus eſt.* Belli Burckhardiani ante Arnulphum conciliatum, ut diximus, geſti meminit in hunc modum *Hepidannus* in *vita S. Wiboradæ. Hisdem diebus Burckhardo Duce Alemannorum bella gerente, populis etiam inter ſeſe diffidentibus propter Saxonicum Henricum Regem factum, cum militaris populatio gravem penuriam terris inferret, parentes B. Rachildæ metuentes eam ibi* (apud Wiboradam) *fame cruciari, voluerunt eam repatriare.* Metus, de quo *Hepidannus* agit, inde originem habet, quod Burckhardus, narrante *Stumpfio*, Abbatem & Præpoſitum Richenaugienſem cum conventu fratrum expulit, tanquam Henrico Imperatori ſtudentes, & ab Abbate Sangallenſi ſtipendia exegit. lib.2.cap.7. lib.1.cap.28

Ceterum Henricus, Arnulfo Bajoariam pleniſſimo jure conceſſiſſe putatur, ita ut, quod nominatim *Liuthprandus* tradit, etiam jus conſtituendi & deſtituendi ſacerdotes, quod penes Cæſares hactenus erat, in ipſum tranſtulerit. Quo ille animoſe uſus, non parvam clericorum invidiam incurrit. Conceſſam autem Arnulfo Bavariam ampliſſima ditione, beneficii tamen nomine, nullum eſt lucu lentius documentum, quod teſtetur, quam conſilium Bertholdi fratris Arnulfi jam defuncti liberis datum. *Aventini* hæc eſt commemoratio: *Eberhardus ſtatim poſt fata Parentis* (Arnulfi) *quod natu maximus erat, Principatum in Bajoaria occupat atque exercet. Arnulfus & Hermannus fratres minores natu & ipſi imperium ambiunt. Bertoldus patruus eorum, Ottonis Regis auctoritatem expectandam ejusque ſententiam exequendam eſſe docet: morte beneficiarii, beneficium ad ſummum Principem lege rediiſſe: oportere rem integram ad ejus adventum ſervari.* Hoc conſilium *Aventinus*, *rectum* ... ; &, *ferocius quàm æquum & bonum erat, egiſſe* Juvenes, nonnullorum optimatum auctoritate impulſos, judicat, quod ſpreverunt, lib. 4.

runt. Apparetque ex ipſorum rationibus, quæ ibi ſubjiciuntur, præcipuum prætextum detrectandi imperii inde quæſitum eſſe, quod *Saxonici Imperatores alieni eſſent, à genere veterum Regum & Imperatorum.* Invitabat contumaces etiam occaſio, ut turbas adverſus novum & quaſi nutantem adhuc Principem Ottonem exortas, in adjumento perfidiæ haberent, infelici utique exitu: de quo poſtea.

Chron. Spir. lib. 4. cap. 1. &c. Animadvertit *Chriſtophorus Lehmannus*, ex *Beato Rhenano*, *Munſtero*, & aliis, ab Henrico & ſub Henrico Aucupe, ejusque ſucceſſoribus factam eſſe magnam commutationem ſtatus regiminis in Imperio; ita ut, Duces, Comites, Marchiones, dignitatum & officiorum ac magiſtratuum hactenus nomina, proprii juris poteſtatem & poſſeſſionem hæreditariam notare cœperint: Civitates item, per præfectos Regios gubernari ſolitæ, in libertatem aſſertæ ſint. Hæc ita, parum definitè deſcribi ſolent. Si quis autem accuratius inveſtigare cupiat, ei connitendum erit, an alia exempla reperiantur annotata in his temporibus, præter duo, quæ repetivimus: primo quod Henricus nondum Imperator, paternum Ducatum hæreditario jure ſuſceperit; deinde, quod factus Imperator, Arnulpho Bavariam pleniſſimo beneficii jure conceſſerit. Sub Conrado etiam, multos Principes potentia & opibus increviſſe, proditum habemus literis. Sicuti & Saxonicæ gentis augmenta mirè efflorui ſſe traduntur per hæc tempora. Sed regiminis totiusque ſtatus commutatio nulla deſcribitur.

Lotharingiam à corpore Imperii Germanici, per Carolum Simplicem Galliæ Regem avulſam eſſe, in Conrado oſtendimus. Eam recuperat à Carolo Henricus Auceps. In qua hiſtoria ſingulari induſtria, non ſine digreſſione hanc ob cauſſam inſtituta, uſus eſt *Wi-*
Annal. l. 1. *tichindus*, *Meibomii* notis illuſtratus, ubi præſertim etiam egregia diſſertatio legitur de *Francis Orientalibus* & *Occidentalibus*. Ceterorum loca adduxit, non ſine explicatione *Cl. Conringius*, *commentario de Finibus cap. 6.* Eſt autem illa res Gallici regni turbis innexa: quas præcipue peti oportet ex *Frodoardi Presbyteri Chronico*, *Supplemento Reginonis*, & *Sigeberto.* Atque *hic* quidem *anno* 920, inquit, *Robertus Dux frater* (Witichindus filium vocat) *Odonis Regis appetens regnum Francorum, contra Carolum inquietabat Franciam, ejusque inſtinctu omnes pæne primores Franciæ adverſabantur Carolo.* Conſentit de anno *Frodoardus*, addita alia cauſſa

cauſſa offenſionis, nimia ſcilicet *Haganonis conſiliarii* in aula Caroli *potentia :* refertque Carolum ab omnibus fere deſertum, opera Henrici Archiepiſcopi Remenſis, reconciliatum eſſe popularibus. Inde anno 922. cum Roberto pugnatum *vario eventu*, ipſumque Robertum contra Carolum, coronatum eſſe Regem, Remis, ait. Inſequenti anno (923.) pugnam apud Sueſſionicam ponit, qua Rotbertus occiſus eſt. quod cruentum certamen *Supplementum Reginonis* & *Sigebertus* anno præcedente memorant 922. De his ergo diſſidiis, ab Odone ſuper regno motis, pependit etiam cauſſa Lotharingica, atque *inde concertatio regibus Carolorum* (Carolingorum, deſcribit *Urſpergenſis*) *& Orientalium Francorum ſuper regno Lotharii fuit*, ut ipſis *Witichindi* verbis utamur. *Ob quod Henricus Rex* (continuamus verba Witichindi) *movit caſtra contra Carolum, ejusque ſæpius fudit exercitum. juvitque virum fortem fortuna.* Exceperunt enim nova captivitatis mala Carolum, moveruntque generoſum Henrici animum, ut armis abſtinendum, & arte potius, adverſus doloſos rebusque novis ſtudentes Lotharingos utendum ſibi exiſtimaret. Ita in manus ejus traditur Giſelbertus, qui patri in principatu regionis ſucceſſerat. Hujus indole lætatus Henricus, ex captivo generum fecit, eoque vinculo Lotharingiam ſibi adſcivit. Hæc *Witichindus* in cumulum colligit, partienda temporibus & momentis actionum, juxta ſcriptorum, quos nominavi, narrationem. *Frodoardus* enim anno 920. *Carolum* (Gall. R.) *in pago Wormacenſi ſediſſe contra Henricum Principem Tranſrenenſem*; annoque inſequenti (921.) *bis cum Henrico pacem firmaſſe*; rurſus anno 922. *regnum Lotharienſe ob perſecutionem Gisleberti & Ottonis vaſtaſſe*, refert. Anno proximo (923.) *Rotbertus in regnum Lotharienſe proficiſcitur, locuturus cum Heinrico, qui obviam venit in pagum Ribuarium ſuper fluvium Ruram, ubi ſe invicem paverunt, & pacta amicitia, datisque ab alterutro muneribus diſceſſerunt.* Hac pactione Lotharienſes quoque Rotberti antea pro Carolo hoſtes, inducias fecerunt cum Roberto; ſed parum ſervarunt. quæ res exitium attulit Roberto, ſicut diximus. Supererat filius Rudberti Hugo, in cujus gratiam Heribertus Virmanduorum Comes Carolum Regem dolo captum cuſtodiæ mandat, quaſi Normannos contra cives ſuos accivisſet. Hæc res effecit, ut Lotharienſes novorum conſiliorum parum obliti ad Rudolfum Burgundiæ re-

gem reſpicerent. Hujus acciti armis Epiſcopus Metenſis Wigericus (Witgerum alii vocant & Widricum) caſtrum *in pago Eliſatia, nomine Zabrenam*, ut *Frodoardi* verba habent, evertit; fruſtra vocato ab obſeſſis Heinrico Rege in auxilium. Anno 925. *Heinrico cuncti ſe Lotharienſes committunt*, inquit *idem Hiſtoricus*. Verum, cum ipſi inter ſe nobiles in Lotharingia diſſiderent, ann. 926. *Ebrardus Transrhenenſis in regnum Lotharii mittitur ab Heinrico, juſtitiam faciendi cauſſa, & Lotharienſes inter ſe pace conſociat*. In-
927. terea cum Henricus, caſum Caroli graviter ferret, *Heribertus Comes per legatos & munera & colloquia conciliat* eum; *Carolumq; in ſpeciem*
928. *liberat*. Exortis ſubinde novis controverſiis, *Heinricus Germanicus Princeps cum multitudine Germanorum Rhenum tranſiit; & ſupra Moſam veniens, obſidet quoddam caſtrum Boſonis Comitis nomine Durofoſtum, pro eo quod Boſo ad legem venire nolebat de quibusdam abbatiis & terra Epiſcopii, quam poteſtatis auctoritate ceperat, & pertinaciter Heinrici præcepta ſpernens, detinebat. Mittensque ad Boſonem pacem ſpondet, ſi ad ſe veniat. Qui acceptis obſidibus pacto ſecuritatis ab Henrico, venit ad eum, eique fidelitatem, & pacem regno juramento promittit, terram quam vi ceperat reddit, data ſibi alia recompenſationis gratia: pacaturque tam ipſe, quàm Regenarius cum Gisleberto, & cæteris Lotharienſibus. Hugo & Heribertus ad Henricum colloquii cauſſa proficiſcuntur*. Sed mox nudatur prior voluntas, redacto iterum in cuſtodiam Carolo Rege. Anno inſe-
929. quente, *Boſo*, de quo dictum, Rudolfi regis frater, *ad Heinricum profectus pacem publice jurare compellitur*. Eodem anno Carolus Simplex deceſſit. Ita quidem *Frodoardus*; quem hactenus non ſine cauſa exſcribimus. *Supplementum Reginonis* anno 823. ea annotat, quæ *Frodoardus* citerius poſuiſſe videtur. Verba ſunt: *Carolus Alſatiam & partes illas Franciæ juxta Rhenum usque Moguntiam ſibi uſurpaturus, usque Patennichheym villam juxta Wormatiam hoſtiliter pervenit. Unde fidelibus Regis Heinrichi Wormatia coadunatis, aliter quam decuerat regem, aufugit. Eodem anno Heinricus Rex, adjunctis ſibi Rutgero archiepiſcopo* (Trevitorum) *Giſalberto Duce, Metenſem urbem obſedit, & Witgerum licet diu re-*
922. *luctantem ſibi obedire coëgit*. Hic *Sigebertus*, anno priore interponit rem à multis hactenus addubitatam: quaſi Carolus Rex victo Lotharienſium ope ad Sueſſionum urbem Roberto, *& ſe &*

Fran-

Franciam Heinrico Regi ſubmiſerit, eique in fœdus perpetui fœderis & amoris miſerit manum pretioſi martyris Dionyſii Pariſienſis, auro gemmiſque incluſam. Cum his verbis conferenda eſt oratio Legati, quem Carolus ad Heinricum cum illo munere manus Dionyſianæ miſerat, apud *Witichindum*, *Urſpergenſi* quoque deſcriptum. Ibi enim de Carolo, jam non ut rege, ſed ad privatam ſortem redacto, ſermo eſt. Ergo, quod de Francia Henrico Regi ſubmiſſa dicitur, non aliam vim habere poteſt, quam ut accipiatur, de implorante Henrici auxilium, regnumque Galliæ oſtentante, quod è manu invaſorum ille vindicare, ſuoque arbitrio conſtituere poſſet. Quo pacto nihil jam in re abſurdi, aut ad fidem parum idonei. Sed præmittenda eſſet hiſtoria colloquii, quod *Sigebertus* anno 923. *Continuator Reginonis* 924. collocant. *Illius* verba ſunt: *Reges Henricus & Carolus apud Hunnam confœderantur, Carolusque reddit Henrico regi regnum Lotharingiæ, epiſcopis & comitibus, utrinque jurando rem confirmantibus.* In *Supplem. Regin.* hæc leguntur: *Carolus & Heinricus Reges apud Bonnam caſtellum conveniunt, & pacem inter ſe facientes, fœdus ineunt: & Carolus nunquam ſibi amplius Lotharienſe regnum uſurpaturum promittens, regreditur.* additur nota temporis quam deſignavi: *Eodem anno ab Heriberto comprehenſus, in cuſtodiam mittitur.* Facit hujus conventionis mentionem *Otto Friſingenſis*: ubi, *lib. 6. c. 18.* præmiſsâ controverſia, quam Henricus cum Carolo de Gallia Belgica habuit, iſta ſubjiciuntur: *Itaque dum Henricus cis Rhenum regnaret, & de Belgica cum Carolo diſceptaret, ex voluntate amborum, ad hujus litis ſcrupulum decidendum, die in oppido Bunnæ conſtituta, Belgica Henrico ceſſit; ac Carolo Celtica tantum & Aquitania, parsque Lugdunenſis, Burgundia Regem per ſe habente, remanſit: & ſic regnum quod Francorum dicitur, ex paterna hæreditate Belgicam Galliam, cum palatio Aquis, & majori parte Franciæ perdidit.* Ex Junioribus *Aventinus* ſic habet: *Poſt hæc Carolus & Hainricus, Confluentiæ primo, deinde Bonnæ conveniunt, amicitiam jurejurando confirmant.* *lib. 4.* *Carolus Germaniis, tota orientali Francia excidit; neque poſthac ad noſtrum uſque ſæculum ſub unius ditionem coiere Galliæ atque Germaniæ regna: quamvis iſtuc ſumma ope ſuperiore anno* (1519.) *Franciſcus occidentalis Franciæ Rex (dum competitor Romani Imperii, atque candidatus, Carolo Belgico atque Norico fuit) ſtuduit efficere, id quod antehac quidem ſæpius factitatum fuiſſe, & hinc uſque ad Imp.*

Heinricum ſecundum pronepotem Arnulphi ex filia, tentatum fuiſſe reperio. Iverunt imo, ipſa temporis ſucceſſione, magis magisque in diverſum mores, propoſita, ſtudia utriusque populi: ſuffecitque ſibi & ſufficiet per omnia fortuna Germaniæ, ſi concordiam amare poteſt. *Nauclerus* plus ultra producit vim pactionis Bonnenſis, ſubjecta hac ἐπικρίσει. *Sic Henricus Lotharingiam cum tota Teutonia, Burgundia comitatu & Arelatenſium Regno, Romano univit Imperio.* Sed hæc quidem gloria Ottoni Magno reſervabitur. Interea huc accommodari liceat, quæ *Frodoardus* (ann. 928.) habet, ut ante vidimus, de vindicata Heinrico Boſonis Comitis rapina. Quem Boſonem partem fraternæ ditionis in adminiſtranda Burgundia tenuiſſe, *Pontus Heuterus* annotat. cetera vide apud *Cl. Conring. de Fin. cap.* 12. Illum Boſonem in pactione cum Heinrico, aliquo uſque ſe obligaſſe, argumento ſunt verba *Frodoardi* ad ann. 931. *Boſo relicto Heinrico ad Rodulfum regem vadit. Gall. Reg. ſc.* Sed ad Lotharingiam revertendum eſt. de qua *Reginonis Supplem.* anno 925. *Heinrico rege coadunatum & conſtabilitum Lotharienſe regnum ideo* (ſc. propter pactionem antegreſſam) *in ſua poteſtate habente, Carolus Rex in cuſtodia qua tenebatur, obiit.* Mortem ejus *Sigebertus* anno 926. recitat, annoque inſequente, Lotharingos hac occaſione Heinrico rebellaſſe, ac tum demum Giſelbertum (Gigebertum) dolo interceptum, Heinrico traditum, & affinitate paceque obligatum, refert.

Generat. 31.

lib. 1. *rer. Burg.*

In Gallia ipſa, extincto Carolo, Rudolphus jam antea poſt Roberti mortem contra Carolum ex Burgundiæ Duce Rex creatus, diſſidiis Hugonis & Heriberti Comitum (quorum ille filius, hic gener Roberti fuit) componendis animum adjecit. *Frodoardus* ad ann. 930. *Diverſi motus agitantur Tullorum per Franciam inter Hugonem & Heribertum. Rodulfus rex in Franciam veniens, pacem inter eos atque Boſonem multo labore per diverſa Placita componit.* His diſcordiis etiam Henricus Imperator immixtus eſt, teſte eodem *Frodoardo*, anno 931. *Heribertus Comes ad Heinricum proficiſcitur, eique ſeſe committit, & exercitus Regis atque Hugonis Laudunenſem & Remenſem pagum deprædantur. Rodulfus rex pergens ad Atiniacum, Hugonem ad Heinricum mittit, à quo Heinricus acceptis obſidibus, & pacta ſecuritate, trans Rhenum recedit.* Anno 932. *Heribertus iterum trans Rhenum ad Heinricum profectus eſt.* Biennio poſt (anno ſcilicet 935.) *Rodulfus Gotfridum trans Rhenum ad Heinricum direxit.* — —

Deinde

Deinde (Rod. R.) *locutus cum Miſſis Heinrici ad ejus properat colloquium. ubi etiam Rodulfus Rex Jurenſis* (nota diſtinctionem inter hos duos Rodulfos, quorum unus in Galliam, alter in Italiam ad regnum vocatus eſt ; confundentibus pleriſque in unum duos) *interfuit. Pactaque inter ipſos amicitia, etiam Herbertum cum Hugone pacarunt, redditis quibusdam ſuis eidem Heriberto poſſeſſionibus. Sed & Henricus Boſone recepto, terram quam prius habuerat, ei ex magna parte reſtituit.* Hæc ex *Frodoardo* (cui, quantum ad reconciliationem Heriberti ſ. Hiriberti cum Rodulfo, Henrici opera factam, addi debet *Witichindus prope finem lib.* 1.) eo diligentius fuerunt repetenda, quo propius res Heinrici attingunt, nec à Gallis ſcriptoribus *Joanne Serrano, Paulo Æmylio, Jo. Tilio* explicantur. Satis autem, opinor, hinc intelligitur Heinrici, in pacandis vicinis etiam gentibus ſingulare ſtudium, & penetrabilis auctoritas. Galliæ porro his temporibus adhuc moleſta fuit tributi Nortmannici neceſſitas. *Frodoardus* anno 924. *Exactio fit per Franciam pecuniæ collatione, qua Nordmannis pacto pacis daretur.* Item anno 926. *Ex[illegible] pecunia collatitia Nordmannis pacto pacis dandæ publice fit per Franciam atque Burgundiam.* Quo minus & Hungari Franciam ingrederentur, virtuti Rodulfi Burgundiæ Regis & Hugonis Viennenſis debetur, qui eos repulerunt. Gothiam tamen vaſtantes morbus ulciſci cœpit, notante eodem *Frodoardo.*

Italiæ res, Germanicis minus per hæc tempora permixtæ ſuo poſtea loco attingentur.

Nunc enim potius eſt, ut noſcamus, quantum conſilii, virtutis, operis ad inſtaurandam & ex bellis civilibus recreandam, paceque perornandam Germaniam Heinricus attulerit. Ordiamur à *Diſciplina* & *Legibus.* Et ipſas quidem legum conceptas voces, parce ad nos transmiſit hiſtoria. In hunc cenſum *Goldaſtus* refert conſtitu- *tom. 3. con-*
tionem, qua *Primogenito cuilibet, qui Curiæ Principis contra hoſtes* *ſtit.*
in neceſſitate ſerviverit, defuncti parentis veſtes & arneſia (**Harniſch**) *quaſi ex quodam prælegato, decernuntur.* Repetit cum quadam explicatione *Gobelinus : Et mandavit, quod ſenior inter fratres quoſcunq; deberet eſſe in exercitu regis, & propter hoc ipſe tolleret patris exuvias, inter quas arma maxime reputabantur. Et inde vulgo* **Herewede** *adhuc nominantur.* Ceteras leges ita colligit *Goldaſtus : Ju-* *tom. 1. con-*
bemus ex militibus qui in villis ſunt, nonum quemque in oppidis collo *ſtit.*

 cari;

cari; cui reliqui agrum colendo victum quærant: nonus tertiam omnium frugum partem conditam aſſervet, ſuisque ſociis intra muros, horrea & domicilia extruat; ſed vice cæterorum ipſe, quoties opus erit, militet, & pro patria pericula ſuſcipiat, aliis domi ſervantibus. Hujus inſtituti commoda hæc ſunt, primum, ut propter incurſiones perpetuas, agris ſpoliatis, non ſit timenda penuria: deinde ut in urbibus miles ne deficiat, quæ bellis jam pluribus exhauſtæ habitatoribus ſunt. 2. Suburbia jubemus eſſe nulla, aut exigua: ruri caſas raras & exiles. 3. Conventus ſollennes volumus tantum eſſe in oppidis; quales ſunt dierum feſtorum, nuptiarum, encæniorum, mercatuum: ut ea ratione oppidorum incrementa fiant: quæ aut diruta refici, aut minus firma præcipimus muniri. 4. E fratribus natu maximum militare volumus, ut homines certos & exercitatos habeat. 5. Cives itaque faciendo opere quotidiano in pace diſcant eas artes, quibus neceſſitate compulſi, ad ſui incolumitatem utantur. Diſciplina enim & labor magnum adferunt ad virtutem momentum. Facile ex ipſa recitatione apparet, hæc non concepta eſſe ſtilo & verbis ſeculi, de quo agimus. Unde autem hauſerit, formaveritque *Goldaſtus*, nunc amplius exponendum eſt. *Witichindus* ergo ita commemorat: *Henricus Rex accepta pace ab Ungaris ad novem annos* (nota occaſionem legislationis, ex induciis) *quanta prudentia vigilaverit in munienda patria, & in expugnando barbaras nationes, ſupra noſtram eſt virtutem edicere, licet omnimodis non oporteat taceri.* His quoque verbis, non tam facunde quàm prudenter exprimit ſcopum legislationis, in defendenda patria, & oppugnandis hoſtibus. Hæ enim bellicæ opes arteſque niſi adſint, fruſtra pax amatur aut cuſtoditur. Sed pergit: *Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque eligens, in urbibus habitare fecit, ut ceteris confamiliaribus ſuis octo habitacula extrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet, ſervaretque. Cæteri verò octo ſeminarent & meterent, frugeſque colligerent nono, & ſuis eas locis reconderent. Concilia & omnes conventus atque convivia in urbibus voluit celebrari: in quibus exſtruendis die noctuque operam dabant, quatenus in pace diſcerent, quid contra hoſtes in neceſſitate facere debuiſſent. Vilia autem nulla extra urbes fuere mœnia.* Hæc poſtrema verba, quam gloſſam nacta ſint, ex allatis ante patet. *Urſpergenſis* more ſuo deſcribens Witichindum, ita legit: *Vilia aut nulla extra urbes erant munia.* id quod rectius putat *Meibomius.*

lib. 1.

quippe

quippe de ſtudio urbium amplificandarum & ornandarum ſermo erat. cui fini etiam inſerviebant, potiſſima munia civilia in urbes traducta, iisque quaſi alligata. Hic locus interim inter præcipuos eſt, ut arbitror, qui de urbibus Germanicis muniri cœptis loquitur. etiamſi enim verba Scriptoris non adeo accurate caperemus, ipſius tamen propoſiti ratio talis eſt, ut ſine munitione urbium non videatur obtineri potuiſſe. Quamquam nihil hic velim pronuntiare; neque neſciam aliter quoq; explicari iſta accipiq; poſſe. Addamus Witichindo *Sigebertum* anno 925, *Rex Henricus agrarios milites recenſens*, (ſubaudi *conſtituit*) *ut octo eorum in agris, nonus vero in urbe moraretur, ut octo in agris, & ſibi & nono laborarent, nonus vero in urbe tertiam partem omnium Frugum illorum reſervaret in ædibus à ſe ad hoc extructis, ut in bello nihil alicui eorum deeſſet, urbesque rebus & viris plenæ eſſent.* Idem *Sigebertus* aliud quoque Heinrici inventum memorat, anno 922. *Rex Henricus, quoscunque fures aut latrones, aut ſicarios manu fortes & bellis aptos eſſe videbat, indulta eis venia agros & arma dabat, & legionem ex eis faciens ad debellandos barbaros exponebat, edicens omnino ut civibus parcerent tantummodo.* Non ſatis quidem decore videantur tanti Principis tam ſpecioſæ militiæ interſeri, *manipuli furum*: ſi præſertim cogitemus, antiquis ne ſervos quidem aut gladiatores, niſi deformia & neceſſaria inter auxilia, admiſſos eſſe. Sed magna ratio movit Henricum, ut latrociniis, quæ per ſupplicia numeroſa coërceri arduum erat, leniori pariter & publice utiliori remedio obviam iret. Notanter *Supplementum Reginonis* de Henrico: *Initium ſui regni diſciplina ſervandæ pacis inchoavit. multi enim illis temporibus, etiam nobiles, latrociniis inſudabant.* Ita bello prudenter adhibiti, qui pacem turbabant: in tanto præſertim à numeroſiſſimis & exitialibus hoſtibus periculo. Quo rerum ſtatu ne ſeveri quidem Veterum duces dubitabant, vilitatem & improbitatem hominum ad præclare factorum laudem traducere. Seorſum tamen haberi, conſultum erat, donec dedecus induſtria extinguerent; & ut demto pœnæ titulo litura tamen extaret; denique, ut æmulatio virtutis, in ſegregatis conſpectior eſſet. Illuſtre quoque ſpecimen bonarum legum & diſciplinæ militaris, eſt in illa celeritate congregandi exercitus, quam *Liuthprandus* laudat, quando validiſſimum contra Hungaros exercitum, per quatriduum collectum refert. convocabantur, propoſita capitis pœna. additque,

920. *lib. 2. cap. 8.*

ditque, quod ad leges etiam militares pertinet, *Hiſtoricus: Eſt enim Saxonum mos laudandus atque imitandus, quatenus annum poſt unum atque duodecimum nemini militum bello deeſſe contingat.* Pars diſciplinæ & illa fuit, quod ante expeditionem, itemque ante prælium, multitudo *jurejurando renovabat fidem*; dextris de more in cælum levatis. Ante expeditionem, exemplum in bello Hungarico poſtremo ponit *Witichindus*; ante prælium, in bello Rhedarico, ubi *ſigno dato, ſacramentoq; accepto, primum Ducibus, deinde unusquiſque alteri operam ſuam ſub juramento promittebat ad præſens bellum.*

Jam illud, quam eximium, nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, quod *ordinata æqualiter acie* Henrici milites in hoſtem procurrerunt, ita *ut nemo velociori equo tranſierit tardiorem*; quod impreſſio, poſt exceptas ſcutis ſagittas, tempeſtivo & vehementi impetu facta eſt. apud *Liuthprandum lib. 2. cap. 9.* Facit ibi etiam mentionem teſſeræ præliaris, quæ ex parte Henrici fuit, vox Κύριε, ſ. ut integre deſcribit *Urſpergenſis*, *Kyrieeleiſon.* Ex Hungarorum parte, *Hui, Hui*, excitandi, ut puto, ſignificatu.

Goldaſtus porro in *Conſtitutionum* numero refert illam orationem Heinrici, qua Arnulfum Bavarum pacavit, formatam ex *Liuthprando* & aliis, ſtilo *Aventini.* neque *Reſcriptum* illud apud Hiſtoricos, ſed oratio colloquentis notatur. quamquam, quæ Arnulpho conceſſa ſunt illâ oratione, non dubitandum eſt, quin in ſcripturam quoque relata ſint; cujus tamen formula ad nos non pervenit.

Unica occurrit, puto, formalis ſcriptura, diploma illud Henrici noſtri, quod inter Ottonis M. diplomata edidit *Henr. Meibomius*, de quadam commutatione facta inter Unnonem Hamburgenſem archiepiſcopum, & quendam nobilem virum Willarium, permittente Imperatore Henrico. Subſcribitur annus 935. & appellatur Henrici Regis 17. quod adjiciendum eſt Chronologiæ ab initio notatæ, ut conjectura inde fiat de veriore calculo: quamquam haud raro corrumpuntur in deſcribendo numeri.

Plane autem ſuppoſititium eſt, quod *Goldaſtus* addit diploma, continens *ſtatuta & privilegia ludorum equeſtrium*, *ſive haſtiludiorum*, quæ & *Torneamenta*, vocant, auctoremque Henricum citant. Sed bene factum, quod *Goldaſtus* ipſe alibi, in dubium vocat fidem *Ruexneri ſeu Rixneri*, quo uno teſte hæc opinio invaluit. Atque, ne de *Douſa Annalibus Hollandicis*, aliisque ſcriptoribus dicam, qui idem

In Rationali.

idem viderunt notaruntque in libro Torneamentorum (**Ruxners Thurnierbuch**) magnum argumentum à ſilentio Hiſtoricorum ejus ævi petitur. Dicit quidem *Witichindus*, Henricum *in exercitiis ludi tanta eminentia ſuperaſſe omnes, ut terrorem ceteris oſtentaret:* de formula autem & legibus ludorum, itemque de genere & modo exercendi, nihil reperitur. Jam quantum diſcrepat annotatio temporis? *Rixnerus* annum 939, alii 938, *Cuſpinianus* 940. natalibus harum legum deputant, manifeſto errore, poſt Henrici obitum. quod cum nonnemo videret, 935. poſuit. fruſtra, ubi deficimur monumentorum fide. Rectius *Aventinus*, diligentiſſimus aliàs inveſtigator antiquitatis patriæ, rem confictam, prætereundo damnavit. *lib. 8.*

Deſiderantur autem reliquæ leges, quibus tum civilia tum eccleſiaſtica ordinavit. Cum enim ante prælium Mersburgenſe cum Hungaris, votum feciſſet Henricus *de extirpanda Simoniaca hæreſi*, teſte *Liuthprando*; quis dubitet, legibus poſtea huic negotio proſpectum eſſe? cumque poſt victoriam, divino cultui & pauperibus deſtinaſſet, quod hoſtibus tributi nomine datum, & tunc repetitum erat, quin lege comprehenſa ſint omnia, nemo ambigat. cujus generis plura occurrunt. *lib. 2. cap. 8.* *Witichind. lib. 1.*

Tot præclare ab ipſo per omnem vitam conſtituta, inſigni clauſula nobilitantur, quando *Lege ſucceſſionis*, (nunquam hactenus, niſi defectu prolis, ac ne tum quidem, ita ſopitâ, quin Regi mortem meditanti jus nominandi ſucceſſoris vindicaretur, ſicut in Conrado vidimus) filium Ottonem ſucceſſorem conſtituit. adhibita eſt duplex ſolennitas *Comitiorum*, & *Teſtamenti*. De illis *Witichindus fine Annalis primi: Cum ſe jam gravari morbo ſenſiſſet, convocato omni populo, deſignavit filium ſuum Oddonem Regem; Cæteris quoq; filiis prædia cum theſauris diſtribuens: ipſum vero Oddonem, qui maximus & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit.* Sequitur de *Teſtamento*, quo hæc omnia firmata ſunt. *Liuthprandus* prudentiæ nomine hoc factum laudat: quod nimirum potiſſimum ſucceſſorem conſtituerit, *licet in imperio non natus eſſet*, ſicut *Urſpergenſis* inter deſcribendum explicat. qua de re, in Ottone aliquid dicendum erit. *lib. 4. cap. 7.*

De *Comitiis* ceteris ab Henrico celebratis, non multa ſunt, quæ poſſunt annotari. *Prima* fuerunt, quibus in verba ejus, à Conrado jam Regis deſignati, juratum eſt; ſine unctionis cærimonia,

ut diximus. nam quod aliqui Scriptores Regem *unctum* dicunt, minus accurate loquuntur *creandi* notione. Inprimis nobilia fuere Comitia, *Witichindo* deſcripta, quibus Henricus *de bello Hungarico conſultavit.* Hungari quàm fuerint hactenus Germaniæ graves & terribiles, in ſuperioribus annis oſtendimus. Res indigna! Germanus late victor, ab iſtis barbaris ſuam pacem tributo redimere cogebatur. Henricus imperium adeptus, cum exhauſtas populorum & attritas prioribus bellis vires, nec domi omnia ſatis ſecura, animadverteret, non potuit ſtatim ulciſci exitiales hoſtes, aut clades Germaniæ undique prævertere, donec capto nobili Hungarorum Principe, pro quo multum auri offerebatur, induciarum in novem annos pactione, feſſis rebus conſuluit. Hoc enim tempore, in exercendis ad arma militibus, in condocefaciendo equitatu, omnique militari apparatu, ſicut vidimus paulo ante, nihil ad ſummam induſtriam reliqui fecit. Inſtauratis ad hunc modum viribus, cum induciarum finis appeteret, coacto ſuæ gentis concilio, demonſtravit, quantum ad id temporis Hungarica tributa exhauſiſſent: nihil jam, præter templorum opes, & Deo dicatos theſauros ſupereſſe, teſtatur. illisne exſatiare inimicorum Dei avaritiam, an Deum in raptores adjutorem ſperare, conſultius eſſet, eligere juſſit. Perſpecta omnium promta voluntate, bellum in Hungaros decernitur, & jurejurando firmatur.

Secuta eſt prudentiam fortuna, depulſo à Germania Hungarorum terrore, quo tot per annos contremuerat.

Utut autem bello maximus fuerit Henricus, non minoris tamen ſunt, quibus paci ſtuduit, conſilia. Amicitiis itaque domi foriſque, demerendiſque hominum animis unice invigilavit. Vividos præſertim & generoſos ſuorum animos non contundere ac deprimere, ſed liberalitate, officiis, honoribus retinere in animum
Lib. 1. induxit. *Cumque eſſet in exaltando gentem ſuam* (verba *Witichindi* refero) *rarus fuit, aut nullus* illuſtrium *virorum in omni Saxonia, quem præclaro munere aut officio, vel aliqua quæſtura non promoveret.* De Arnulphi, & Giſelberti affinitatibus, huic propoſito accommodatis, ſupra dictum eſt. *Unde & aliorum regnorum proceres* (iterum *Witichindus*) *eum adierunt, gratiamque in conſpectu ejus invenire quærentes, fidem talis ac tanti viri probatam habentes dilexerunt.* — — *Ipſe enim rex talis erat, qui nihil negaret amicis,*

Qua-

Quare non minimus labor fuit, quem in pacanda Gallia, ut ante tetigimus, ſumſit. *Supplem. Reginonis*, præter adducta teſtimonia, ad ann. 931: *Rex* (Henricus) *ab Eberhardo aliisque Franciæ Comitibus ſeu epiſcopis in Franciam vocatus, ſingillatim ab unoquoq; eorum in domibus ſuis, vel eccleſiarum ſedibus regem decentibus, eſt conviviis & muneribus honoratus* 932. Regem autem Angliæ Æthelſtanum, multa tum claritudine, & potentiæ fama, affinitate ſibi rebusque Germanicis conciliavit, duabus ejus ſororibus accitis: quarum alteram filio ſuo Ottoni, alteram cuidam Duci juxta Alpes in matrimonium dedit.

an? Heriberto.

Continuat. Hiſt. Eccleſ. Bed. lib. 2.

Majeſtatem imperii, etiam externis rebus, & ad opinionem vulgi facientibus, eminere voluit: quamquam, ut erat captus ſæculi, non minimum ex ſuperſtitione interdum hæc talia traherent. Hinc illa, de manu Dionyſii martyris, veluti fatali pignore imperii, miſſa receptaque: &, cujus hac occaſione mentio fit, de Vito, Saxoniæ poſt tranſlationem è Galliis patrono & inſtauratore. *Lanceam* autem (inquit *Sigebertus*) *mirandi operis, & clavis Jeſu Chriſti crucifixi ſanctificatam, quæ dicitur primi & Magni Conſtantini Imperatoris fuiſſe, donatam Rodulpho Regi Burgundionum & Italiæ, à Samſone Comite, Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte provinciæ Suevorum, à Rodulpho Comite extorquet, & hanc ad inſigne & tutamen imperii poſteris relinquit.* Latius deſcribit rem *Liuthprandus lib. 4. cap. 12.* illis ipſis verbis, quæ ex rebus geſtis S. Gerardi *Baronius* adfert. Magnificam etiam ſpeciem habuit *Angelus* (*hoc enim vocabulo effigieque ſignum maximum erat inſignitum*, ait *Witichindus*) ante Henricum tota volitantem acie, geſtari ſolitus.

Witich.

ad an. 929.

920. 5.

Excerpta de rebus geſtis.

Contra Hungaros duo valde illuſtria Henrici & felicia prælia memorat Hiſtoria; primum apud Merſeburgum, quod *Sigebertus* ponit anno 922. & diligentius deſcribit *Liuthprandus lib. 2. cap. 8. & 9*; alterum finitis induciis, quod a *Sigeberto* refertur in annum 934; à *Frodoardo* in 933. (qui & 36000. cæſos, præter captos & fluvio merſos, numerat) & à *Witichindo* accuratius commemoratur. Prioris prælii memoriam, Merſeburgi pictura deſignatā, *Liuthprandus* auctor eſt. Antequam ad poſterius prælium veniretur, Hungaro-

rum legatis tributum petentibus, datum ab Henrico canem villaticum, auribus & cauda mutilum, ſcabie ſordidum, *Aventinus* narrat. *Witichindus* Dalamancis ſimile factum, aliter tamen deſcriptum, tribuit. *Hungari*, inquit, *iter agentes per Dalamantiam, ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero ſcientes eos feſtinare ad Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis paratos, pinguiſſimum pro munere eis projiciunt canem.* Addunt alii interpretationem: ut pingui cane ſatiarentur, qui macro Henrici noluiſſent acquieſcere. Votum Henrici de Simoniaca hæreſi, *Liuthprandus* ante prælium prius, *Aventinus* ante poſterius collocant. vid. *Alb. Crantzii Saxon. lib.* 3. *cap.* 8. & *Megiſer. Annal. Carinth. lib.* 6. *cap.* 84. De cetero, chronologia incurſionum Hungaricarum, valde diſcrepat. *Albertus Stadenſis* anno 921, cis & trans Rhenum, vaſtatas Hungaris provincias, nominatim Saxoniam, Lotharingiam & Franciam, refert. *Reginonis Supplem.* anno 924. *Hungari orientalem Franciam vaſtaverunt.* Et anno 926. *Hungari totam Franciam, Alſatiam, Galliam, & Alemanniam, igne & gladio vaſtaverunt.* Anno 933: *Hungari per orientales Francos & in Alemannia multis civitatibus igne & gladio conſumtis, juxta Wormatiam Rheno tranſito, usque ad mare Oceanum Galliam devaſtantes, per Italiam redierunt.* Hæc, cum prioribus quomodo convenire poſſint, diſpiciendum eſt.

Witichindus, in tempus induciarum cum Hungaris, refert bella Henrici, *cum Hevellis* (Slavorum populus eſt ad Havelam ſ. Habolam fl. Marchiæ) ubi urbem Brennaburg ceperit: inde, *cum Dalmancis*, ubi urbem Gronam ceperit (quæ & Grava & Gana & Rietni & Kieſni ſcribitur) *cum Bohemis*, quos tributarios fecerit: *cum Rhedariis* rebellibus (qui & Riaduri & Tolenzi, Stetinenſium fines inter Parum & Viadrum incolere putantur) quos Bernardus cum Thiotmaro ſ. Ditmaro ingenti ſtrage ceciderint. *Sigebertus* itidem in tempus induciarum iſta confert, & chronologiam ita ordinat: anno 915, *Rex Henricus urbem Sclavorum Brennaburch capit, & victis Sclavis tributum imponit.* 928. *Rex Henricus Gana urbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit.* 930. *Wenzeslaus Princeps Boëmiæ à rege Henrico in Praga urbe obſeſſus, ſe & urbem regi dedit, & impoſitam Boëmiæ multam tributi pecuniam ſolvit.* 931. *Redarii usque ad ducenta millia hominum conſpirantes contra Henricum regem rebellant, & regnum ejus graviter infeſtant, & vicinas*

gentes

gentes ad rebellandum animant, ſed à ducibus regis Bernhardo & Thiotmaro gravi bello victi omnes pene moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur. Et hoc facto vicinæ gentes à rebellione deterrentur. Addit his *Sigebertus* anno 935: *Rex Henricus Danos, qui per piraticam Friſones incurſabant, vincit, & tributarios facit, & Chiupiam regem eorum baptizari fecit.* Supplementum *Reginonis* anno 931: *Henricus Rex Regem Abotridorum* (qui & Obotriti terram Megapolenſem poſſediſſe putantur) *& Regem Danorum efficit Chriſtianos.* Witichindus ita narrat: *Cum autem omnes in circuitu nationes ſubjeciſſet*(Henricus)*Danos, qui navali latrocinio Freſones incurſabant, cum exercitu adiit, vicitq́; & tributarios faciens regem eorum nomine Nubam baptiſmum percipere fecit.* Negat *Iſacius Pontanus* de tributo; nomenque regis ignotum Danicis annalibus, in *Gormonis* vocabulum aut *Haraldi* mutari poſſe, non abſurdum putat. Fatetur de armis Henrici Regis in Danos expeditis, conſtitutaque Sleſuici Saxonum coloniâ. *Meibomius* mavult cum *Ubbone Emmio* de parte Jutarum, & Principe eorum aut regio præfecto, accipere. *Supplem. Reginonis* anno 934. aliam quoque Henrici victoriam ponit: *Heinricus eodem anno* (quo Hungaros ſcilicet poſtremùm vicerat) *Sclavos qui Uncrani vocantur, hoſtiliter invaſit & vicit, ſibique tributarios fecit. Witichindus lib. 3.* vocat *Uchros.* Sunt autem *Ucri* Henetorum pars, unde Marchia Vcrana adhuc hodie nomen retinet.

Hiſt. Dan. lib. 5.

not. ad Witichind.

In Conſtantinopolitano Imperio

CONSTANTINVS VIII. adhuc rerum potitur.

Externa Imperia atq́; dominationes.

I*Talia*, more ſuo rebus novis ſtudens, variis turbis quatitur. Adverſus Berengarium à factioſis Rodulfus Burgundiæ Rex accitus, 921.
regnum Italiæ bello civili aſſeruit: victo Berengario; & mox, in- 922.
ſidiis Veronenſium, facinore Flamberti cujusdam, occiſo. Potuiſſet 923.
utrumq; malum evitare Berengarius, ſi prudenti diffidentia uſus eſſet. Nunc, dum habendo fidem, aliorum fidem vult obligare, non meminit, malorum animos iis artibus irritari, quibus bonorum mentes devinciuntur. Mors Berengarii, & audita Hungarorum incurſio,
revocavit Rodulfum in Italiam ex Burgundia, quo poſt victoriam 924.
ſe contulerat. Sed, Hungaris quidem idonea clade edita digreſſis,

 Ro-

Rodulfus muliebribus primo armis, ſubinde illecebris excipitur; ſtruente Ermengarda Adelberti Eporediæ Marchionis vidua. Ita Principes Italiæ ad Hugonem Comitem Arelatenſem mittunt; eique contra Rodulfum regnum, quod vivo adhuc Berengario armis fruſtra ambiverat, offerunt. Rodulfus, amiſſo per inſidias, quem in auxilium exciverat, ſocero Burchardo Sueviæ Duce, in Burgundiam regreditur: Hugo autem in regno confirmatur. Hic, ut munitior eſſet, Henricum Aucupem, & Romanum Conſtantinopoli rerum potientem, muneribus & legatis demereri ſtuduit. Inſidias quoque Italorum longe & cavit felicius, & ultus eſt fortius, quam Berengarius fecerat. Romæ tamen pæne deprehenſus, cum propinquorum novis conſpirationibus agitaretur, Rodulfum denuo evocatum ex Burgundia, parte Provinciæ tradita & mox affinitate placavit, filia ejus ſuo filio, quem conſortem imperii aſſumſerat, in matrimonium collocata. Arnulphum Bavarum itidem accitum prælio repulit; reliquosque adverſarios in ordinem redegit. Hic Romanam ditionem ulciſcendæ injuriæ armis afflixit; meruitque tota Italia metui. Hungarorum multoties repetitæ incurſiones Italos monuerunt de arcibus firmis & caſtellis ſtudioſius communiendis, ne tuta deeſſent confugia. Saracenorum quoque, tum ex Africa adventantium; tum ex Fraxineto excurrentium tumultus Italiam vexavit.
931. Hi tamen poſteriores, duce ſuo Sagitta amiſſo ſatis idonea clade multati ſunt. Quæ omnia latius expoſuit præſertim *Liuthprandus, parte libri 2. poſteriore, toto libro tertio, & quarti*
lib.4. *primordio.* Adde Sigon. de *Regno Italiæ lib. 6. Aventinum*, & alios. Illud hoc loco conſideratione dignum eſt, quando *Sigonius*, Romæ mutatâ reip. formam, Alberico conſulari poteſtate Romam regente,
928. repulſo Hugone, ita annotat: *Conſulum renovatum Romæ nomen efficit, ut mutatam ſub hoc tempus Romanam remp. arbitrer. Romani certe regibus, pontificibusque contemtis, novum ſtatum civitatis invexiſſe hac tempeſtate videntur. argumento eſt, quod Ducis, aut magiſtri militum magiſtratus, à quibus, Exarchis & pontificibus civitatem tenentibus, urbs Romana diu eſt gubernata, per hæc tempora celebrari deſiti, ac pro eis præfectus urbis, conſules, & tribuni plebis inducti ſunt, qui decarchonum nomen tulerunt.* Apud Venetos Candianus Dux, *ludos* anniverſarios *Mariarum* inſtituit; ob memoriam raptarum ab Hiſtris, & mox felici excurſione receptarum virginum, v. *Petr. Juſtinian. rer. Ven. lib. 1.* In

In *Hiſpania*, ſi vulgarem chronologiam ſequeremur, *Ramiro* 920.
II. ſuccederet *Ordonius III*, *Ordonius IV.* itemque *Sanctius Craſſus* 925.
ſeu *Pinguis*. Sed, qui accuratius putare videntur, anno 924. *Ordo-* 930.
nii II. mortem ponunt; cui ſucceſſerit Froilla II, à moribus nomen *Crudelis* adeptus, eaque cauſſa extinctus. Poſt interregnum ſub duobus Judicibus, anno altero Alfonſus IV. refertur: qui abdicato regno, *Ramirum II.* nactus eſt ſucceſſorem: qui Froillæ II. 927.
tres filios rebus novis ſtudentes oculis privavit; ut & antea ipſum Alfonſum IV, pœnitentia relicti regni res novantem. *Scriptores rerum Hiſpan.*

In *Anglia* Edvvardo Regi anno 924. ſucceſſit filius *Aethelſtanus*, in annos XVI. Bello felix, domi inimicos, & vicinos æmulos ſubegit: magnam foris gloriam adeptus; quam illuſtres quoque affinitates conſecutæ ſunt. Pietas, & munificentia in Eccleſias ſingularis, nec minùs aliæ virtutes, in eo prædicantur; calamo præſertim *Wilhelmi Malmesburienſis*, *lib.* 2. *de geſt. Reg. Angl. c.* 6. cui adde reliquos ſæpius jam nominatos.

In *Dania*, poſt Frothonem VI, *Saxo Grammaticus*, ponit filium *Gormonem Anglicum* (quod ex Anglia oriundus eſſet, ut ait) *lib.* 9.
deinde *Haraldum*; poſtea alium *Gormonem*. Priores duos omittunt alii, ut bis poſitos. Notat id tantum non expedit *Stephanius*, ἐπικείσει ſubjecta: *quam recte, ipſi viderint*. *Iſacius Pontanus*, *Gor-*
monis Anglici imperium, Stadenſem ſecutus, orditur anno 921, & *lib.* 5. *hiſt.*
in decennium prorogat. Oſor fuit Chriſtiani nominis, niſi quatenus *Dan.*
felicibus Henrici Imperatoris armis conterritus, aditum dedit Unnoni Hamburgenſi Archiepiſcopo, ad propagandam in Dania Chriſtianam religionem. De filii ejus Haraldi prolixo imperio, rectius in ſequentibus agetur.

Apud Suecos *Ericus Victorioſus*, juxta *Giſlonis chronologiam*, usque ad annum 940. regnat.

Eccleſiaſtica.

Pontifici *Johanni X.* (*XI.*) Onuphrius anno 930. ſufficit *Joannem XI*, in annos 4. m. 10. d. 15: *huic* anno 935. *Leonem VI.* in menſes 6. d. 15: ſubinde eodem anno *Stephanum VIII.* (dictum VII.)
in annos 2. m. 1. d. 15. At *Sigonius*, Johanni 928. extincto ſtatim ſub- *lib.* 6. *de re-*
ſtituit *Leonem VI*; & eodem anno mortuo Leone, *Stephanum VII.* *gno Ital.*

anno

anno 930. Stephano mortuo ſubrogat *Joannem XI*, Sergii Pontificis ex Marocia filium; huic autem anno 935. mortuo *Leonem VII. Baronius*, in prioribus cum *Sigonio* congruit; ſed *Stephani* initia refert in annum 929; *Johannis Spurii*, in añum 931: in annum 936, *Leonis VII.* Johanni X. (XI.) *Platina* alium Johannem invaſorem ſedis mox dejectum ſubjungit, qui inter Pontifices numerari non meruerit. Leonem VI. *nil tyrannicum in vita præ ſe tuliſſe*, ait, integre & modeſte viventem, ac rei divinæ conſulentem, *quantum illa tempora, in tam corruptis moribus, patiebantur.* Stephani VII. pontificatus initium ponit eo tempore, quo Henricus apud Mersburgum Hungaros cecidit. Sed chronologia ceterorum parum congruit.

9. *Synodos* memorant *Centuriæ Magdeburgicæ*, *Dingelſingenſem* ex *Aventino* (*lib.* 4.) ab Arnulpho Bavaro celebratam, qua de bonis & reditibus Eccleſiaſticis quædam conſtituta, moresque Clericorum emendati ſunt: *Duisburgenſem* & *Erfurdenſem*. *Frodoardus* anno 921. *Synodum* apud Trosleium in Gallia habitam refert, *cui præſederit Horiveus Archiepiſcopus* Rhemenſis, *præſente Karolo Rege: cujus obtentu Herlebaldus ibi Caſtricenſis abſolutus ſit.*
ad an. 921. *§. ult.* Acta deſiderari, *Baronius* ait. Idem *Frodoardus* anno 927. aliam *Synodum apud Trosleium* memorat, *ubi Herluinus ad pœnitentiam venerit, pro uxore, quam duxerat alia vivente.* Addit, quod *Rodulfus Rex contradixerit Synodo.* Eodem anno *Supplementum Reginonis* ponit *Synodum Duisburgenſem.* Cum enim anno 925. Witgero Epiſcopo Metenſi defuncto, *Benno ex ordinariis Strasburgenſibus, in Alpibus quondam ermiticam vitam ducens, ſucceſſor electus eſſet*, biennio poſt à *Metenſibus excæcatur, & Synodo apud Duisburgenſes habita, omnes illius facti auctores excommunicantur, & Adalbero nobilis pro eo epiſcopus conſtituitur.* Ille Benno, etiam *Benedictus* dicitur. Anno 935. *Frodoardus* narrat *Synodum ap. S. Macram, ſeptem Epiſcoporum; præſidente domino Artaldo Archiepiſcopo, in qua prædones & Eccleſiaſticarum rerum pervaſores ad correctionem venire vocati ſint. Synodum Erfurtenſem Supplementum Reginonis* in hunc modum annotat anno 936: *Synodus apud Erfurd in Thuringia celebratur à compluribus epiſcopis.* Conſentit *Lambertus Schaffnaburgenſis* his verbis: *Magna Synodus fuit in Erphesfurt: Eodem*
ad an. 936. *anno Henricus Rex obiit. Baronius* omittit.

In

In Conſtantinopolitana eccleſia diſſidium hactenus tenuerat, de quartis nuptiis; ex eo tempore quo Leo Zoen, poſt tres conjuges, ex quibus prolem non ſuſceperat, in matrimonium duxit. Super eo negotio, cum alii probarent, alii improbarent, iterationem nuptiarum quarta vice factam, hoc tempore editus eſt *Tomus Unionis*, de quo *Baronius* anno 920. & 921. decretum eſt autem, poſt tertias nuptias, non licere ultra matrimonium contrahere. contra S. literarum auctoritatem, & rationes graviſſimas.

Fabula de ſanguine Chriſti, ſua ſe vanitate prodit. *Hermannus Contractus* anno 923: *Sanguis Domini in Augiam inſulam defertur.* Eodem anno *Marianus Scotus: pretioſiſſimus theſaurus ſanguinis Domini venit in Augiam, 6. Idus Novembris. Forte ille ſanguis qui de imagine Chriſti confluxerat, cum in Beryto civitate à Judæis patiebatur eadem quæ Dominus paſſus eſt ab eis.* Si theſaurus ille aliquid veri habuit, ſi dies, ſi annus, & locus, nominari potuit, unde ergo illud *forte?* etiam apud *Sigebertum*, in loco valde diſcrepantem. ita enim habet: *Sanguis Domini crucifixi venit in Angliam, forte ille ſanguis, qui de imagine domini fluxit, cum ſecundo Dominus in imagine ſua à Judæis priora pateretur.* Qua nota ſciri potuit Chriſti ſanguinem eſſe, ſi ignorabatur, ubi & quando fuſus; ex quo loco, quibus auctoribus translatus? Rectius conſuluerunt famæ ſuæ, qui ſilentio talia prærerierunt.

Cædes Wiboradæ, virginis religioſæ apud S. Galli monaſterium, ab Hungaris occiſæ, ponitur anno 925. *Annales Hepidanni: Wiberat martyrizata eſt.* Vitam ejus ſcripſit *Hepidannus Junior.* *ap. Goldaſt. Alemann. I. part. 2.*

In *Argentoratenſium Epiſcoporum* chronologia non conſentiunt *Guillimannus* & *Wimphelingius*, qui Richuinum ad 934. perveniſſe autumat; cui tempore Ottonis primi (id eſſet ante tempus Ottonis) ſucceſſerit *Ruthardus.* Valde hunc laudat, ab eruditione & moribus. At *Guillimannus* refert finem Richuini & initia Ruthardi ad annum 9?8 Ruthardus ille ab Ottone Imperatore poſtea in bello civili defecit, ab eoque victore in cuſtodiam deſtinatur. quæ omnia latius explicat *Supplementum Reginonis ad ann.* 939: obitumque ejus ponit 950. In Ruthardi vita *Guillimannus* late exequitur, de Præpoſiti Argentinenſis (ſ. Decani) Eberhardi migratione ad cellam eremiticam Meginradi.

Literæ & Eruditi.

ANno 924. Udalricus, nobiliſſimo genere ortus, Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus factus eſt. *cujus vitam* æqualis temporum ejus Anonymus rudi ſermone expoſuit; interpolatam ab aliis, ſed à *Marco Velſero*, citra immutationem, cum notis editam. In Italia *Raherius* (*ſ. Ratherius*) Veronenſis Epiſcopus à rege Hugone *Epiſcopatu pulſus, quia Bajoariis faverat* (Arnoldo ſcilicet adverſus Hugonem accito) *Papia exiliatur, ubi & librum de ſuis ærumnis luculenter edidit. Scripſit & alia multa legentibus utilia.* Sunt hæc verba *Sigeberti ad ann.* 932. Addi poſſunt collecta & citata *Ger. Jo. Voſſio de hiſtor. Lat. lib.* 2. *cap.* 39. ubi etiam *Odonis abbatis Cluniacenſis* opera in hæc tempora conducit: ut &, *hiſtoriam Francicam Conradi Abbatis Benedictini.*

Memorabilia alia.

ANnotabo hic, quam parum ſibi conſtent, quæ de *Lancea ſacra*, non illa Rudolpho Burgundo extorta, ſed altera, tanquam ab Hugone in Gallia regnante miſſa Henrico Imperatori, ex *Geſtis Anglorum* repetit *Baronius.* Præceſſit de *enſe Conſtantini Magni, in quo literis aureis nomen antiqui poſſeſſoris legebatur: in capulo quoq; ſuper craſſas auri laminas clavum ferreum affixum cerneres, unum ex quatuor, quos Judaica perſecutio Dominici corporis aptarat ſupplicio.* Sequitur: *Lanceam Caroli Magni pariter miſit, quam Imperator invictiſſimus contra Sarracenos exercitum ducens, ſi quando in hoſtes vibrabat, nunquam niſi victor abibat. Ferebatur eſſe eadem, quæ Dominico lateri centurionis manu impacta pretioſi vulneris hiatu paradiſum miſeris mortalibus aperuit.* Additur *vexillum Mauritii martyris*, inter munera, quæ Hugo Henrico miſerit. Atqui, ne nunc in cætera inquiramus, hæc omnia totidem iisdemque ipſis verbis deſcripta, Hugonem Francorum Regem Adelſtano Angliæ Regi, inter munera miſiſſe, cum ſororem ejus natu minimam procaretur, refert *Willielmus Malmesburienſis de geſt. Reg. Angl. lib.* 2. *cap.* 6.

ann. 939. §. 5.

Illud quoque non ſine nota dimittendum eſt, quod *Albertus Krantzius in Saxonia ſua* tradit, tempore Henrici *Marchionum* nomen

lib. 3. *cap.* 9.

nomen primum auditum eſſe. Cum enim commemoraſſet, in devictam Wandalorum urbem Brandenburgum, coloniam Saxonum deductam, præfectumque titulo Marchionis impoſitum eſſe, addit: *Inoleverat tum primum marchionum nomen, antea inauditum.* Eadem aſſerit explicatius *in Wandalia: Marchionis vocabulum veteribus incompertum eſt. —— —— In noſtris quoque annalibus nullam ejus verbi legimus mentionem ante primum Henricum Saxonem, Romanorum regem: qui primus domitis Danis ad oppidum Sleſuicum, quum eò tranſtuliſſet Saxonum coloniam, impoſuit regioni præſidem, quem appellavit marchionem: & illi regendos tuendosque regni limites impoſuit provinciam, quaſi duci limitaneo.* Recte interpretatur vocabulum de cuſtodia limitis. ad quam rem eum compendio ducere potuit vox Francica ſeu Teudiſca Marck/ marka; ut non opus eſſet, ad compoſitam Veldmarck confugere. De cetero audiendus non eſt, quantum ad vetuſtatem vocabuli attinet. Nam & in *Annalibus Eginhardi* anno 828. *Marchiones Saxoniæ* cum Comitibus referuntur: loco ſupra producto: & *Hincmarus*, ex *Adalhardi Abbatis Corbeienſis libello*, quo deſcribebatur Ordo Palatii & ſtatus Regni inde à Carolo Magno, §. 30. *Marchiſos* memorat. Ne ad propius remota, itidem in ſuperioribus allata nobis, nunc redeamus.

lib. 3. c. 16.

pag. 82. ap. Andr. du Cheſne tom. 2. pag. 487. & ſeq.

Martinus Cruſius Annal. Suev. part. 2. lib. 3. cap. 9. cum expoſuiſſet induſtriam Henrici in diſciplina militari inſtauranda, tandem adjicit: *Tunc nobilitati fuerunt non pauci, patriciive in civitatibus facti, datis in familiam eorum inſignibus, quorum virtus in bellis enituerat.* Et in margine adjectum eſt: *Patriciorum origo.* Utinam docuiſſet teſtimoniis, quod dicitur: neque totiens neceſſitatem nobis impoſuiſſet dubitandi, conjecturam an hiſtoriam, & hanc quidem quibus monumentis fultam afferat.

An lubet etiam mentionem facere, de conſpectis in Gallia aciebus ſanguineis (anno 930.) & fonte ſanguinis qui Genuæ fluxit 935? Sed hæc *Conradus Lycoſthenes* collegit. Ad Henrici annum extremum referunt etiam, miraculum manus, quæ ferro amputata erat, per ſomnum reſtitutæ, *Sigebertus* & alii.

OTTO, I. MAGNVS.

Annotatio Temporis.

CONqueritur *Paulus Langius Monachus Bozavvienſis in chronico Citizenſi*, de varietate chronologiæ, quantum ad annos hujus Imperatoris. Summa eo redit, quod alii initia imperii ejus referant in annum 936; alii in 937; alii in 938: itemque annos imperii quidam tribuant 36; ceteri, 37. aut 38. Meliorum hæc eſt numeratio: quod imperium ſuſceperit 936. ſexto nonas Julii, vitam depoſuerit 973. nonis Maii.

Elogium.

HEnrici Aucupis ex Mithilde filium Ottonem, nemo eſt quin plenis buccis laudet. Adferemus ipſa Scriptorum verba. Primus eſto, qui non diffitetur ſuam erga viventem Principem reverentiam, *Witichindus. Ipſe dominus rerum*, inquit, *fratrum natu maximus optimus in primis, pietate erat clarus, opere omnium mortalium conſtantiſſimus: præter regiæ diſciplinæ terrorem ſemper jocundus, dandi largus, dormiendi parcus, & inter dormiendum ſemper aliquid loquens, quo eum ſemper vigilare æſtimes, amicis nihil negans, & ſupra hominem fidelis. Nam quoſdam audivimus accuſatos & peccati manifeſtos, ipſum eorum advocatum & interceſſorem, & criminis nullo modo credulum ab eo poſthabitos, tanquam nihil unquam in eum peccaſſent. Ingenium ei admodum mirandum: nam poſt mortem Edidis reginæ, cum antea neſcierit literas, in tantum didicit, ut pleniter libros legere & intelligere noverit. Præterea Romana lingua Sclavonicaque loqui ſciebat: ſed rarum eſt, quod earum uti dignaretur. In venationibus creber, tabularum ludos amat, equitatus gratiam regia gravitate interdum exercens. Acceſſit ad hæc & moles corporis, omnem regiam oſtendens dignitatem, capite cano ſparſus capillo, oculi rutilantes, & in modum fulguris cita repercuſſione ſplendorem quendam emittentes:*

lib. 2. ãnal. prope fin.

facies

facies rubicunda & prolixior barba : & hæc contra morem antiquum : pectus leoninum, quibusdam ſparſim jubis : venter commodus : inceſſus quondam citus, modo gravior : habitus patrius, ut qui nunquam ſit peregrino uſus. Quotiescunque autem ſit opus corona portanda, jejunium ſemper præcedere pro vero traditur. In tanta monumentorum hiſtoriæ Germanicæ raritate, non ſemel jam monui, cur conſultius ſit, aliorum quam ſuis verbis uti. & in hoc tam illuſtri elogio, nihil oportebat detruncari. Addam alterum æqualem hujus temporis *Liuthprandum*, qui de Mathilde, *Peperit*, inquit, *viro ſuo filium, quem vocavit Othonem. Juſtum*, inquam, *cujus mundi partes aquilonaris & occidua potentia reguntur, ſapientia pacificantur, religione lætantur, juſtique judicii ſeveritate terrentur.* Huic addi *Roſvvithæ virginis carmina* debent *de geſtis Oddonum:* Ut & *Theodorici de Niem* prædicatio, qua Ottonem cum Carolo Magno, nec immerito, comparavit. Certe & hic moribus, fortuna, rebus geſtis cognomentum Magni implevit. Ut minus dixerit, quam debebat (ſi quid accurati in his ſcriptoribus quærendum eſſet) *Glaber Rodulphus Cluniacenſis Monachus*, cum ita ſcripſit: *Is denique Otto in gloria & vigore imperii non diſpar illorum, qui ante ſe Imperium rexerant.* Quantas res geſſerit, non poteſt ſatis niſi juſto opere explicari. Suorum quoque perfidia & rebellione non caruit: in quibus & frater Henricus, & Liudulfus filius, cum impia arma ſumſiſſent, forti dextera compeſcendi fuerunt. Eodem pacto motus Bavarici tranquillati ſunt; Lotharingi compoſiti, Galli coërciti. Bella Bohemica, Hungarica, Sarmatica; duplex expeditio Italica, cum reliquis, rectius in ipſo potentiæ fortunæque contextu, quo invaluit per hæc tempora imperium, attingentur. Uxores habuit duas, quarum priorem Edgitham, *filiam Ethmundi Regis Anglorum, ſororem Adalſtani*, pater Henricus eo, quo ſupra dictum eſt, conſilio illi deſpondit, celebratis magnifice poſt victoriam Redaricam nuptiis. Ex hac ſuſcepit filium *Luidulfum*; & filiam *Luidgardam*, quæ poſt mortem matris Conrado Rufo Francorum primo, inde Lotharingiæ Duci, poſtea Burggravio Wormatienſi, collocata eſt. Luidulfo Idam Hermanni Sue-

lib.4.cap.7.

in Nemore Vnionis ſ. lib.4.operis tractat. 6. c. 33.

lib.1. hiſt.c. 4.

Witichind. 1. annal. vide de nominis ſponſæ, & temporis nuptiarum varietate Heinr. Meibom. not. ad Witich.

Suevorum Ducis filiam in matrimonium dedit. de quo matrimonio *Roſvvitha Panegyricus:*

Vtque ſuo ſubdi nato faceret Luidulfo
multum devoto perfectæ mentis amore
Francorum gentis dominos prænobilis almos,
nec non primates Suevorum ſcilicet omnes,
Ipſi legali perpulchram fœdere jungi
Idam juſſit Hermanni natam Ducis almi,
Qui fuit illuſtris princeps in partibus illis.

Addunt nonnulli, tanquam natum Ottoni ex Editha, *Gulielmum*, qui poſtea Archiepiſcopus Moguntinus fuit. Sed is, *Ditmaro* teſte, ex nobili captiva Sclavonici generis procreatus eſt. Altero matrimonio copulavit Otto ſibi Adelheidem Rudolphi Burgundi filiam, Lotharii Italiæ Regis viduam. Hoc Italiæ imperium occupaturo opportune cecidit. Nati ex hac tres filii, Otto paterni imperii primum conſors poſt ſucceſſor, Henricus Dux Saxoniæ, & Bruno: filia una, nomine matris appellata. Morte facili nec lenta defunctus anno, quem ſignavimus, Magdeburgi in æde Mauritiana ad latus conjugis Edithæ ſepulturam nactus eſt, niſi quod viſcera corpore exemta condita ſunt in æde Mariana Mimlebiæ, ubi & mortuus eſt. videri meretur de extremis ejus, *Witichindus fine Annalium Saxonicorum.* Sepulcro rude, pro captu temporis, Epitaphium inſcriptum eſt:

Tres luctus cauſſa ſunt hoc ſub marmore clauſa:
Rex, Decus Eccleſiæ, ſummus honor Patriæ.

Quæ ad ſtatum Reipublicæ pertinent.

INcipiendum hic eſt à cærimonia, quâ Otto Imperator Aquiſgrani ſolenniter inauguratus eſt. Deſcriberem ex *Witichindo*, qui hujus hiſtoriæ fundus eſt, niſi pleraque jam excerpſiſſet *Chriſtophorus Lehmannus.* Potius igitur erit, quædam annotaſſe. I. Fungebatur officio hujus cærimoniæ *Hildibertus* (qui & Heribertus nonnullis, & male *Bruſchio* Hildebrandus) Moguntiæ Archie-

lib.1. Anal. pr. Chron.Spir. lib.5. cap.3.

chiepiſcopus. Quamquam enim & Trevirenſis, ob Eccleſiæ ſuæ antiquitatem; & Colonienſis, ob locum (Aquiſgrani) diœceſi ſuæ contributum, conſecrandi Regis munus vindicarent, *ceſſit tamen uterque* (verba *Witichindi* refero) *Hildiberti cunctis nota almitati.* Colligi poteſt ex hoc loco, qui inter præcipuos eſt, jus coronandi Regis Romanorum ad certam ſedem ſive ad Præſulem certi loci, lege tum non pertinuiſſe. itaque rationibus ſuaſoriis diſceptabatur hæc quæſtio: in quibus vicit auctoritas perſonæ multum eminentis, cui ceteri modeſtiâ Sacerdotibus digna conceſſerunt. Variatum eſt inſequentibus temporibus; creditumque vulgo hoc jus ad Colonienſem, non conſuetudine tantum, ſed lege, prorſus tranſiviſſe. Sed exortâ nuper controverſiâ, Moguntinus iterum vicit. Quæ occaſio fuit, conquirendi momenta rationum ab utraque parte: venitque ad manus meas dum hæc ſcribo, Francofurti excuſa *Aſſertio Juris Moguntini in coronandis Regib. Romanorum*, à Cl. *Conringio* ſcripta. Illud interea inobſervatum præteriri non debet; quod apud *Witichindum*, Moguntinus gladium cum baltheo, armillas & chlamydem, ut & ſceptrum baculumque Ottoni tradit; poſtea coronationis ſocius adſciſcitur Colonienſis per hæc verba: *Perfuſus itaque oleo ſancto, & coronatus diademate aureo, ab ipſis Pontificibus, Hildiberdo & Wichfrido, & omni conſecratione legitima completa, ab eiſdem Pontificibus ducitur ad ſolium &c.* Hæc quomodocunque ſe habeant, verborum, ſi quis cum præcedentibus, conferat, ordinem confuſum immutatumque, haud difficulter mecum credat, opinor. II. In ſolennibus formulis, verba illa Archiepiſcopi; *en adduco vobis à Deo electum, & à domino rerum Henrico olim deſignatum, nunc vero à cunctis Principibus regem factum Oddonem*, confirmant, quod hactenus non ſemel diximus, jus tranſmittendi imperium in ſucceſſorem, ad Imperatores horum temporum pertinuiſſe; cetera ad ſolennitates & cærimonias referri; & imaginem electionis non vim habere. Unde iſta quæ ſequuntur, *ſi vobis iſta electio placeat, dextris in cælum levatis ſignificate*, nullum jus diſſentiendi ſignificant, ſed adhortationem teſtandi applauſus & obligandæ fidei continent. III. Exquiſitæ porro ſapientiæ eſt, quod de ſignificatione diſtinctâ *gladii* & *ſceptri* formulæ inaugurationis ſuggerunt. *Gladio* enim tradito, *omnem poteſtatem totius imperii*

Fran-

Francorum, *auctoritate divina tradi*; nominatim *jus belli*, & *coërcitionum graviorum*; per *ſceptrum* vero, leniores coërcitiones, ſeu *paternas caſtigationes* ſignificari, dicunt. IV. Conſecrationem Imperatoris excepit ſolenne *convivium*, ubi Rex cum Pontificibus & omni populo reſedit ad menſam: *Duces vero miniſtrabant. Lothariorum* (*Lotharienſes* etiam & *Lutharingii* appellantur Scriptoribus) *Dux Giſelbertus*, *ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat: Everhardus menſæ præerat: Hermannus Franco Pincernis: Arnulfus equeſtri ordini*, & *eligendis locandisque caſtris præerat. Sifridus vero Saxonum optimus & à rege ſecundus, gener quondam Regis*, *tunc vero affinitate conjunctus*, *eo tempore procurabat Saxoniam*, *ne qua hoſtium interim irruptio accidiſſet, nutriensque juniorem Henricum ſecum tenuit.* Ex his verbis (quamquam paulo plura ob cauſſam mox noſcendam attuli) *Chriſtophorus Lehmannus* illam obſervationem ſibi format: *Jam inde ab antiquo*, *ut in ſingulorum Principum aulis*, *ita in univerſo Imperio quatuor fuiſſe officia*, *Dapiferi*, *Mareſchalli*, *Camerarii*, *Pincernæ*; *quibus qui fungebantur*, *eos ceteris Imperii Principibus prælatos*, & *in conciliis comitiisque primore loco collocatos eſſe*; *denique in ſolennitatibus imperii*, & *inaugurationibus*, *Imperatori non per alios*, *ſed per ſe miniſtraſſe.* Revocat ſubinde ad ea, quæ *libro ſecundo* de officiis Palatinis majoribus attulerat. At, ſi hoc exemplar ex *Epiſtola Hincmari*, ſupra quoque nobis laudata, *voluiſſet* ſequi; numerus officiorum parum congruet. Tum quod ait, *jam tum ceteris Principibus Imperii non-Clericis prælatos eſſe*; iterum primo non congruit cum exemplo quod delegit, & *cap.* 13. *lib.* 2. explicavit, ubi talibus officiis fungentes in Senatum Principum veniunt non ut participes, ſed ut auditores: deinde ex hoc ipſo *Witichindi* loco non leve obſtaculum amoliri oportet eum, qui ita ſentit. Ecce enim Sifridus (ſ. Sigfridus) Saxo, qui *à rege ſecundus* appellatur, non eſt in numero eorum, qui quatuor illis officiis funguntur. Quid ſi autem, hic in ſenatum Principum veniret, an, & quo jure eum poſt illos quatuor collocaret *Lehmannus*? Amplius interrogaret, qui rem accuratius expenſam cuperet, quis fuerit *Camerarius*? Giſelbertum nomines neceſſe eſt,

Witichind. 2.

Chron. Spir. lib. 5. *cap.* 3.

ſe eſt, ſi deſcriptio Dapiferi, Pincernæ, Mareſchalli ſatis clare ſubjecta, conſideretur. Atqui *Witichindi* verba nihil aliud velle videantur, quam quod omnibus Ducibus Imperii incumbebat, ut Rege aut Imperatore in provinciam, cui quiſque præerat, veniente, de neceſſariis ei proſpicerent. Et ita *Meibomius* etiam accepit hæc verba: *Lothariorum Dux Giſelbertus ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat.* Fac, Regem ingredi in aliquam Provinciam negotiorum cauſa, quod ſæpe accidebat, abſque ſolenni apparatu. Dux qui provinciæ præeſt, faciet, quod Giſelbertus hoc loco fecit: nec tamen ſtatim Camerarius erit. Sed concedatur ſolennitatis & temporis cauſa, Giſelberti occupationem cum officio Camerarii convenire. Videbis tamen primum ei locum tribui: præter ordinem aliis deſcriptum amatumque. Neque ſatis caute agunt, qui quatuor illa officia, de quibus hîc ſermonem inſtituunt, in aula Francica & Germanica jam inde ab antiquo in Politicis functionibus omnium prima fuiſſe aſſerunt. Aliter enim iſta recenſentur ab *Hincmaro* & *aliis*. V. Locus ubi ſolennitas hæc celebrata eſt, denominatur *Aquiſgranum*. *Principes*, inquit Witichindus, *univerſalis electionis* (ſ. cæremoniæ inauguralis ab univerſis celebrandæ) *notantes locum, juſſerunt eſſe ad Aquaſgrani palatii. Cumque illuc ventum eſſet, Duces ac præfectorum Principes cum cetera Principum militumque manu congregati in Siſtorio* (Reinecciana editio habet *Xyſto*, id eſt, tecta porticu) *baſilicæ Magni Caroli cohærenti, collocarunt novum Ducem, in ſolio ibidem conſtructo*, & quæ ſeq. Otto Friſingenſis, *in palatio Aquis* coronatum Ottonem refert. Nominari enim fere ſolebat hæc urbs, à prærogativa regiæ ſedis, palatii vocabulo ſignificata. *Primam ſedem Franciæ*, *Nithardus* vocat. dictumque eſt in rebus Caroli M. quantum is huic loco, præſertim etiam poſt extructum ibi magnificum templum (*baſilicam* modo vocavit *Witichindus*) tribuerit. Unde etiam opinio pleroſque tenuit, lege Carolina hunc locum conſecrationibus Regum Francicorum deſtinatum eſſe. Opinio, inquam, illa videtur ab ipſa celebritate loci aliis in tantum ſupervecta originem traxiſſe: augmentum inde fuerit, quod ipſe Carolus Magnus (anno 813.) magna cærimonia Ludovicum

in not.

Vid. Freher. orig. Palat. c. 15.

filium Aquitaniæ tum Regem Aquiſgranum vocavit, ibique in templo à ſe extructo, *Coronam illi impoſuit, & imperialis nominis ſibi conſortem fecit*, teſtantibus *Eginhardo*, & *Annalibus priſcis*, qui vulgo Aſtronomo Ludovici tribuebantur; itemque *Vita Ludovici*, & *Thegano*, ſupra ſuo loco laudatis. Hanc coronationem non obliteravit, ſed illuſtravit altera Remenſis, cum anno 816. Stephanus Pontifex Rom. ultro ad Ludovicum properavit, ipſique conſecrationem cum iterata coronatione, etiam uxoris Irmingardæ, obtulit. Diviſo ſubinde Imperio, rebus Lotharingiæ (cui Aquiſgranum contribuitur) varie ſe habentibus, non contemtum ſed ſequeſtratum locum potuerunt putare, qui à prima illa celebritate oculos ægre avertunt. Juvare eos poteſt, hoc ipſum, quod in manibus eſt, Ottonis noſtri exemplum, quaſi nimirum, ut primum, reſtituto in corpus Germanici Imperii Lotharingico regno, copia fuit, Otto Magnus cum Principibus, ad antiquam loci celebritatem reſpexerint, nec fruſtra eò tam ſolennem cærimoniam transtulerint. Poſt Ottonem hunc, plerique omnes Germanorum Imperatores Aquiſgrani coronationem vel ſuſceperunt vel iterarunt uſque ad Fridericum I. Qui Aquiſgranenſibus privilegium à Carolo M. conceſſum, ut ajebant (vel fingebant, quod *Cl. Conringius in Aſſertione Juris Moguntini* monuit) ſuper hoc negotio, confirmavit. Celebritatem loci, unde hæc omnia emergunt, *in Vita Conradi Salici*, quamvis Moguntiæ conſecrati, *Wippo* in deſcribendis Comitiis ita aſſerit: *Collecto regali comitatu Rex Conradus primum per regionem Ribuariorum, uſque locum qui dicitur Aquiſgrani palatium pervenit, ubi publicus thronus regalis ab antiquis Regibus, & à Carolo præcipue locatus, totius Regni archiſolium habetur.* A temporibus Friderici quantum invaluerit opinio de lege Carolina, notius eſt, quam ut oſtendi debeat. Acceſſitque cumulus exemplorum, de Regibus Romanorum ibi coronatis, uſque ad *cap. 28. ſ. 5.* Carolum IV. qui etiam *Aurea Bulla* inſeruit non quidem mentionem legis Carolinæ, ſed antiquæ & diuturnæ conſuetudinis, quam ipſe ſibi exiſtimaret illa conſtitutione ſanciendam. Quare Carolus V. Imperator, cum ob peſtem Aquiſgrani ſævientem, de coronatione alibi peragenda moneretur, reſpon-

reſpondit : *non conſultum eſſe, ob levem momentaneamque cauſam ritum coronandi priſcum adverſum praſcripta Bulla Aurea Caroli novari.* Non attendit ergo tum Carolus V. alteri privilegio, quod Legati Archiepiſcopi Colonienſis adducebant, tanquam Rupertus Romanorum Rex Colonienſi permiſiſſet, *quocunque loco ſua provincia ſuo arbitratu coronationi locum praſinire*; referente *Hartmanno Mauro.* Qui non accurate agit in ſequentibus, quando refert, Carolum IV. mutaſſe anno 1363. quæ *de loco electionis* in Aurea Bulla ſtatuerat, & hanc ἐπίκρισιν ſubjicit: *Vix audeo aſſerere, quod hac revocatio omnes Principum conſiliarios, aliis majoribusque rebus intentos latuerit.* Atqui non dubitabatur hic de loco electionis, ſed de loco coronationis. Alterius ergo generis hæc quæſtio erat: nimirum an à ſimilitudine negotii, huc producenda argumentatio eſſet: quod ut fieret, non minus ratio eſſe poterat, quæ diſſuaderet, quam quæ ſuaderet. De cetero non diſſimulamus, materiam hujus legislationis non eſſe talem, quæ inevitabili neceſſitate interpretem ab excipiendi libertate reſtringat. Vix enim legislatoris mens, ſi interrogaretur, in actione per legem præcipienda, eò tenderet, ut locum, qui actioni extrarium quid eſt, ad intertrimentum aut notabile incommodum ipſius actionis valere cuperet. Ita Romæ *evulgatum* eſt *imperii arcanum, poſſe Principem alibi quam Roma fieri.* In Gallia Remis conſecrari Regem, & conſuetudo & lex, ut ferunt, jubebat. Oſtendit tamen *Ivo Carnotenſis*, de coronatione Ludovici VI. Groſſi Aureliæ facta agens, variis exemplis, *quod Francorum Reges non omnes in Remenſi Eccleſia, vel à Remenſibus Archiepiſcopis ſint conſecrati: ſed multi in multis aliis locis, & multis aliis perſonis conſecrati ſint.* Diſputat ibidem de obſtaculo & interpretatione legis, pro captu temporis, ſatis erudite. Nec aliter judicatum eſt, cum ſuperiore ſæculo Henricus IV. Autrici eſſet inaugurandus. Legem enim ante quinquennium in Comitiis Blœſenſibus ſeu latam ſeu repetitam *prudentiores arguebant, & iniquum eſſe ducebant, legitimam regni ſucceſſionem, qua proximo agnato lege regni defertur, loco certo includi: itaque tunc magno conſenſu decretum fuit, nihil cauſa eſſe, cur minus ſolennis inauguratio dici deberet, etſi minime Durocortori (Remorum) facta*

Maurus ap. Gold. polit. Imper.

Tac. 1. Hiſt. 4.

Epiſtola 40.

facta eſſet; *nam exemplis conſtare id in Imperatorum & Regum conſecrationibus ſecundum tempora ſemper variaſſe.* Subjiciuntur deinde apud *Thuanum* exempla magno numero, in ſatis prolixa diſputatione: quæ animadverſione ſeu annotatione aliquâ digniſſima eſſet, ſi locus pateretur. Fuiſſe autem eandem mentem Proceribus Imperii Germanici, exempla Regum Romanorum & Imperatorum hujus quoque ſæculi, docent. Volui hæc ex occaſione ſemel notare de prærogativa Aquiſgranenſi, explicandis iis, quæ *in Carolo M.* obiter, ex vulgari ſententia poſueram. VI. Coronam, qua coronatus eſt Otto, *aureum diadema* vocat *Witichindus*. Poſſet de *auro*, & priorum temporum exemplis (ſicut teſtabuntur monumenta hactenus laudata) & inſequentium, res clara fieri, ſi commentum illud vulgare, de *corona Teutonici regni ferrea* vel *argentea*, refutatione opus haberet. De ſequentibus Ottonem Imperatoribus, hoc tantum dicam, quod *Auctor cærimonialis Romani*, *Frehero* etiam laudatus, fatetur, *ſe ex Pio II.* (*Ænea Sylvio*) *rerum Germanicarum peritiſſimo*, *cui à manu ſerviverit*, *ſæpe audiviſſe*, *& in hiſtoria ejus Auſtrali legiſſe*, *quod Cæſar nullam omnino coronam ſuſcipiat*, *niſi auream*: *& alias quidem coronas pro variis Regnis*, *Romæ vero & à Romano Pontifice Romani Imperii coronam ſuſcipiat.* Hæc poſteriora verba nos deducunt ad id, quod de Coronis Imperatorum quæri ſolet; *an ex diverſis coronis* (quarum nec numerus, nec locus ubi ſuſciperentur, eodem ſemper modo ſe habuit) *Romana ſola ſit vere Cæſarea*, quod ſcriptor ille aſſerit, in eoque habet multos aſſentientes. Quando igitur Carolus Magnus, apud *Eginhardum* & *Theganum*, filio, ut ante dictum eſt, Ludovico Aquiſgrani diadema imponit, atque *Imperatorem & Auguſtum jubet appellari*, qua ratione neges Cæſaream illam coronam fuiſſe, licet non impoſitam Romæ aut Romanam? verba certe nimis clara ſunt. Allata ſunt ejus generis plura à viris doctis, cum tempore Ludovici V. Bavari, de Jure Imperatorio electi Regis Romanorum acriter diſputaretur, decerneretur, conſtitueretur. Inquis: At Cæſares ipſi ſponte hoc fatentur; *Electos* enim ſe tantum vocant ante Romanum diadema ſuſceptum, etiamſi in Germania coronati jam fuerint. Ita quidem Pontifex Romanus

lib. 130.

pag. 17.

in not. ad Petri de Andlo, de Imp. R. lib. 2. cap. 6.

manus interpretatur hanc appellationem; qua ipſe etiam Imperatores noſtros ſalutat, eo propoſito, cui publicis privatisque ſcriptis graviter & merito & continenter contradictum eſt. De cetero, mihi quidem longe antiquius eſt, Imperatorum noſtrorum ſanctiſſima jura piiſſimo boni civis affectu venerari, quam conſilia ſcrutari; neſcio tamen, an tanti faſtigii majeſtas ferre poſſit, ſi hæc interpretatio adhibeatur, quando Ipſi Imperatores ſibi hunc titulum accommodant. Non adeo eſt abſtruſum, quid pro varietate temporum, cauſis non unis datum ſit. Neque ignoratur, quo conſilio per ſilentium cœperint transmitti, quæ olim armis & decretis refutata ſunt. Verum enimvero quotiens lego *Electi* titulum, ab Ipſo Imperatore nomini ſuo adſcriptum, non poſſum inducere animum, quin magnifico ac locupletante ſignificatu, id eſt in laudem Electionis, quæ inter ſacroſancta Imperii noſtri myſteria habetur, quæ Aureâ Bullâ ordinatur, quæ divinum humanumque ſuffragium oſtentat, accipiam. Electioni certe debetur nomen Imperatorium, non Coronationi. Poteſt igitur coronatio taceri: electio non poteſt. Quid? quod nomen *Imperatoris*, & elogium *Semper-Auguſti*, quæ non niſi Romæ coronatis olim indulta & hodie indulgenda multi putarunt, *Electo* addita, ſatis oſtendunt, non quidem defectum aliquem ſolennitatis, ſed perfectionem majeſtatis. De corona Germanica illud quoque quæri video, *an hodieque illa ſit, qua coronati fuere Reges Germaniæ, antequam Cæſarea dignitas cum Germaniæ regno conjungeretur?* Non dixerim, atque ſi hiſtoriæ inopiam conjecturis ſupplere licet, ſæpius mutationem factam eſſe, ne dubitaverim quidem. Ex multis aliquid tangam. Cum Carolus Magnus Ludovicum filium Auguſtum crearet, coronam impoſuit non ſuam, ſed novam ſive aliam, *teſtibus*, quos ante nominavi. Conradus I. Henrico I. transmiſit quidem ſuam coronam, quam *Liuthprandus* loco ſupra citato ut auro gemmisque opulentiſſimam & pretioſiſſimam operosè deſcribit. Sed quæ illa corona fuit? an Caroli Magni, quæ putatur tanquam fatale pignus in proxima tempora duraſſe, & coronandis Romanorum Regibus inſerviiſſe? ſed quàm diſcrepabit tum à *Liuthprando Hartmannus Maurus*? qui Carolum

v. Monarch. S. Rom. Imp. Goldaſt.

lum V. corona Caroli Magni refert coronatum; *ex puro* quidem *puto auro fabrefactâ, ſic tamen ut in ea veterum laudabilis parcitas ſatis eluceret.* Neque Romæ manſit corona una eademque Imperatoribus coronandis: & Stephanum Papam Ludovico coronando in Galliam attuliſſe ſecum coronam in hos uſus confectam donatamque, ex iis, quæ ante indicavimus, amplius cognoſci poteſt. Ne de aliis Regnis dicam, in quibus itidem talia mutari ſolent. Cumque ex eo genere ſint, quæ non maxima diligentia annotantur, facile vetuſtatis opinionem induunt, quorum vices ætatesque ignorantur. VII. Operæ pretium forte fuerit, ad ſingulos Ottonianæ inaugurationis actus paulo explicatius aliquid annotare, quanquam ante non conſtitueram. Ait *Witichindus.* 1. *à Principibus & cætero magiſtratu collocatur in ſolio conſtructo in Xyſto baſilicæ Caroli Magni: manus ei dantur; fides promittitur ac opera contra omnes inimicos.* Atque ita, inquit *Hiſtoricus, more ſuo fecerunt eum Regem.* Id eſt, hoc ritu teſtati ſunt, ſe regem paterno judicio jam conſtitutum agnoſcere, eique fidem ſuam obligare. 2. *Idem* mox, *dextris in cælum ſublatis* (fidei jurandæ ſymbolo) *& fauſtis acclamationibus* præſtat populus, ad quem, progreſſum è Xyſto Regem manu deducit Pontifex maximus, id eſt, Moguntinus, exemplique Principum ſequendi, & homagii, ut hodie loquuntur, præſtandi auctor eſt. Hi duo actus, unam vim habent in agnoſcendo jure regnantis, & repræſentanda fide obſequii, ſine quo nec Regis nec Regni nomen intelligitur. Jurisjurandi religio, dextris partim datis, (quantum ad Proceres) partim elevatis apud cæteram multitudinem, ſancitur. 3. Sequitur *inſignium regiorum traditio, gladii cum baltheo, chlamydis cum armillis, baculi cum ſceptro, & diademate.* Hæc in altari poſita, Regi facto, quem eo deducit Moguntinus Pontifex, ſolennibus & interpretationem, votum, admonitionem habentibus verbis tradit; ſcilicet primo *gladium cum baltheo,* deinde *armillas cum chlamyde,* poſtea *ſceptrum baculumque.* Atque cum his poſtremis vel deſcriptoris vel ſcriptoris culpa confunduntur, quæ ad *unctionem* & *coronationem* pertinent: ſceptri enim traditioni ſtatim, poſt propriam explicationem, ſubjicit: *nunquamque de capite tuo oleum miſerationis deficiat, ut in præſenti & in futuro ſempiterno præmio coroneris.* Quis dubitet, quin

quin votum *de oleo miſericordiæ*, ad actum unctionis; & alterum *de præmiorum coronis*, ad actum coronationis referri debeat? niſi velis putare, hæc verbis præmiſſa, unctionemque & coronationem ſilentio peractam: quod, ut minus decorum, neſcio an putare debeamus. Intempeſtivo ſane compendio, ad novum actum properat *Witichindus*: *Perfuſus itaque oleo ſancto, & coronatus diademate aureo ab ipſis Pontificibus Hildeberto & Wichfrido, ac omni legitima conſecratione impleta, ---- ducitur &c.* Poſſes *unctionem*, ad peculiarem actum referre; ut & *coronationem*. Sed conjungantur ſane hi actus, *traditionis inſignium*, *unctionis*, *diadematis impoſitionis*, ut abſolvatur illa *legitima conſecratio*, quam *Witichindus* vocat. 4. Proximum ergo eſt, ut Rex conſecratus ſuisque inſignibus adornatus, *in ſolio Regio* eminentiore, ad quod per gradus aſcenditur, *collocatus ab omnibus conſpiciatur*. Deduxerunt eum ad ſolium *iidem Pontifices*; *Moguntinus*, &, qui in diademate quoque imponendo ſociaverat operam, *Colonienſis*. 5. *Res divina peragitur*; ſive, ut *Hiſtoricus* habet, *divina laus dicitur*, *ſacrificiumque ſolenniter celebratur*. More ſcilicet antiquo; quemque etiam Carolus M. adhibuit, cum filium Ludovicum Imperatorem coronaſſet. Ubi *Theganus*, peractis cærimoniis ſubjicit: *Quo facto, audientes Miſſarum ſolemnia, ibant ad Palatium*. 6. Id quod etiam hîc ſequitur. Otto enim deſcendit ad Palatium, & *convivium* ſolenne celebrat, de quo ſupra. 7. Deſinunt omnia in felicem clauſulam; convivioque adjiciuntur *dona muneraque*. De quibus *Witichindus*; *Rex autem poſthæc unumquemque Principum juxta munificentiam regalem congruenti ſibi munere honorans, cum omni hilaritate dimiſit multitudinem.* Deſcripſit pleraque ex Witichindo, *Sigonius lib. 7. de regno Italiæ*, aſſutis tamen ſubinde, quæ jam refutata ſunt.

Subjungemus ſtatim, quæ de regno Imperioque Teutonico diſputantur, & ad Ottonem noſtrum referuntur. *Otho Friſingenſis*, digreſſione inſtituta, cum Henrici Aucupis primordia poſuiſſet, *Ex hinc*, ait, *quidam poſt Francorum regnum ſupputant Teutonicorum: unde filium ejus Ottonem in decretis Pontificum, Leonem Papam, primum regem Teutonicorum vocaſſe dicunt. Nam iſte de quo agimus Henricus oblatam ſibi à ſummo Pontifice dignitatem renuiſſe perhibetur.* [De hoc errore ſupra dictum eſt, ſum- *lib. 6. c. 17.*

ſummus Pontifex enim in hiſtoria hac appellabatur Archiepiſcopus Moguntinus. Neque ſcopo Henrici congruit Friſingenſis ſententia. Henricus enim conſecrationis cærimoniam, ad vim & dignitatem Imperii ipſam non pertinere, ideoque ſalva re ipſa omitti poſſe judicavit] pergit *Friſingenſis* : *Mihi autem videtur regnum Teutonicorum, quod modo Romam habere cernitur, partem eſſe regni Francorum. Denique ut in ſuperioribus patet, tempore Caroli, regnum Francorum tota Gallia, id eſt, Celtica, Belgica, Lugdunenſis, omniſque Germania à Rheno ſcilicet uſque ad Illyricum, terminus fuit. Dehinc diviſo inter filiorum filios regno, aliud Orientale, aliud Occidentale, utrumque tamen Francorum dicebatur regnum. In orientali ergo, quod Teutonicorum dicitur, deficiente Caroli ſtirpe, primus, manente adhuc in Occidentali Francia ex ſucceſſoribus Caroli Carolo, ex gente Saxonum ſucceſſit Henricus. Cujus filius Otto, qui etiam Imperium à Longobardis uſurpatum deduxit ad Teutonicos Orientales Francos, forſan dictus eſt primus Rex Teutonicorum: non quod primus apud Teutonicos regnaverit, ſed quod primus poſt eos, qui à Carolo Carolingi, ſicut à Meroveo Merovingi dicti ſunt, ex alio, id eſt, Saxonum ſanguine natus, Imperium ad Teutonicos Francos revocaverit. Sicut autem Merovingis deficientibus, & Carolis ſuccedentibus, regnum tamen manſit Francorum: ſic & Carolis decedentibus, ex alia familia ſeu lingua, in uno tamen regno Ottones ſubintroiere.* Sequitur veſtigia hujus ſcriptoris *Cuſpinianus*, primumque Germanorum Imperatorem Ottonem numerari ægre fert: *primo*, quod & Carolus Magnus cum tota progenie Germanicæ originis fuerit; *deinde*, quod *Conradus* & Henricus, propter non ſuſceptam Romæ Pontificis conſecrationem, numero Imperatorum excludi nequeant niſi per injuriam. Ac, ut hinc potiſſimum incipiamus, *Conradum* jura imperatoria etiam per Italiam non habuiſſe pro derelictis, vel illud oſtendat, quod ſupra ex *Ekkehardo* attulimus, de Moguntino in Italiam miſſo, *ut exigeret jus regium*, id eſt, cenſum fiſco Imperatoris ſive Regis debitum. Neque ſine effectu miſſus eſt: *rediit* enim, ut *Hiſtoricus* addit, *ab Italia ditiſſimus*, qui locus notabilis hic repeti explicarique merebatur. *Henricum Aucupem* immerito excludi numero Imperatorum *Nauclerus* oſtendit è *textu Juris canonici*, ubi habetur *Conſtitutio primi Henrici & primi Ottonis cum Romanis Pontificibus*,

pr. Otton.

pag. 228.

capitul. 32. diſt. 63.

tificibus, in eo argumento, quod *Imperator* Pontificis Romani electioni nullum obſtaculum generare debeat. Id teſtimonium contra Pontifices ſaltem, & qui in eorum gratiam contemtim de iſtis Heroibus loquuntur, ſatis valere poteſt. Res ipſa de cetero in hunc modum, ut arbitror, declarari poteſt. I. Non eſt opus, prolixè probare, unum idemque eſſe regnum & imperium, in quod Saxonici Carolingis per Germaniam ſucceſſerunt. Id enim manifeſtum eſt. II. Sicut & alterum: Franciæ Occidentalis regnum, à Germanico diſtinctum ſeparatumque eſſe, illis modis & temporibus, de quibus ſuo loco antea. III. Propagationem juris Imperatorii variaſſe pro temporibus conſtat, ſub Carolo tamen Craſſo & Arnulpho in ordinem quaſi rediiſſe: denique ſub Ludovico, Conrado & Henrico, pro derelicto non eſſe habitum illud jus, quamvis ab interceptoribus diſtractum, nec (ob alias propiusque urgentes cauſas) vindicatum. IV. Nomen *Imperatoris* & *Augusti*, olim ſuſceptum eſſe, etiam ante coronationem Romæ factam, ſatis docent priorum temporum exempla. Poſtea cœperunt abſtinere his titulis, antequam Romam & Romanam coronam ſibi præſentes vindicaſſent. Facilius illi, qui Romam Italiamque in aliena manu eſſe cernebant, licet non deeſſet voluntas repetendi, quæ pro derelictis nondum habebantur: ſed poſtea illi quoque, qui poſt Ottonem jure Imperatorio citra controverſiam potiebantur. Non fuit illis grave, conſuetudinem in nomine ſequi, quamdiu de jure ipſo nihil interim detrahebatur. Sed poſtquam jus ipſum Imperatorium à corona Romana, & coronatione Pontificia, imo ab arbitrio Pontificio, ſuſpendi oportere, immani prorſus injuriâ & ambitione curiæ Papalis, temporibus Hildebrandinis divulgari cœpit: aliter jam ſentiendum fuit de nomine Imperatoris & Auguſti, quod nullis turbis machinisque obſtantibus, optimo maximo jure, etiam ii, qui Romæ ne voluerunt quidem à Pontifice coronari, uſque in hunc diem retinent. V. *Imperii* porro *Romani*, & *Imperatoris Romanorum* nomen, qui reſtrinxerunt ad urbem Romam, quæque ejus ditionis ſunt, excluſis omnibus aliis, ipſoque regno Longobardico, ſive, ut poſtea dici cœpit, Italiæ, ſatis magna ratione

motos dixeris, ad diſtinguendum, quæ in hac diſputatione plerumque confuſius agitantur. Id quod incomparabili dexteritate præſtitit *Cl. Conringius in libro de Imperio Germanorum Romano.* Sed ea diligentia in Hiſtoricis fruſtra forte quæritur: ſive eos, qui in hoc argumento veteres appellantur, ſive recentiores evolvas. Plerumque illis ſufficit *Imperatoris* & *Imperii* nomen, absque *Romani* appoſiti mentione: tum, ubi Romam ſive imperium in urbem Romam & annexa, una cum ceteris regnis complectuntur; tum, ubi Roma, ſe ad tempus à cetero corpore ſejunxit. Modo Italiæ regnum ſolum ſine Roma, modo idem cum Roma, eo nomine venditatur. Quin, & *Imperium* & *Romanum* vocari videmus, quando nec Italia nec Roma reapſe Imperatori paret. Sicut ex diverſo, quin *Regis Regnique* titulo (vel ſolo, vel Teutonici aut Francici vocabulis additis) haud raro ſignetur jus & imperium, ut in alia, ita in Italiam & Romam, negari nequit. VI. In ipſo Ottonis noſtri exemplo, non unius generis ſtilum ſequi videmus Scriptores; ut ad id, quod propoſuimus, paulatim redeamus. *Aventinus* inter diligentiſſimos eſt & peritiſſimos Germanicarum rerum auctores. Ejus verba, ſi explicentur, non parum

Lib. 5. illuſtrant rem noſtram. Ait primo: *Apud rerum ſcriptores Teutonicum regnum Franco ſucceſſiſſe, & in jure pontificio Ottonem Teutonum primum regem, hoc eſt, Saxonum lego.* Senſus eſt: quod hactenus Francorum regnum dicebatur, Teutonicum appellari cœpiſſe, titulo è Saxonia repetito. Præceſſerat enim memorabilis annotatio: *Sicuti à regibus Francia oriundis, Franci, & Germania Francia dicta fuit: ita ab Imperatoribus Saxonia progenitis, à Teutonis originem trahentibus, Teutones nuncupantur, & nationis nomen, non gentis* (forte, *in gentis*) *paulatim evaluit.* Unum intelligit imperium, in quo appellando, Teutonicum nomen Francico ſucceſſerit. Unde *eodem libro*, poſtquam Ottonem Urbis Romæ Italiæque imperio etiam potitum memoraſſet, ſubjicit: *Urbs Roma Italiaque, quæ per ſexaginta annos à Germania diviſa fuerat, rurſus Francorum jungitur imperio; cui adhuc titulotenus cohæret.* Hic iterum permutatione vocabulorum eandem rem ſignificantium uſus, *Francorum imperium* uſque ad ſua tempora appellat, quod ante circa tempora Saxonicorum Regum

gum *Teutonicum* cœpiſſe dici, conſignaverat. Supereſt difficultas *in textu Juris Canonici*, quò reſpicit ſupra *Friſingenſis*; hic, *Aventinus*, quando nimirum *capitulo* 23. *diſtinct.* 63. Leo Papa VIII. Ottonem vocat *primum regem Teutonicorum.* Si enim Teutonici appellatio ad Saxones reſpicit, Otto non fuerit primus: multo minus, ſi de regno Francico ſeu Germanico latius capiatur. Non recte igitur videtur *Aventinus* diſtinxiſſe verba Leonis. *Primus* enim, ad nomen Ottonis, non ad appellationem regis Teutonici referri debet. Leo dicit: *ſe Ottoni primo, Teutonicorum regi concedere*, quæ ſequuntur. Quem autem hic *Teutonicorum regem* vocat, mox *Imperatoris* nomine, itemque *Italiæ regis*, honeſtat. Qui Ottonem, *primum Teutonicum Imperatorem* dicunt: ſi vocabulum *Teutonici*, juxta Aventini ſententiam: & *Imperatoris*, de recuperata poſſeſſione juris Romani & Italici, per 60. annos intercepti ſeu non vindicati, capiamus, facile tolerantur. In *Germanici* elogio non æque ſe faciles præbeant, qui Francos quoque, Germanos fuiſſe meminerint. Sed conſuetudo in his talibus apud multos ante rationem eſt. Explicandum tamen eſt in hanc ſententiam, ſi quis dicat; *Otto Magnus eſt primus Germanorum Imperator*, id eſt, Otto inter eos, qui regnum Franciæ Orientalis ſeu Germaniæ, ab Occidentali Francia plane diviſum poſt Carolingos obtinuerunt, primus regnum Italiæ & Imperium urbis Romæ, ita Germaniæ regno conjunxit, ut cum eodem in ſucceſſores perpetuo jure propagaretur. *Sigonius* cum fine *libri VI.* ad Ottonem *Germanicæ in Italia dominationis vetera incunabula & principia*, retuliſſet; *libro ſequente* fatetur: *itaque ab hoc tempore qui rex Germaniæ fuit, idem etiam regnum Italiæ, & Occidentale imperium tenuit.* *lib. 7.* VII. Regno autem Italiæ jam armis parto, ſecunda expeditione Italica Otto Romam venit, ibique ſuſcepit à Romanis Cæſareum nomen & diadema; & cum his imperium in urbem Romam, in Papam, in patrimonium Eccleſiæ Romanæ. Quod jus ſub Leone VIII. mox in perpetuum Germaniæ & Imperatoribus Germanicis ita ſtabilitum eſt, ut ad jura illa Cæſarea exercenda, nulla in poſterum Pontificis auctoritate aut coronatione opus eſſe, ipſamque ſucceſſionem aut electionem ſufficere ad ea conferenda, ante Hilde-

brandum nemo negare auſus; poſtea licet magnis, irritis tamen moliminibus, *οἱ Παποκαισαρῦντες* impugnare conati ſint. Quæ omnia erudite exequitur *in libro paulo ante laudato Cl. Conringius, capite præſertim X*; ut & *de Finibus Imperii Germanici, cap. IX. & X.* Oſtenditur eadem operâ, nihil obſtitiſſe Cæſarum juri, conceſſa Pontificibus beneficia & privilegia, etiam quæ finguntur. Conſentit *Sigonius* notabili confeſſione tempora inſequentia deſignans: *Et ſane quamquam Italia à Rege, eodemque Imperatore, & à Romano Pontifice tenebatur, non eadem tamen erat in utroque auctoritas. Pontifex Romam, Ravennamq; & ditiones reliquas tenebat auctoritate magis quàm imperio: quod civitates Pontificem, ut reipublicæ principem, regem vero, ut ſummum dominum intuerentur, atque ei tributa, obſequiaque, quæ dixi, praberent.* Male cœperat Pontificem Imperatori conjungere, Italiamque Pontifici tribuere: ſed bene proſequitur ſuum judicium, ut & Papa rite ac ordine Imperatori ſubjiciatur, & Italia in tenues notasque patrimonii Eccleſiæ anguſtias reformetur. VIII. Solennitas coronationis Romanæ à veteribus breviter perſtringitur. *Liuthprandi appendix* (quæ incipit à lib. 6. cap. 6.) ſummatim, *à Papa Joanne, unctionem eum ſuſcepiſſe Imperii*, refert. *Reginonis Continuator*, addit *acclamationem totius populi Romani & Cleri*: itemque nomen *Imperatoris & Auguſti*; denique *jusjurandum Pontificis* fidem ſuam Imperatori obligantis; apud *Liuthprandum, omnes civitatis proceres* ſimul jurant. IX. Quantum ad annos Imperatoris Ottonis attinet, obiter notabimus, eos corrupte tradi, in diplomatibus ejus, ab *Henrico Meibomio* collectis. Annotarem, niſi inſpicienti cuivis ſtatim obvia eſſet animadverſio. Satius fuerit, notare titulum, quem *privilegio Lauriſhamenſi* præfixit: *Otto Dei gratia Rex Francorum* (Germanos ſ. Francos Orientales intellige, & ſimul obſerva Teutonicorum nomen nondum publice in Francorum locum ſucceſſiſſe) *& Longobardorum* (ſ. Italiæ) *ac Patricius Romanorum.* Qui *Patriciatus*, inſigne ſuum *ἀξίωμα* vel hoc documento prodit. Jam enim Imperator dictus erat Otto anno 962. diploma autem hoc datum eſt 963. itaque ſubjicitur in loco ſigilli: *Signum Domini Ottonis sereniſſimi Imperatoris Auguſti.* Additurque: *regnante pio Imperatore Ottone anno 28.* ubi ſimul notan-

lib. 7. de regn. Ital.

ann. 962.

notandum, quod *annus Imperii*, qui ſecundus poni debebat, non adjiciatur, ſicut in ſequentibus, ubi ſeorſum numerantur anni *Regni* & *Imperii*. Ab initio autem vel ſimpliciter ponitur: *Otto Imperator*; vel *Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus*. Quod propterea etiam annotandum fuit, ut authentico documento conſtaret, titulo *Imperatoris* omnem poteſtatem, etiam Germanici regni (ſicut antea in transcurſu cœpimus innuere) etiam cum de negotiis non aliis quàm regni Germanici agitur, involvi ſignarique. Ad id, quod *Sigonius* loco citato, indiſtincte addit; *ante Pontificis conſecrationem, Auguſti aut Imperatoris nomen non uſurpatur, ſed regis Germaniæ atque Italiæ, ſive Regis Romanorum, & Imperatoris deſignati; annosque regnorum & Imperii in diplomatis ſeorſum numeratos eſſe*: hoc tantum annotabimus, illuſtrandis, quæ de hac re jam diximus. Adfert *Sigebertus Gemblacenſis in Guiberto* (apud *Surium*) diplomatis, quo monaſterii Gemblacenſis privilegia ſanciuntur, clauſulam talem: quod *charta illa Imperiali edicto confirmata, & anuli impreſſione Imperialis auctorizata ſit, ſolenniter Leodii XII. Kal. Octobris anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLVI, Indictione quarta, Regni Domini Ottonis Primi, anno undecimo, cathedram Trajectenſis Eccleſiæ regente Uhogone*. Hoc cum refert *Baronius*, non audet ſane negare, ex ipſo diplomate deſcripta eſſe illa verba; ſed ſilentio transmiſſa auctoritate diplomatis, hoc tantum annotat, *corrigenda, quæ de nomine Imperatoris habentur, nondum enim Ottonem Imperatorem fuiſſe, ſed Regem tantum, cum iſta fierent*. Sed fingat ſane aliquis (quod attentus & modeſtus nemo facile fecerit) *Sigeberti* ingenio, non *Diplomatis* ſcripturæ illum ſtilum deberi: hoc certe intelligendum inde datur, Monaſterium Gemblacenſe, ſua privilegia ad Imperatoriam auctoritatem retuliſſe; id enim monachus Gemblacenſis, cujus fide præcipua pars hiſtoriæ Gemblacenſis ſtat, ignorare non potuit. Sed *Baronio* nihil arduum eſt. Quid enim facias ei, qui ſcripturam diplomatis *de privilegiis Rom. Eccleſiæ, quam ipſe putat* formalem, modo quo poteſt fieri maxime ſolenni factam, ſigillisque Imperatoris Ottonis & Procerum ac Epiſcoporum firmatam, corrigere non vereatur? Ait *Baronius*, diplomatis illius *autographum aureis literis exaratum aſſervari Romæ in Caſtello* S. An-

lib. 7. de regn. Ital.

ad ann. 946 §. 5.

ad ann. 962. §. 2. & ſeq.

S. Angeli, duo vero exſcripta exemplaria haberi in Vaticana bibliotheca. Hinc deſcriptum exhibet ille; clauſula tali: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXII. indictione quinta menſe Februarii, decimotertio die ejuſdem menſis, anno vero Domini Ottonis Imperii invictiſſimi Imperatoris XXVII. facta eſt hac pactio feliciter.* Subjicitur gloſſa Cardinalis: *ita numerans à tempore adepti Regni, eoſdem annos jungens cum Imperio, cujus hic primus eſt annus numerandus, reliquos autem annos præteritos proprios eſſe Regni, ejusdem Ottonis diplomata docent, atque acta ſynodalia cuncta, quibus nihil conſtantius. Ut appareat, improprie à tempore regni numerari æque annos Imperii, quod hoc anno accepit initium.* Si *Baronius* negaret authenticam eſſe hanc ſcripturam, tum aliquid diceret, opponendo diplomati diplomata. Verùm cum agnoſcat αὐθεντίαν diplomatis, quanta poteſt eſſe maxima, miram rem agit, dum curiam, ut improprie loquentem arguit. Quod, quid eſt aliud, quàm dicere: Curia ignorat ſtilum curiæ? Invicti autem roboris eſt, quod ita hinc deducitur argumentum: Imperator aut curia Imperatoris modo ſeorſum numerat annos Imperii & Regni, modo conjungit, & Imperii appellationem in antecedentia Regni tempora porrigit. Ergo nulla ſe neceſſitate teneri putat ſeorſum numerandi annos Regni & Imperii. Hæc adverſus Baronium & ſocios quid valeant, qui non videt, nihil videt. De cetero, nobis authenticum non eſt illud diploma, cujus fidem concuſſit jamdudum *Cl. Conringius de Germanorum Imperio Romano cap.* 10. quem non exſcribo.

Fatale propemodum fuit, aliquot horum temporum Principibus, ut hactenus demonſtratum eſt, jus imperii coërcitione rebellium undique coorientium ſibi firmare. Præter bellicoſos Procerum ſpiritus, etiam titulus juris adverſus Ottonem quærebatur: quaſi Imperium fratri potius Heinrico, quam ipſi Ottoni deberetur. Maleſuadam eorum, qui Heinricum contra fratrem Ottonem inſtigabant, orationem ita refert

lib. 4. cap. 8. *Liuthprandus: Rectene patrem* (Heinr. Aucupem) *egiſſe rere, in regia tibi dignitate genito, non in eadem genitum præponendo? plane non diſcretionis hoc cenſura ponderavit, verum paſſionis magnitudine aberravit. Ergo age, neque tibi deerunt copiæ, fratrem dejice, regnum accipe, ſitque tibi regnandi facultas, cui accidit Deo largiente*

& in

& in eadem dignitate nativitas. Relata, ut videmus, ſunt momenta controverſiæ, quæ olim inter Artemenem ſive Artobazanem & Xerxem fratres in Perſia de ſucceſſionis jure agitata eſt, apud *Herodotum lib.* 7. & *Juſtinum lib.* 2. *cap.* 10. Prævaluit quidem tum, privilegio ætatis, conditio naſcendi: ſed aliàs, inter Cyrum & Arſicam (ſ. Artaxerxem Mnemonem) ætatis potior habita ratio eſt. Eamque ſententiam æquitati magis conſentire, oſtendit *Grotius* 2. *de I. B.* 2, 7, 28. Henrici prætextum etiam inde fruſtratur opinio juris, quod, poſt rem transactam & fidem ab univerſis datam, ſerum erat regis legitimi ſolium jurgio adoriri.

Mire autem in hujus diſſidii hiſtoria ordinanda Scriptores diſſentiunt. Hinc eſt, quod non accurate etiam recentiores agunt. *Aventinus* in iis, *ſine libri quarti.* *Henricus Meibomius,* *in notis ad Witich. lib.* 2. ita ſummam colligit: *Æque inhiabant imperio Henricus Cæſaris frater. Eberhardus* (Everhardus) *Franciscus Comes, & Giſelbertus Lotharingiæ Dux. Poſteriores duo Henricum cupiditate regni incenſum, ſpe ejus conſequendi facta, à fratre alienabant, etſi nihil minus quàm hoc cogitarent. Giſelbertum à rebellione alienum Eberhardus homo callidus & verſipellis ſimiliter promiſſione regni ad res novas animabat, quamvis ipſe coronam regni ſibi deſponderet. Etenim cum aliquando conjugem in ſinu foveret, dixiſſe fertur; ſecundare in gremio Comitis, brevi lætatura in amplexibus regis.* Laudat mox auctorem hiſtoriæ *Liuthprandum lib.* 4. *cap.* 9. & 10. Sed *is* cum aliis collatus iterum non ſinit rem in expedito eſſe. In hunc autem modum proſequitur: Henricum inter primas rebelliones Fratri fidelem, ab Eberhardo in quodam oppido captum abductumque: In illa captivitate, Everhardum & Giſelbertum, jam in partes tractum, cùm Ottoni fratris injuriam ulturo impares ſe cernerent, Henrico libertatem & regnum ſubdole oſtendiſſe, ſi arma & operam contra Ottonem ſociare vellet. Hos deinde tres conjunctis viribus in Ottonem iviſſe; qui & ipſe, cum hoſtibus occurreret, partem copiarum ejus tranſito Rheno, pugnaſſe cum obviis, & viciſſe; Ottone adhuc in altera ripa ſtante, precibusque ad Deum fuſis victoriam adjuvante. Secutam inde obſidionem Briſacenſem in Alſatia, ubi præſidium militum Ever-

pag. 61.

jocundare, eſt apud Liuthpr.

Everhardus collocaverat: tum Everhardum & Giſelbertum, coacto exercitu adverſus Ottonem adventantes, cum ad Andernacum tranſiiſſent, Rhenum, ab Udone Hermanni Suevorum Ducis fratre, & Conrado Sapiente, inter prandendum oppreſſos, alterum gladio periiſſe, alterum fluvio merſum eſſe: Henricum vulnere accepto in Lotharingiam profugum, caſtigatione ſororis permotum, Fratri Imperatori ſupplicaſſe, atque Ingelnhemii in cuſtodiam traditum eſſe. *Witichindus* haud paulo aliter, Everhardum, ait, ob inimicitiam cum Bruningo ſuſceptam, urbemque ejus Elveri (*Meibomius* Hilvershuſam aut Elmershuſam putat) ſuccenſam, cum ſociis multatos eſſe pecunia & ignominia; mox tamen in gratiam receptos à pravis conſiliis non deſtitiſſe. Renovato enim inter Everhardum & Bruningum diſſidio, turbatores pacis ad comitia vocatos, quamquam non comparuiſſent, veniam impetraſſe. Quam cum illi cauſam licentiæ continuandæ haberent, Dancmaro (ſ. Thancmaro) Heinrici Aucupis ex concubina filio adjuncto ſuis partibus Badiliki (Bellick) oppidum captum, indeque Henricum Ottonis fratrem in captivitatem abductum eſſe. Secutam inde Dancmari cædem Heresburgi; quam urbem ſucceſſu prioris victoriæ provectus occupaverat. Ea re Everhardum perculſum, captivo ſuo ſupplicaſſe, fœdusque cum eo adverſus Ottonem percuſſiſſe. Subinde Henricum ſimulata fide ad Fratrem rediiſſe; Everhardum, deprecante pro eo Archiepiſcopo Moguntino Friderico, poſt breve exilium reſtitutum eſſe. Poſt hæc narratur nova Henrici conſpiratio, prætextu convivii Salfeldiæ inſtituta: in qua multi Henrici partes verbo amplexi, ea conſilia tamen dederunt, quorum fructus ad Ottonem pertineret. Horum auctoritate inductus, relictis fortiſſimis Saxonum & Thuringorum nationibus, ad imbelles Lotharingos ſe contulit, ibique Giſelbertum ſibi adjunxit: cladis mox ad Rhenum ſecutæ ſocium habiturus. Defecerant ad famam hujus cladis ab Henrico pleræque urbes, præter Schidingam & Mersburgum. In hanc cum ſubitus advolaſſet, obſeſſus à Fratre dedidit urbem, pactus ut intra 30. dies vel Saxoniâ diſcedere vel veniam petere liceret. Sed mox in Lotharingiam abiit, Giſelbertum iterum ſibi

lib. 2. annal.

ſibi concilians. Tum demum, *Witichindus* refert Everhardum, ſprera religione ſacramenti, iterum acceſſiſſe ad rebelles; vitamque, quo dictum eſt, modo amiſiſſe. Inde permiſſum Henrico, ut Lotharingiam incoleret: ubi denuo conſpiravit in Ottonem. Detectoque facinore, & punitis conſciis, fuga ſibi conſuluit. Tandem precibus Mathildæ matris evictus Otto iterum ignovit fratri, eumque regno Bavariæ, Bertholdo mortuo, præfecit, fidumque in poſterum expertus eſt. Hæc, qui in *Witichindo* diſperſa leget, facile animadvertet, cur à nobis ſummatim repetita ſint. Proxima auctoritas debetur *Supplemento Reginonis*, cujus auctor itidem æqualis horum temporum videtur fuiſſe. Is anno 937. inteſtinas diſcordias inter Heinricum fratrem Regis & Eberhardum ducem Francorum natas eſſe refert, *ob exortas inter Vaſallos eorum inimicitias.* Inſequente anno Henrici captivitatem, & Everhardi exilium 938.
ponit. Anno 939. *Eberhardus ab exilio revertitur, totumque regnum inimicis & rebellionibus confunditur. Eberhardus enim & Giſelbertus cum Heinrico fratre regis adverſus regem conjurant, ſed quidam eccleſiaſtici viri nequam, & Deo odibiles cum illis factione concordant, omniaque paſſim pacis & concordiæ jura turbabant.* Sequitur clades apud Biertanam (*Liuthprandus, Bierzum* appellavit, & apud Rhenum collocavit) & eodem anno alia clade exitium Eberhardi & Giſelberti apud Andernacum: Heinrici ſupplicis reconciliatio, epiſcoporum exilium; & Danemari cædes, quam *Witichindus* longe citerius poſuerat. In hac chronologia conſentiunt *Supplemento Reginonis*, *Hermannus Contractus* & *Marianus Scotus*. *Lambertus Schaffnaburgenſis* captivitatem Henrici anno 937. exitium Eberhardi & Giſilberti anno 938. annotat. Cum quo facit *Chronicon Hildensheimenſe* his verbis: 937. *Eberhart Comes Heinricum filium Heinrici Regis captum projecit in vincula*: 938. *Eberhart & Giſilbrat interfecti ſunt.* *Sigebertus* in chronologia, ut ſemper, longe ulterius excedit. [*Idem* vocat Eberhardum *Comitem palatii.* Quod ſi verum eſt, colligas inde licet, *Dapiferi* officium, quod Everhardus geſſit, cum Otto conſecraretur (menſæ enim præerat) non fuiſſe tum perpetuum, ſicut opinantur multi; ſed temporarium.] Inter ſocios rebellionis hujus *Continuator Reginonis* ponit Wichmannum Hermanni Billingi fra-

Gg trem

trem anno 939. *Hac tempeſtate non in uno ſolum, ſed in omnibus Saxoniæ & Franciæ provinciis, huc & iuuc verſabatur Wigman Saxo rebellans, ſed reconciliatur.* Paulo diſtinctius apud *Witichindum*, Lib. 2. Wichmannus inter primos rebellaſſe, eo quod Prælatum ſibi fratrem Herimannum, quem Otto *principem militiæ* conſtituerat, ægre ferret; ſed averſatus poſtea ſeditioſorum facinora, ad officium rediiſſe, ante Dancmari cædem & Henrici cum Eberhardo conſpirationem, atque fortem fidelemque in poſterum operam Regi præſtitiſſe, traditur. Anno 940. *in Supplem. Regin. Heinrico fratri regis Lotharienſis ducatus committitur, qui mox eodem anno à Lotharienſibus expellitur*, ſubſtituto Ottone Comite. Anno 941. Henricus iterum *conſpirat cum quibusdam* 942. *Saxonibus:* quibus punitis ipſe cuſtodiæ mancipatur Ingelnheymii; ex qua ſequenti anno elapſus ſupplex à fratre veniam impetrat. Ex Bavaria deinde per legatos, Italicorum animos à Luidolpho filio Ottonis alienaſſe, anno 951. refertur: ſe- 952. quente, Marca Veronenſis & Aquilejenſis ei à fratre Ottone committitur. Anno 953. fratri Ottoni Moguntiam obſidenti auxilium fert; & invicem ab eo juvatur. Anno 955. *deſperatis rebus recuperatis, recepto Bavariæ ducatu obiit: cujus filio Henrico Pius Rex ducatum & Marcam dedit.* Addenda eſt *Hroſſuitha de geſtis Oddonum.* Henrici cauſæ in regno obtinendo, favit mater Mathildis, ſi credimus *Dietmaro ſub finem lib.* 1. Quid *Ekkehardus* de hac hiſtoria tradat, ſupra attulimus in Aucupe, ad cujus tempora, per errorem iſte retulit.

Dicendum jam eſt aliud diſſidium civile, auctore Luidolpho Ottonis filio conflatum. Initium anno 951. finem 954. *Continuator Reginonis* refert. Cauſam *Frodoardus* (*ad ann.* 953.) hanc affert, quod Otto *filio ex moderna conjuge* (Adelheida) *ferebatur regnum promittere Liudulfo olim delegatum, cui magnates jurejurando fidelitatem promiſerant.* Conſentit *Witichindus*, Luidolfum novis Patris nuptiis triſtem abſceſſiſſe, *& aliquandiu moratum eſſe in loco conſiliis funeſto Salaveldun.* Paulo altius rem arceſſit *Supplementum Regin.* quod Luidolphus, cum animadvertiſſet Patrem Italiam cogitare, præceſſerit, rebusque bene gerendis, *patri, ſi quid ibi ad ingreſſum ſuum fortiter ageretur, placere deſideraverit.* Sed cum nihil pro ſpe egiſſet, & patrem non

non conſultum ſuper ea re, offendiſſet, *totius inde rebellionis & diſcordiæ ſeminarium ſumpſiſſe*, ait. Subjicit poſtea & alteram cauſam, de qua dictum eſt. *Sigebertus* ante matrimonium Ottonis cum Adelheide, rebellionem Liudulphi ponit. At *Hrosvitha* quantum differt ab iis, quæ in *Supplemento Reginonis* traduntur? Poſtquam præmiſerat Ottonis conſilium de occupando Italiæ regno, Luidolfum optimo conſilio, nec deteriore ſucceſſu uſum inducit:

Hoc, ubi colloquio ſenſit narrante paterno,
Patris amor verus, ſpes & gentis Luidulfus,
Non ſua ſollicitans, patris ſed commoda tractans,
Perpaucis ſecum ſociis ſecreto reſumtis
Italiam petiit, fortique manu penetravit,
Exhortans patris imperio populum dare collum:
Moxque redit clarum referens ſine Marte triumphum.

Addit gaudium Ottonis, & inſecutam ipſius expeditionem Italicam; in qua cum ſe retineri cerneret,

Luidulfum placuit charum præmittere natum,
Ut gens Saxonum fortis volitaret ad illum
Et regnum ſub patrono ſtaret ut bene tanto.
Qui parens juſſis devota mente parentis
Ad patriam rediit curam regnique recepit,
Omnia prudenter nec non nimium ſapienter
Complens, in patria quæ tunc fuerant facienda.

In ſequentibus etiam, *Panegyricus hujus Poëtriæ* facit quidem mentionem triſtitiæ, quam Luidulfus ex eo conceperit, quod Adelheida Regina Henricum Regis fratrem plus diligere videretur: quâ re pater animadversâ, placaverit Luidolfum regno Italiæ non promiſſo tantum, ſed per jusjurandum populi ſtabilito. Habet hæc narratio aliquid artis & diſſimulationis. De cetero æmulatio inter Henricum & Luidolfum non minima harum turbarum cauſa fuit. Exercuit eam uterque, acerbiſſime invicem obtrectando & machinando. Conradum quoque Francorum Ducem Ottonis generum non alia interior cauſa, quàm inimicitia Henrici transverſum egit, & ab Ottone alienatum Luidolphi conſiliis ſociavit. Quod enim Berengarius, conſilio Conradi ad Ottonem profectus, parum pro ſpe tra-

ctatus eſſet, fraude Heinrici factum credebatur, teſtibus *Witichindo & Continuatore Reginonis.* Qui & illud memorat; cum Luidolphus & Chunradus prima vice ſe ſubdole purgarent Ottoni, nullam niſi in Henricum Regis fratrem vim parari, teſtatos eſſe. Ingens fuit hæc rebellio, propter auctoritatem Luidolphi ab omnibus dilecti, & Chunradi Ducis; illius Filii, hujus Generi Ottonis. Erant in partibus, è *Francia*, *Saxonia*, *Bavaria* ferociſſimus quiſque: nec parum momenti attulit Fridericus Moguntinus Archiepiſcopus; quem omnibus horum temporum turbis ſe mobilitate mira inſerentem, veteri verbo, *deſultorem bellorum civilium* vere appellaveris. Nam *ſicubi vel unus Regis inimicus emerſit, ipſe ſe ſtatim ſecundum appoſuit:* ut eſt in *Supplem. Regin.* Lotharingi quoque partes rebel-
953. lantium ſequebantur: ſed hi ad pœnitentiam primi fuerunt, Ottonique faciliorem fecere victoriam. Obſeſſa eſt Moguntia, quæ inimicis Regis dedita erat. Sed Luidolphus res Henrici in Bavaria raptum ibat. Ita ſolvit obſidionem Moguntiæ Ot-
954. to, & Ratisbonam obſidet: cujus deditione vis rebellionis concidit. Luidolphi pertinaciam inde etiam hiſtoria oſtendit, quod obſidione Moguntina egreſſus cum Conrado, veniam actorum accipere noluit, niſi & complicibus caveretur. Sed inſtar omnium eſt argumentorum, quod ipſe Dux Conradus, ipſe Moguntinus Archiepiſcopus apud Ratisbonam non potuêre vel verbis vel exemplo obſequii inflectere juvenis accenſi animum, donec paternis armis ad ſupplicandum coactus, ne ſic tamen conditiones admittit; ſed malo domari cupit. Tandem ergo, nudis pedibus ſupplicat, patriſque animum armis indomabilem lacrymis expugnat. Quæ ex *Witichindo* potiſſimum repetenda ſunt. Quin in his turbis emendandis, nimis ſe mitem præbuerit Otto, eaque re audaciam rebellium auxerit, vix dubitari poteſt. Quamquam & illud verum eſt, indulgentiam ejus gravibus nixam rationibus generoſi animi pleniſſimam laudem emeruiſſe.

937. Partem turbarum Bavaria tulit, extincto Arnolpho Duce. *Ejus* enim *filii ambitione Ducatus Regi* (Ottoni) *rebellarunt: quos ipſe debellaturus in Bavariam ibat, ſed non, ut voluit, eos pacificare volens, revertitur.* Ita *Supplementum Reginonis* anno 938. Interponit

ponit deinde Henrici captivitatem, at ſubinde ita proſequitur: *iterumque Rex in Bavariam revertens, omnes ſibi ſubdidit, & Eberhardum Arnolphi filium plus aliis rebellem in exilium miſit.* Contractius *Witichindus.* *Ea tempeſtate defunctus eſt Arnulfus Bajoariorum Dux, & filii ejus in ſuperbiam elati, Regis juſſu contemſerunt ire in Comitatum.* Paucis interjectis: *Rex autem tranſivit in Bajoariam, & rebus ibi rite compoſitis, reverſus eſt in Saxoniam.* Ad quæ verba, *Henr. Meibomius*, ex *Aventino*, qui hanc hiſtoriam accuratius digeſſit, ſupplet ſeriem & momenta negotii, ſupra quoque perſtricti. Eberhardus autem natu major de filiis Arnolphi in Sueviam relegatur ab Ottone; Arnolphus & Hermannus minores natu, præfecti prætorio in Bavaria conſtituuntur; Ducatus Bertholdo Arnolfi defuncti germano, una cum nepte Ottonis, Giſelberti filia, traditur. Reverſus in Bavariam Eberhardus, iterum exulare jubetur. Morte Bertholdi, ut ante diximus, Heinrico Ottonis fratri ceſſit Bavaria: quam eripere ei conati Arnulphus & Herimannus, bello ceciderunt. Sed hæc poſtea acciderunt.

2. annal. *lib. 4.*

Ex Bohemia quoque in novum Regem coorta eſt tempeſtas, dum Boleslaus Boëmiæ Princeps (Boizlaum *Sigebertus*, Bolizlaf *Witichindus*, vocant) fratrem Wenceslaum, quem Otto Ducem Boëmiæ conſtituerat, occidit; & vicinum ſubregulum, itidem Saxonibus parentem bello petit. Vocatus in auxilium Otto, mutuis cladibus geſſit per plures annos id bellum: cujus hiſtoriam præcipue *Witichindus* exequitur, & in recentioribus, *Æneas Sylvius in Bohemicis.* *lib. 2.*

Reſtituram Germanico imperio per Henricum Aucupem *Lotharingiam*, ſupra notavimus. Eam & Otto noſter aſſeruit, quamquam variis turbis inquietatam. Mobili homines ingenio, rebus novis ſtudendum rati, dum novi Regis auctoritas inter diſcordias domeſticas fluctuat, Ludovicum Transmarinum Galliæ Regem, Ducem rebellioni ſuæ quærunt. Quem multa conantem Otto armis conſiliiſque ſubmovet. Narratio *Supplementi Reginonis* hæc eſt anno 939. *Tunc Rege* (Ottone) *Lotharios ubi tunc rebellionis ſumma gerebatur, adeunte, Giſelbertus cum fratre Regis tranſitum Rheni Regi prohibere volens, nec valens juxta Biertanam ſociis Regis congreditur; Deoque victoriam*

præſtante, pluribus ſuorum occiſis, aliisque fugatis, ipſe & frater Regis fugæ ſubſidia petunt. Quos Rex inſequens uſque ad Caprimontem pervenit, caſtellumque in eo ſitum firma undique obſidione circumdedit. Interim Ludovicus Rex Galliæ Romanæ, filius Caroli (Simplicis) *conſilio inimicorum Regis ſub obtentu requirendi Lotharienſis regni, quod pater ſuus perdiderat, Alſatiam invaſit: ubi quaq; poterat plus hoſtiliter quam regaliter geſſit. Quod Rex Otto patienter non ferens, Caprimontem obſidione abſolvit, & Alſatiam petens Ludovicum regem expulit. Quo expulſo, Briſacum caſtellum munitiſſimum obſedit.* Ad annum 953. hic locus vocatur *civitas Briſacum caſtellum latibulum ſemper Deo Regique rebellantium.* Apud *Wittichindum*, *Briſeg* appellatur, ubi nota *Meibomii* videri digna. In hac obſidione Archiepiſcopus Moguntinus & Epiſcopus Strasburgenſis Regem Ottonem deſeruerunt; & in Lotharingiam profugerunt. Comes autem quidam Ottonem videns transfugiis ſuorum nudatum, impudenti prece Abbatiam Laureſheymenſem petiit, pretium ſcilicet remanendi. At Otto graviſſima voce eum coarguit; & in pudo-

C. Urſperg. rem dedit. Interea extinctis, ut ſæpius dictum eſt, Eberhardo & Giſelberto, *Briſacenſes caſtellani regiæ* (Ottonis) *dominationi ſubduntur, & caſtellum obſidione abſolvitur. Tunc* (ita pergit de Ottone referre *Continuator Reginonis*) *iterum Lotharienſes adiens, omnes ſuo ſubjugavit imperio. —— —— omnibus tamen Lotharienſibus ſubactis, aliquandiu reſiſtere conatus eſt Epiſcopus Metenſis.* Sed & ipſe mox pacatur. *Frodoardus in Chronico* eodem anno 939. poſtquam memoraſſet, Lotharienſes à Ludovico Gallorum Rege non receptos primo; ſubinde tamen receptos, exceptis epiſcopis, qui committere ſe ei diſtulerunt, eo quod Otto Rex obſides eorum teneret; cetera ſic continuat: *Rex interea Ludovicus Viridunenſem pagum petit, ubi quidam Regni Lotharienſis Epiſcopi ſui efficiuntur, indeque in pagum proficiſcitur Eliſatium, locutusq; cum Hugone Ciſalpino & quibusdam ad ſe venientibus Lotharienſibus, nonnullis quoque Ottonis Regis fidelibus trans Rhenum fugatis, Laudunum revertitur.* Eodem tamen anno regreſſus in regn. Lotharienſe, Giſelberti viduam Gerbergam Ottonis

940. ſororem duxiſſe uxorem refertur. Anno inſequente, *Otto Rex Heinrico fratri ſuo regnum Lotharienſe committit: & contra Ludovicum in Burgundiam exercitum movet, habens ſecum Cunradum filium*

Rodulfi

Rodulſi Regis Jurenſis, quem jamdudum dolo captum ſibique adductum retinebat. Caſtris ſuper Sequanam poſitis obſides ab Hugone Nigro accepit cum juramento, ne eſſent nocumento Hugoni & Heriberto. --- atque ita revertitur ad ſua. Eodem anno *Ludovicus in regnum Lothorienſe venit*, ut & Otto Rheno tranſito contra eum: ſed induciæ fiunt. De matrimonio Ludovici Gall. R. cum Gerberga, & antegreſſis, aliter habet *Fragmentum hiſtoriæ Francicæ apud Franciſc. du Cheſne*, his verbis: *Quinto quoque regni Ludovici anno* (is eſſet 941.) *Otto Transrenenſis Regnum Lotharienſe à Ludovico ſuſcepit, & Henrico fratri ſuo illud commiſit. Septimo vero regni ſui anno* (is eſſet 943.) *Rex Ludovicus firmatis ſibi Aquitanis Laudunum revertitur, & inde Ottoni Regi obviam proficiſcitur, & Gerbergam ejus ſororem ducit uxorem.* Quæ cum *Sigeberti chronologia* conveniunt. Sed redimus ad *Frodoardum*: qui anno 942. conventum Ottonis & Ludovici ponit, ubi *ſe amicabiliter mutuo ſuſcipientes amicitiam ſuam mutuo firmaverunt conditionibus.* Anno autem 943. *Otto Rex quoſdam fideles Ludovici, qui ſibi inſidiabantur comprehendit & in cuſtodiam miſit, unde inter ipſos Reges exoritur ſcandalum.* Anno 944. *Herimannus ab Othone cum exercitu in Lotharienſe regnum mittitur, qui Ragenarium & Rodulfum regis Ludovici fideles vincit.* Subjicitur nova ſimultas à Ludovico cœpta, dum Ottoni per legatos querelas impotentius allegat. Hinc jam conſtantius amicitiam coluit Ludovicus, neque de Lotharingia ullam amplius diſceptationem movit. Bruno poſthæc frater Ottonis, Archiepiſcopo Colonienſi Wigfrido ſuccedens; *totius Lotharienſis regni Ducatum & regnum cum epiſcopatu ſuſcepit*, anno 953, ut eſt in *Supplemento Reginonis*. Anno ſequente, *Chunradus Dux cum Lotharienſibus, duce Brunone Archiepiſcopo, in Belenſi pago apud villam Rimlinga congreſſurus erat. Sed in ultimo, quia contra Regem erat, Deo volente ne fieret, remanebat.* Conatus hic fuit Conradi adhuc cum Luidolpho rebellis. Biennio poſt, in Comitiis Engelenheimenſibus Otto Imperator de cunctis pæne Lotharienſium oppidis *obſides* accepit: & eodem anno in Comitiis Colonienſibus, *non paucos theſauros*, memorante *Frodoardo*. Anno 958, (*ut Continuator Regin.* habet; vel, ut *Frodoardus* 957.) Bruno Reginerum ſ. Ragenarium Comitem Montenſium, fiducia neceſſitudinis Giſelberti extincti, Lotharingiæ imminentem,

Tom. 3. p. 340.

954.

ann. 956.

adde *Sigebert. ad ann* 959.

nentem, in vincula primo, inde in exilium miſit. Cum deinde (*Frod.* 958.) Bruno *cum exercitu Lotharienſium per Franciam profectus eſſet in Burgundiam, locuturus cum ſororibus ac nepotibus ſuis,* hac occaſione domi Lotharienſes (959.) *Immone quodam duce deficiunt, ſed revocatis* ad officium *Fridericus Comes præficitur vice Brunonis:* anno autem inſequente (960.) Bruno ex Gallia, quo in auxilium vocatus erat, rebellibus in Lotharingia comprimendis feſtinat. Anno 961. cum Otto in Italiam profecturus Ottonem filium Regem declararet, Lotharienſium quoque applauſus memoratur *in Supplemento Reginonis.* Obitum Brunonis refert ad annum 965. Inſequente anno, id eſt, penultimo *Supplementi*, Imperator, *Coloniæ cuncta Lotharienſis regni negotia, prout ſibi videbatur, diſpoſuit.* De Brunonis quadam molitione, in gratiam Hugonis Generi ſuſcepta, perpetuisque deinceps obſequiis emendata, non ſatis plana extat commemoratio apud *Ditmarum lib.* 2. *pag.* 20.

Frodoard.

In hac de ſtatu Lotharingiæ commemoratione, animadverti potuit, quomodo ſe Teutonici regni rebus miſcuerit Gallia, quæ eodem anno, quo Henrico ſucceſſit Otto, Ludovicum Ultramarinum regem accepit. Qui, cum patris Caroli Simplicis adverſis involvi metuens, in Anglia hactenus latuiſſet, Rodulfo extincto rediit, adjutus præſertim auctoritate Guillelmi Principis Nordmannorum: qui inductus per legatos Alſtanni (ſ. Aethelſtanni) Angl. Regis, Proceribus Franciæ ut reſtituerent Ludovicum in regnum patrium, perſuaſerat. Sed exercuerunt eum ſubinde variæ diſcordiæ: auctoribus atque agentibus Hugone Magno Roberti regis defuncti filio & Herberto Comite, qui & ante inquietandâ Galliâ præcipuum nomen tulerunt. Cum his poſtquam ſuſcepiſſet inimicitias Ludovicus, illi diverſas partes amplexi, Ottonem noſtrum ſibi conciliarunt. Qui cum his & Arnulfo Guillelmoque Nordmannorum Principe colloquium habuiſſe anno 939. *& acceptis ab eis pacti ſacramentis trans Rhenum regreſſus* memoratur apud *Frodoardum.* Ex quo etiam diſcimus, *Hugonem & Heribertum* anno ſequente *ad Ottonem iterum iviſſe, eumque ad Attiniacum perduxiſſe; ubi & Rotgerius Comes ei ſe commiſerit.* Anno 941. Herbertus iterum ad Ottonem trans Rhenum proficiſcitur.

Fragm. hiſtor Franc. apud Franciſc du Cheſne tom. 3. *pag.* 340.

940.

tur. Hæc in tempora Lotharingicarum Ludovici molitionum, de quibus dictum eſt, incidunt. Poſtea deſideranti auxilium Ludovico non defuit Otto, ſed generoſæ indolis memor ſumma ope annixus eſt, *ut Hugonem ad Ludovicum converteret*, ut loquitur *Frodoardus*. Intervenerunt deinde, ut ante oſtendimus, novæ à Ludovico offenſiones: qui & ipſe domi partim ab Heriberti filiis, partim à Nordmannis exagitatus, ad extremum dolo captus eſt. Tum ergo iterum Otto, precibus ſororis adductus, auxiliatum Ludovico occurrit: cum quo, interim Anglo Rege annitente, liberato adverſus Hugonem arma ſociat: annoque inſequente inducias inter eos facit. Subinde, recrudeſcentibus turbis, Conradus cum exercitu Lotharingico in auxilium Ludovici mittitur. Cum ne ſic quidem Ludovicum reſtitutum impugnare deſineret Hugo, Gerberga Regina, quam Ludovicus uxorem duxerat, olim Giſelberto nuptam, denuo ad fratrem Ottonem profecta, ſpem auxilii reportat. Transgreſſusque Moſellam Ludovicus ad Ottonem, ope conſilioque juvatur, miſſo ad conficiendum negotium Conrado. Hæc fere ex *Frodoardi Chronico*, conferenda cum iis, quæ *Fragmentum hiſtoriæ Franciæ* aliquoties jam laudatum habet: ubi præſertim controverſia cum Nordmannis diligenter explicatur. Addi poteſt *Supplem. Regin. anno* 946. *Sigebertus ann.* 948. & 949. Mors Ludovici *in Fragmento* refertur ad annum 952. apud *Frodoard.* 954. Nam *Sigebertus* ſemper diſcrepat. *Paulus Æmylius* 955. ponit. Succeſſit *Lotharius* filius, qui Ottonis amicitiam ac neceſſitudinem reverenter habuit: & conjunctiſſimum Germanico nomini Gallicum fecit, donec Otto primus ſ. Magnus ſupereſſet. Poſtea enim diſcordatum eſt. Fuere Lothario controverſiæ cum Hugonis Magni defuncti filiis: quas Bruno Archiepiſcopus & Dux in Galliam profectus compoſuit: talibusque propoſitis immortuus eſt Compendii. Nam & aliæ lites inter Ricardum Normanniæ Ducem & Theobaldum Comitem Carnotenſem in bella excreverant. Anno, ut eſt apud *Frodoard.* 959. Lotharius cum matre Regina eademque ſorore Ottonis, & totâ aula Gallica ad Ottonem Coloniam venit. Id, ut cœpi dicere, *Frodoardus* ponit ante tempus coronati Romæ Imperatoris. At *Paulus Æmylius*,

[Margin: *ann.* 944. — 945. — 946. — 947. — 948. — 949. — 950. — *v. Fragm. hiſt. Franc. ap. Franc. du Cheſne tom.* 3. *p.* 343.]

Reginonis Supplementum ſecutus, poſt reditum, ſolennis illius congreſſus lætitiam collocat, & magnifica oratione celebrat.

Debemus omnino ad hunc rerum contextum adjungere res Italicas. Hugone cum filio Lothario regnum Italiæ jam ab anno 932. tenentibus, factum eſt ut animi multorum ab iis alienarentur. In his Berengarius, cum malum metueret ab Hugone, in quem moliri aliqua compertus erat, ad Hermannum Sueviæ Ducem confugit: per quem Ottoni commendatus, & ſubinde à legatis Hugonis ad deditionem poſtulatus eſt. Sed Otto ſupplicem tuendum ratus, nullo pretio, ut proderet eum induci potuit. Creſcente interea Italicorum in Hugonem odio, de quo per fidum exploratorem cognoverat, Berengarius in Italiam redit. Adventanti Formicaria proditione Manaſſis Archiepiſcopi Arelatenſis deditur. Mox & Milo Comes, horumque exemplum ſecuti plerique Italiæ proceres Hugonem deſerunt. Qui, deſperato regno, ad Berengarium & Mediolanenſes, ubi is pro rege ſe gerebat, filium ſuum Lotharium miſit, ſupplicaturum infimis obteſtationibus, ut, ſi pater Italia, quod deſtinaverat, excederet, filio tamen innocentia ſua ſuffragaretur. Obtinuit Lotharius, ut Hugoni patri, ſibique confirmaretur regnum verbo: re autem vera, priſtino marchionis vocabulo Berengarius regiam poteſtatem occultabat. Donec Hugo diſſimulato ſuæ diminutionis tædio, cum Lotharium filium Berengario commendaſſet, cum omni pecunia, cui hactenus tàm ſtudioſe inſidiatus erat Berengarius, ſe in Provinciam abſtulit. Pauloque poſt ſupremum diem obiit. Poſt Hugonis mortem Berengarius inſolentius ſpreto Lothario, regia munia uſurpabat: quamquam Conſtantinopolitanus Imperator Conſtantinus per legatos ipſi Lotharium ſororium commendaverat. Hæc ex *Liuthprando* potiſſimum repetenda ſunt: qui Berengario huic ab epiſtolis fuit; & ab eo legatus Conſtantinopolim miſſus eſt. Quæ ſequuntur, *Appendix Liuthprandi* (prævio hiatu) & *Supplementum Reginonis* ſuppeditant. *Sigonius* autem per annos digerit omnia. Lotharius Hugonis filius ex dolore animi in phreneſin actus, altero poſt anno extinguitur relicta Adelhaida vidua, quæ dotis nomine Papiam obtinebat. Cujus matrimonium cum pro filio

v. Liuthpr. lib. 5. cap. 4. & 5.

Liuthpr. 5. cap. 12. & ſeqq.

Frag. Chron. Caſſin. etiam Lotharium ut in patrem impium accuſat. apud *Franciſc. du Cheſne tom. 3. pag. 649.*

de regn. Ital. libr. 6.

filio Adelberto, quem ſocium regii nominis ac imperii jam aſſumſerat, Berengarius fruſtra petiiſſet, Papiam cum ipſa Adelhaida capit. Quæ cum ex cuſtodia profugiſſet, & ad Athonem Canuſſium ſe contuliſſet, Berengarius omni ope impediendum judicans, ne externo matrimonio potita ad regnum novo marito viam ſterneret, Canuſſium arctiſſima obſidione premit. Atho, cum alia auxilia non haberet, ad Othonem Teutonicum, virtutis gloria longe lateque florentem reſpexit: ejusque opem, demonſtrata non ſegniter ſpe regni Italici unà cum matrimonio Adelheidæ potiendi, implorat. Secuta eſt Ottonis in Italiam expeditio (ad cujus famam obſidio Canuſſii ſoluta eſt) matrimonium Adelheidæ, & occupatio regni Italici. de qua ante dictum eſt. *Frodoardi Chronicon* addit: *ann.* 952.
Ottonem jam tum *legationem pro ſuſceptione ſui Romam direxiſſe,* addc *Baron.*
qua non obtenta, cum uxore ad ſua regreſſum eſſe. Berengarium 952. §. 1.
poſtea, per Conradum ad res componendas in Italia relictum, adductum, regnum Italiæ ſuſcepiſſe beneficii nomine adminiſtrandum, ſupra oſtendimus. Sed occaſione rebellionis in Germania excitatæ Berengarius deficit, avareque & ſuperbe in Italia dominatur. Itaque Pontificis Agapiti mul- *Sigon.*
torumque illuſtrium virorum tyrannidem Berengarii averſan- 955.
tium deſideriis extimulatus eſt Otto, ut eccleſiaſticas res & civiles vindicatum defenſumque iret. Sed quo minus ſtatim repræſentaret auxilium, bellis varie diſtractus eſt. Miſit ta- 956.
men filium Liudulphum: quem non improſpere res in Italia gerentem acerba mors intercepit. Renovatæ ſunt preces 960.
poſtea legatione Joannis Pontificis & Procerum ad Ottonem *Liuthpr.*
confugientium obteſtationibus, quibus effectum eſt, ut Ita- *append.*
liam Romamque Otto firmis obſequii vinculis devinciret, 962.
& à Pontifice coronaretur, ſicut antea oſtenſum eſt. Defecit cito, ut ſolebat, Roma, donec ab Ottone denuo compeſceretur. Ita vix ſpatium fuit Berengarium & Willam uxorem, hactenus captivitatem ſuam latebrâ differentes, vinculis mancipare. Statim enim redeundum fuit ad ſeditioſitatem in- 964.
gratorum Romanorum non ſimplicem ulciſcendam. Regreſſo in Germaniam Imperatore, Itali Adalbertum Berengarii filium ex latibulis ſuis reducunt: quem Otto, miſſo Bernhardo A- 965.

lemannorum Duce, ulciſcitur. nec longa quies. Adalberti nomine abutebatur, quicunque male erga Ottonem animatus erat. Iterum ergo Ottoni in Italiam redeundum, & res turbatas componendum fuit. Hac tertia expeditione etiam filium cognominem Otto in Italiam ad ſe evocavit: qui & Romæ coronatus eſt. Ceterum quem dederit Otto Italiæ ſtatum, aut quæ inſtituta repererit firmaveritque, diligentia præcipua ſibi per digreſſionem explicandum duxit *Sigonius, poſt finem hujus Imperatoris.* Quamquam autem non plane abs re dixit, *univerſam ab hoc tempore Italiam renovatam, aliam prope in omni inſtitutorum genere eſſe factam*; multa tamen ſunt in illa diſſertatione antiquis Francis uſitata, quæ forte diſtingui à novis accuratius debebant. Neque ſatis appoſite nectuntur, aut temporibus diſcriminantur, quæ de Regum & Imperatorum conſecratione, ultra citraque id ævi affert. Verum de his aliàs.

966.

967.

de regn. Ital. 7.

De *Hungaris* perturbandæ ſemper Germaniæ intentis, poſtea.

Comitia parce memorant horum temporum Hiſtorici, imperitiâ reipublicæ, agendarum rerum momentis formulisque parum intenti. Sub initia imperii Ottonis ortas controverſias inter Everhardum & Bruningum, ſupra oſtendimus. *Qua præſumtione Rex* (Otto) *audita condemnavit Everhardum centum talentis æſtimatione equorum, omnesque principes militum, qui eum ad hoc facinus adjuvabant, dedecore canum, quos portabant usque ad urbem regiam, quam vocitamus Magadaburg.* Hæc pœna *Witichindo* relata, quin in Comitiis decreta ſit, vix dubitaveris; ſi recorderis publica ejusmodi crimina rebellionis, turbatæ pacis, cum ſimilibus, ad Comitiorum plerumque diſceptationem vocata eſſe, ut condemnatio ſolennius facta, ad exemplum inſignior eſſet. De ipſo genere pœnæ i. e. de Κυνοφορία, legenda eſt *Meibomii* nota ad hunc *Witichindi locum*, & *Conr. Ritterſhuſius ad Guntheri Ligurin. cujus libr.* 5. *à v.* 194. egregius etiam eſt de hoc more locus. Deſcribit his notata diligenter *Beſoldus in Theſ. pract. voc.* Hund tragen. Creſcente diſſidio inter Everhard. & Bruning. Comitia iterum indicta ſunt paulo poſt Stelæ in Weſtphalia ad Ruram. *Exiit edictum à Rege,* inquit

lib. 2.

inquit Witichindus, *ut univerſalis populi conventio fieret apud villam, quæ dicitur Stela.* Duo ibi potiſſimum negotia tractata referuntur: primum ad Leges pertinebat, utrum in cernenda hæreditate filii filiorum deberent inter filios computari; alterum, de pacis turbatoribus. De priore ita *Witichindus*: *De legum quoque varietate facta eſt contentio, fuereque qui dicerent, quia filii filiorum non deberent computari inter filios, hæreditatemque legitime cum filiis ſortiri, ſi forte patres eorum obiiſſent avis ſuperſtitibus.* In Comitiis ergo Stelenſibus *factum eſt, ut cauſa inter arbitros judicaretur debere examinari. Rex autem meliori conſilio uſus, noluit viros nobiles ac ſenes populi inhoneſte tractari, ſed magis rem inter gladiatores diſcerni juſſit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios: & firmatum eſt, ut æqualiter cum patruis hereditatem dividerent pacto ſempiterno. Sigebertus* ad annum 942. in hunc modum effert: *Orta diſſenſione inter Principes de varietate legis, utrum deberent avis ſuperſtitibus filii filiorum poſt parentes defunctos hæreditare, an exheredatis fratruelibus deberet hæreditas ad patruos redire; ex Regis Ottonis omniumque Principum ſententia cognitio veritatis commiſſa eſt gladiatorio judicio, ceſſitque victoria his qui cenſebant fratrum filios debere cum patribus* (ſcr. patruis) *hæreditare.* De legis ipſius æquitate tum apud Germanos conſtituta videri meretur *Grotius de I. B. 2, 7, 6, & 22. & 30.* Quanti autem his temporibus æſtimatum ſit *judicium gladiatorium,* de quo ſæpius in ſuperioribus, etiam alia exempla monſtrant. In *Supplem. Regin.* anno 950. *Cunradus filius Eberhardi Comitis, qui cum quadam nepte Regis ſe concubuiſſe ſibi impoſuit, à quodam Burchardo Saxone monomachia victus, feſelliſſe ſe patefecit.* In *appendice Liuthprandi*, ſi vera narrantur, Otto Imperator legatis ad Pontificem miſſis, eorum *militibus hoc impoſuit, ut ſi ſecus dominus Papa non crederet, duello verum eſſe approbarent.* Cujus momenti ſit ratio, quæ Ottonem induxit, ut armorum certamen, arbitrorum ſententiæ præferret in Comitiis Stelenſibus, non eſt curioſius inquirendum; partim enim opinio vulgaris & conſuetudo ſæculi, in oculis eſt: partim prærogativam aliquam nobilibus & illuſtribus perſonis quæſitam, ex peculiari genere judicii, apparet. Quæ & citerioribus temporibus ratio valuit, Auſtregis conſtituendis. Sed progre-

 diendum

diendum eſt ad alterum caput Comitiorum Stelenſium: *ubi pacis turbatores facti ſunt manifeſti, qui hactenus ſe negabant contra regiam poteſtatem aliquid feciſſe, ſed injuriam tantummodo in ſocios vindicaſſent.* Intelligit *Witichindus*, crimen rebellionis demonſtratum, & prætextum res novantibus uſitatum deprehenſum eſſe. *Rex autem ſe contemtum ab eis animadvertens, neque enim ad placitum* (comitia) *juxta juſſum venire dignati ſunt, arma diſtulit, veniæ locum dedit.* Quæ clementia irritamentum audaciæ ſeditioſis fuit. Quæ *Supplem. Regin.* tradit anno 941. de *decollatis quibuſdam Saxonibus*, qui cum Henrico fratre Ottonis conſpiraverant; itemque, quæ *Ditmarus* habet de *Erico*, *Buccone*, *Herimanno*, *Reinvvardo*, *Wirino*, *Eſerico ceteriſque*, *qui in Quidilingeburg* Ottonem tunc in Paſcha ſolenni occidere conabantur, eodem ſupplicii genere affectis in Comitiorum argumentum iviſſe ſatis credas. Ne de aliis ejusmodi negotiis dicam. Attingemus enim tantum ea, quæ diſertis verbis narrantur. In quibus *Auguſtana Comitia* ſunt anno 952. celebrata. De his *Regin. Supplementum*: Hoc anno, *mediante Auguſto menſe, conventus Francorum, Saxonum, Bavarorum, Alemannorum & Longobardorum publicus, apud Auguſtanam urbem Rhetiæ provinciæ agitur. Ubi præſcriptus Berengarius cum filio ſuo Adalberto regiæ ſe per omnia in vaſallitium dedit denominationi, & Italiam iterum cum gratia & dono Regis accepit regendam.* Ritum hujus beneficii ſuſcepti addit *Witichindus apud urbem Auguſtam cum conventus fieret, Berengarius manus filii ſui Adelberti ſuis manibus implicans, licet olim Hugonem fugiens Regi ſubderetur, tunc tamen renovata fide coram omni exercitu famulatui Regis ſe cum filio ſubjugavit.* Idem *Scriptor* refert: in cauſa inſidiarum Generi & Filii adverſus Ottonem, quibus Fridericus Moguntinus favebat, *univerſalem populi conventum* (Comitia) indictum *apud villam quæ dicitur Fridisleri.* Itemque *Comitia Cinnenſia.* Cinna vicus erat in diœceſi Magdeburgenſi, eo ad *univerſalem populi conventum* vocati Ludolfus, Conradus, Fridericus Moguntinus, è quibus Friderico gratia jurisjurandi purgatorii, quod offerebat, facta eſt. Conradus cum eodem ad officium & Ottonis partes redierunt. Luidolfus, ut ante oſtendimus, urbi Ratisbonenſi ſe incluſit. *Witichindi* commemoratio paulo uberior eſt, Ottonis graviſſimam orationem, Henrici ſententiam,

lib. 2. adde Hroſ. Suitam.

lib. 3.

lib. 3.

libr. eod. p. 27.

anno, puto, 953. v. Supplem. Reginon.

tiam, Luidolphi excuſationem exhibens. Dediti poſtea Ratisbonæ Luidolphi cauſa, novis *Comitiis Fridislarienſibus* occaſionem dedit: quæ celebrata ſunt, ut habet *Witichindus*, poſt obitum Friderici Moguntini, quem *Continuator Reginonis* in annum 954. refert. Tum demum Gener & Filius in gratiam Ottonis plene reſtituti ſunt. Quamquam non ſine mulcta, ut *idem Supplementum* tradit: *Ea tempeſtate Luidolphus in gratiam Regis revocatus, vaſallos quos habuit, & Ducatum patri reddidit, cui Burchardus in Ducatu ſucceſſit. Chunradus etiam omnium quas habuit divitiarum nudus, omiſſo ducatu, in gratiam Regis intromittitur, vita, patria, & prædio contentus.* Sequuntur *Comitia Colonienſia*, de quibus *Contin. Regin.* anno 956. *Rex in pace & otio degens maximo ſuorum fidelium conventu, Coloniæ placitum regale habuit.* In eundem annum etiam aliud *Placitum apud Engelenheim*, in cauſa Lotharingica, à *Frodoardo* referri ſupra vidimus. Alia *Colonienſia Comitia*, *Contin. Regin.* anno 958. ponit. Anno 961. *Rex in Italiam ire diſponens* (iterum verba ſunt *Continuatoris*) *maximam ſuorum fidelium multitudinem Wormatiæ coadunavit: ubi conſenſu & unanimitate regni procerum totiusque populi, filius ejus Otto rex eligitur.* Conſummata ſunt hæc Comitia coronatione Regis deſignati, Aquiſgrani. Sequitur enim: *indeque progrediens, convenientia* (conſenſu) *quoque & electione omnium Lotharienſium Aquis rex ordinatur.* Appendix Liuthprandi, *contra morem puerilibus in annis regem conſtitutum*, Ottonem filium, tempore ſcilicet, & profectione patris, ita exigentibus, annotat. *Wormatiam* nominari locum horum Comitiorum vidimus. Atque ita *Sigonius*, & *Baronius* aliique retinent. Ne quis *Lehmannum* audiat, qui *Spiræ* celebrata hæc Comitia ſcribit. *Chron. Spir. lib. 5. cap. 9.* Altera *Wormatiæ* Comitia anno 966. habebantur: cum *Imperator iterum in Italiam ire diſponens, aſſumtionem ſanctiſſimæ Mariæ Virginis Wormatiæ celebravit, ibique habito cum omnibus regni majoribus concilio*, per Alſatiam, iter Italicum ingreſſus eſt. Anno 967. Otto Junior à Patre in Italiam invitatus, *pro diſponendis regni negotiis ante ſuum in Italiam iter Wormatiam venit, ibique in primo ſuo placito, Deo propitio, plurima futura prudentiæ ſimul & clementiæ indicia præmonſtravit.* Hæc quoque ex *Continuatore Reginonis.* Inſtar Comitiorum, aut occaſionem, interdum habuerunt illæ cele-

celebritates; quando Imperatores Germanici feſta ſolennia ut Natalem Domini, Paſcha, cum reliquis, modo in hac, modo in alia civitate agitabant. Eò enim, officii cauſa, ex proceribus & principibus plurimi confluebant; eo deſideria omnis generis hominum perferebantur; cauſæ & lites definiebantur; conſilia belli pacisque deliberabantur. Synodi etiam, de rebus eccleſiaſticis inſtitutæ (poſtea ſuum locum habituræ) aliqua nonnunquam de civilibus negotiis admittebant: ſicut in vicem in Comitiis Eccleſiaſtica ſtatuta aliquando facta ſunt. In Comitiis autem, ſivè Placitis, ut vocabant, modo de republica, de pace & bello, de tributis & vectigalibus conſultabatur; modo leges ferebantur, ut ante oſtendimus; modo judicia reddebantur & leges exercebantur: vigente in omnibus regia poteſtate, ut ſæpius dictum eſt.

In *Judiciis*, adhuc celebrabatur his temporibus conventus ad Padum, in campo Roncaliæ prope Placentiam, quando Imperator in Italia erat. Quem morem deſcribit *Sigonius*. *lib. 7. de regn. Ital.* De *duelli* judicio, & ea occaſione, *de arbitris* ſupra mentio facta eſt. *Pœnæ*, præſertim in crimine rebellii, capitales. Decollatos fere legimus, proceres *Romanorum* 13. *qui auctores expulſionis Joannis Papæ videbantur*, *ſuſpendio interire juſſi*, referente *Continuatore Reginonis* ad annum 966. Tum *exilium* à patria, in pœnis eſt: Italicis quidem trans Alpes in Germaniam, Germanicis ad Sclavos ſubinde exulatum miſſis: aut in remotiora ipſius Imperii loca ſubmotis. Interdum regni finibus excedere jubebantur damnati; addita etiam jurisjurandi religione. Ita de Udone Comite *Contin. Reg.* anno 966. *Udo Comes conjurationem cum Adelberto Berengarii filio habens*, —— —— *imperatoriæ majeſtatis reus eſſe convincitur, & ſacramento, ne aliquatenus ullas partes regni præſumat ingredi, regno expellitur.* Beneficii quoque (quod feudum poſtea dixerunt) *amiſſio*, inter uſitatas pœnas refertur. *lib. 3.* Exemplis ſupra allatis, addi poteſt locus *Witichindi* de Wigmanno: *ductus exercitus contra Wigmannum tertia vice, vix obtinuit, ut in fide Geronis filiique ſui ſuſciperetur, ipſique apud Imperatorem obtinerent, quo patria conjugisque patrimonio cum gratia imperiali frueretur.* De Κυνοφορία dictum eſt. Sedit judex Otto in cauſa Joannis Papæ: cujus judicii prolixa extat commemoratio. Sed de his infra in Synodis.

Leges,

Leges, *Conſtitutiones*, *Edicta*, & *Diplomata* Ottonis Magni collegit *Goldaſtus in Tomis Conſtitutionum*. Extat & *Henrici Meibomii*, collectio *diplomatum Ottonis*, de qua ante. Hîc in tranſitu notamus, valde ſuſpectam eſſe *Conſtitutionem*, quam *Goldaſtus* exhibet & inſcribit *de locatione & privilegio Cameræ Imperialis Magdeburgenſis*. Non diſputabo de titulo, magis tamen argumentum diplomatis convenit illi ſcripturæ, quam laudat *Albertus Krantzius in Saxonia lib. 3. cap. 24.* cum dicit *extare literas quibus teſtetur Imperator, quas dederit immunitates novæ urbi.* (Magdeburgo) De cetero, ſtilus ab aliis diplomatibus Ottonianis haud parum diſcrepat. Subſcribitur expreſſis vocabulis *annus 947.* & vocatur *Imperii Ottonis ſecundus.* Quod manifeſtum eſt mendacium. In §. 5. illa leguntur: *Quare auctoritate noſtra Cæſarea mandamus omnibus Principibus noſtris & Imperii ſubditis, Dominis, Equitibus Auratis, Miniſterialibus, & omnibus officialibus tam ſpiritualibus quam ſecularibus* &c. Præter cætera novitatis manifeſta, quis Ottonis Magni ævo *Equites Auratos* (de nomine loquor & appellatione, ne quis rei comparationem cum antiquis moribus inſtituat) legit? Erudite enim & caute *Franciſcus Menenius*, cum de Monozonis militibus egiſſet, veteresque ritus, gladium tradendi, & cingulum, repetiiſſet, progreſſus ad exempla ſæculi à Chriſto nato duodecimi & tertii decimi, id eſt Ottonianis temporibus longe juniora, tum demum illis ſubjicit: *atque hinc arbitratur Lazius morem iſtum defluxiſſe, quo hodie, ſed inverſo Germani utuntur: ut Principes ſicubi aliquem ob laude parta facinora decorare volunt, gladio tangant, quos Equites auratos paſſim vocamus, & quos veteri more cingulo militari donatos appellant.* Nihil attinet plura afferre; adjiciam tamen §. 7: *Ceterum damus eidem civitati atque ejus incolis in verum tutorem, ſacroſanctum jus, juſtitiam, Romanum denique Imperatorem cum Principibus* [*Electoribus*] *ſpiritualibus & ſecularibus, qui adſtent clypeo militari in omnibus utilitatibus atque emolumentis.* In his verbis ſicut omnes agnoſcunt formulam junioris ævi; ita infelici gloſſa, adjecta eſt vox *Electorum*. Sed de Electoribus infra ſuo loco. Hiſtoria Magdeburgenſis civitatis (ubi inde ab antiquo arx erat) conſtructæ in gratiam Editæ conjugis Ottonis inter primordia regni (*Sigebertus* 939. putat) & poſt triginta

in deliciis Equeſtrium.

ginta amplius annos metropolitana dignitate honoratæ, latius à *Krantzio* paſſim & aliis traditur. Neque difficile eſt, conſilium Ottonis animadvertere, qui & Saxoniæ ſuæ aliquod inde decus quæſivit; & hominum animos ferociores ac prædarum diſſidiorumque licentiæ intentos, urbica diſciplina emendavit.

Beneficiorum adhuc erat ea conditio, ut morte accipientis finirentur; ſicut vel ex iis patet, quæ ſupra ex *Aventino* in cauſa liberorum Arnulphi Bavari attulimus. Niſi quod peculiari indultu Principis in filios aliquando transmittebantur. Inde eſt, quod tanquam peculiare *Continuator Regmonis* anno 949, in hunc modum annotat: *Uto Comes obiit, qui permiſſu Regis, quicquid beneficii aut præfecturarum habuit, quaſi hæreditatem inter filios diviſit.* Talem vero, ſicut diximus, conditionem antiquioribus temporibus fuiſſe beneficiorum Regiorum, annotavit etiam illuſtriſſimi nominis vir *Hier. Bignonius ad lib. 2. form. Marculfi cap. 5.* iſtis verbis: *Beneficii nomine ea prædia dicta, quæ pro ſervitio militari à Rege ſive etiam ab aliis concedebantur, quæ feuda poſteritas dixit: initio namque vita accipientis finiebantur, & ex certis cauſis revocari poterant.* Non autem prædia tantum, ſed, ut hactenus vidimus, Comitatus, Ducatus, Marchionatus ita dabantur. Ipſum *feudi* nomen (ſ. feodi) an in antiquis Legibus, ante Neapolitanas ſ. Siculas Friderici II. Conſtitutiones reperiatur, quæſtio eſt. Quam non expediunt, qui Caroli III. Craſſi conſtitutione de expeditione Romana (in qua aliquoties *feodi* mentio fit) niti cupiunt. Eam enim non immerito in dubium revocari ſuo loco monuimus. Neque firmius ſtabiliunt ſententiam, qui de Lothario Primo, nulla demonſtratione hiſtoricâ pronuntiant. Omnium minime audiendus eſt, qui *vocem feudi, antiquiorem videri* dixit *beneficii nomine*, ſcilicet in hoc ſignificatu, de quo loquimur. Inſtar refutationis ſunt infiniti pæne LL. antiquarum, & formularum, ac hiſtoriarum loci, ex quibus apertiſſimum eſt, feudum ſucceſſiſſe beneficii appellationi.

Andr. Knichen de Iure Territor. c. 1. §. 168.

De *diſciplina aulæ*, non pauca memoratu digna reperias licet apud *Ekkehardum Juniorem*, qui Ottonis Imperatoris Capellanus & Secretarius fuit; & præceptor (qui illa de quibus

ſermo

ſermo eſt, non ipſe tradidit ſtilo, ſed alteri cognomini Ekkehardo itidem juniori, conſignanda commendavit, ſicut clarius explicamus *inſ. Ott. II. Elog.*) Ottonis Filii. Inter alia conſignatur admirabilis diligentia, qua in negotiis examinandis & ad ſe revocandis Imperator uſus eſt. Adelheidæ uxoris potentiam, nulla re magis quam ſublevandis periclitantibus, & ſuffragatione ſua ornandis bene meritis nobilem, præclara documenta oſtendunt. Neque aliter aſſuevit Otto Junior apud Parentem ſe gerere: cujus ope beneficioque molles Patris aditus impetraverunt plurimi. Gravitas in Parente ſumma: nec minor in loco & tempore humanitas. Compellabatur majeſtatis vocabulo. Cum Monaſterium S. Galli ingrederetur, inceſſit *Otto Magnus* (ſunt verba *Ekkehardi*) *à fratre Prunone Coloniæ Archiepiſcopo ſiniſtra ductus, dextera baculo fultus: Filio autem matrem ducente, longe ipſe præ aliis quaſi leo præ beſtiis, Fratre manu oſculata diſcedente, ſolus in medio —— —— conſtitit.* Moneor ſimilitudine *Leonis,* de verbis & moribus ſæculi. Otto Filius ſæpius ſolebat familiariter dicere, cum de Parente loquebatur, ſe *ad Leonem ſuum* non audere deducere hunc aut illum, niſi ita vel aliter præparatum. Item: *Leo meus.* Quin honoris cauſa ita locutus ſit, non dubitare poteſt, qui acta aulæ familiaria, non minus familiariter ab Ekkehardo annotata legit. Quæ apud *Godfrid. Viterbienſem part.* 17. & ex eo apud *Lehmannum Chron. Spir. lib.* 5, *cap.* 6. de Duce quodam Sueviæ puero, cibos in menſa Imperatoris Papiæ appoſitos guſtare auſo, indeque Dapiferi manu percuſſo; itemque de vindicta in Dapiferum, per pueri rectorem exercita, & mox in ipſum Ottonem tentatâ, cum cædem Dapiferi ſui feſtinantius ulciſci contenderet, referuntur, fabulæ, quam hiſtoriæ ſimiliora ſunt. Neque enim pauca hujus generis commenta hiſtoriæ ſuæ Godfridus ille inſeruit. Neque fidem mereri videntur, quæ de Haſtiludiis ſ. Torneamentis Spiræ inſtitutis, & Comitibus Eberſteinenſibus dolo illuc evocatis *Cruſius* ex MSC. quodam refert *part.* 2. *Annal. Suev. lib.* 4. *cap.* 3. indeque deſcribit *Lehmannus Chr. Sp. lib.* 5. *cap.* 7.

In dignitatibus ob merita tribuendis munificum fuiſſe Ottonem jam dictum eſt. Illud ſingulare & novum notat *Aius,*

Lib. 5. p. 195. *tinus*, quod fratri Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi, etiam Ducatum Lotharingiæ & tractationem Reipublicæ dederit. Verba ſunt: *Bruno iſte primus Epiſcoporum fretus fratris Auguſti authoritate, Reip. munia obire cœpit: ſtudium hactenus Epiſcopis fuerat, ſacras docere literas.* Habuit, puto, *Aventinus* in oculis locum *Sigeberti*, qui *Brunonem ſecundas partes in regno fratris ſui potenter & induſtrie adminiſtraſſe*, ait. De cetero, non eſſe ſimpliciter iſta *Aventini* accipienda, intelligitur ex iis, quæ ſupra ſuo loco, de conſuetudine Epiſcoporum & Clericorum civilibus negotiis non abſtinentium, annotavimus.

anno 959.

Excerpta de rebus geſtis.

Epiſc. Argent. p. 145.

ANte omnia hic fabulam de Argentorati excidio confictam amoliemur. Refert *Guillimannus in Ruthardo*, ex *Hermanno Æedituo* his verbis: *Cum Ottone bellum gerebat Rex Franciæ, cui Argentina adhærebat. Hanc obſedit Otto, atque Gallo ſuccurrere non valente, deſtruxit, via per muros quadripartita facta, ideoque appellavit Strasburg, antea Silberthalam dictam.* Eadem pæne habet *Hertzogius*, additis tamen, quæ cum his comparata fabulam prodant. Neque longa refutatione opus eſt. Unum *Strasburgi* vocabulum, quotiens jam ex *Nithardo*, qui ſæculo toto ante hæc tempora floruit, & aliis monumentis antiquis attulimus?

Chron Alſat. lib. 2. cap. 14.

Cum *Hungaris* aliquoties Ottone imperante certatum eſt. Verum illuſtri clade domiti ſunt anno 955. Quid non audet impietas diſcordiarum civilium? Luidolphus Ottonis filius à Patre diſſidens, fœdam hanc tempeſtatem Germaniæ immiſerat. *Frodoardi Chronicon* ſummatim, poſt repulſos prima vice eòdem anno Hungaros ita proſequitur alteram & veram victoriam: *Hungari cum immenſis copiis & ingenti multitudine Bajoariam ingrediuntur volentes venire in Franciam, contra quos Otho Rex cum Burislao Sarmatarum Principe, & Conrado jam ſibi pacificato, pugnavit, & eoſdem Hungaros interimens cunctos pæne delevit. Conradus fortiter pugnans cecidit.* In *Continuatore Reginonis* ad hunc modum victoria Ottonis ſignatur: *Hungari cum tam ingenti multi- … exeuntes, ut non, niſi terra eos dehiſceret, vel cœlum eos obrueret,*

Ordo verborum non bene.

rueret, ab aliquo ſe vinci poſſe dicerent. Chunradus quondam Dux ibi occiditur, & ab exercitu Regis apud Lichum fluvium tanta cæde (Deo præſtante) proſtrati ſunt, ut nunquam ante apud noſtrates victoria talis audiretur aut fieret. Annales *Hepidanni : Otto Rex cum Agarenis* (ita Hungaros vocat) *pugnabat in feſtivitate S. Laurentii, eosque Deo auxiliante devicit, & erat numerus illorum centum millia, & multi illorum comprehenſi ſunt cum Rege eorum nomine Pulski, & ſuſpenſi ſunt in patibulis.* Tres *Duces gentis Ungariæ captos* ſuſpendioque necatos, *Witichindus* refert; qui paulo copioſius hæc deſcribit. Celebrata eſt hæc victoria multo domi forisque applauſu: additis etiam Ottoni cognominibus honorificis, actisq; Deo ſolenniter gratiis. Deſcripſerunt uberius *Aventinus lib.* 5. qui & apud Hungaros tantam rerum commutationem factam ait, ut ne mutire quidem in poſterum auderent: tum *Megiſerus in Annalibus Carinthiæ lib. 6. cap. 92. Bonfinius decad.* 1. *lib.* 16.

ne conſertus facile reſtitueretur, ſi Conradi eades in finem conferatur. anno 955.

lib. 3.

An Poloni quoque, tempore hujus Ottonis ſubacti ſint, quæritur. Miſiconem certe à Gerone orientalium marchione *imperiali ſubditum ditioni, Imperatori fidelem*, & *tributum uſque Vurta fluvium ſolventem*, memorat *Ditmarus lib.* 2. confertque cetera loca *Cl. Conringius de finibus Imperii cap.* 18. Hic eſt, quem *Mieſconem*, & poſt baptiſmum ſuſceptum *Mieczlaum* nominant eique diuturnum Principatum tribuunt. v. *Alexandri Guagnin. Rer. Polon. tom.* I.

pag. 18. & 22.

Inter præcipuos ævi bellatores, & Reipublicæ adminiſtratores, *Geronem* Marchionem, *Witichindus*, *Ditmarus* & alii concelebrant. Cujus vitam & merita in remp. in unum conduxit *Henricus Meibomius in notis ad Witichindum.*

lib. 3.

Conſtantinopolitani Imperatores.

CONſtantini VIII. annos longo tractu ad hoc ævi pertinere, ex ſuperioribus intelligi potuit. Hujus obitum *Onuphrius Panvinius* 962. *Baronius* 960. ponunt. Succeſſit filius ROMANUS (III.) jam ante paterni conſors imperii. *Puer* cognominabatur, ætatis ergo: quamquam & morum argumento id eum vocabuli meruiſſe Hiſtorici aſſerunt. Annos, quibus poſt patrem imperavit, *Zonaras*, tres & amplius, *Cedrenus* magis

definite *tres*, cum *menſibus* 4, *diebus* 5. numerat. Uterque vitiis & ignavia infamem, non tam ſuo, quàm miniſtrorum ingenio, tradunt. Rempublicam tractabat *Joſephus Bringas*, melioribus inſidiari ſolitus. Hinc in ipſum Romanum conſpirationes coortæ ſunt. Qui cum vel veneno, vel ſuis libidinibus interiiſſet, filios Baſilium & Conſtantinum, cum uxore Theophanone, imperii hæredes reliquit.

Sed plus valuit potentia exercituum Orientalium, quam defuncti Imperatoris voluntas, aut ſuccedentium auctoritas. Nam ſuffragio militari deſignatus eſt Imperator NICEPHORUS PHOCAS. Cujus initia *Onuphrius* in annum 964. finem in 970. refert. Ad hunc perdendum, cum Joſephus Bringas Joannem Tzimiſchem & Romanum Curcuam literis invitaſſet, illi re prodita, ut Imperium ſuſciperet, auctores fuerunt. Attulit ad hanc dignitatem, inſigne nomen, & ampliſſimam rerum bello præclare geſtarum gloriam. Sed dum omnia imperii adminiſtrandi conſilia ad rem militarem unicè refert, ſuo tandem malo expertus eſt, periculoſe & infeliciter divelli publicas utilitates: quarum in regendo imperio ſanctiſſimis nexibus jungitur ſeries. Obſcuravit ergo fortitudinis gloriam, & pro amore civium, odium ſibi peperit; partim ſolutâ militari diſciplinâ, dum militum libidini gratificatus, vexari alios patitur; partim acerbis exactionibus, omnique avaritiæ ingenio. Inter quæ, turpia illa, & plus invidiæ quàm lucri habentia; quod liberalitates quaſdam priorum Principum in eccleſias, abolevit; quod fixis & immobilibus bonis dotari eccleſias lege vetuit; quod monetam diminuit & mutavit, graviores numos exigens à civibus, leviores in eos diſpergens; ſuaque imagine inſignitorum pretium exaggerans, depreſſis ceteris ejuſdem ponderis. Arx quoque, dejectis nobilibus circa palatium operibus, extructa, ut τυραννεῖον ſeu ſedes ſervitutis aſpiciebatur. Crevit odiorum acerbitas: cujus ſe tandem ſocium præbuit Theophano uxor Nicephori: quæ Joanni Tzimiſcæ, cum quo adulterii conſuetudinem habebat, in arcem illam inexpugnabilem admiſſo, mariti occidendi, imperiique occupandi occaſionem patefecit.

JOANNI TZEMISCÆ huic annos VI. menſes totidem

& paulo

& paulo amplius, *Cedrenus* tribuit. Quem numerum ſequitur *Onuphrius*, & interitum ejus refert ad annum 977, *Baronius* ad 975. Bello & ante imperium clarus fuit; & Imperator Ruſſicis victoriis magnam gloriam emeruit. Verum, dum de accidendis Baſilii eunuchi opibus cogitat, à ſceleſto homine præoccupatus veneno interiit. Præter *Zonaram* & *Cedrenum*, itemque *Liuthprandum* (lib. 5. & 6. & in *Legatione*) è Junioribus *Cuſpinianus* videndus.

Ad *Nicephori* tempora pertinent, quæ de nuptiis Ottonis Filii annotantur apud *Witichindum* & *Ditmarum*, quorum alter nomen Sponſæ non exprimit; alter Theophaniam vocat. Contulit utriusque narrationem *Henricus Meibomius*; atque diſquiſivit, cujus filia eſſet illa Theophania. Miſerat Nicephorus legatos ad Ottonem in Italia conſtitutum; qui initium fecerunt agendi de conjuge Græca Ottonis Filio collocanda. Igitur Otto & ipſe Liuthprandum Epiſcopum Cremonenſem (jam olim, mittente Berengario, legationis Conſtantinopolitanæ munere functum) ad Nicephorum miſit; inter alia, de his nuptiis acturum. Extat *Legatio Liuthprandi ab ipſo deſcripta*, quam reperit primum *Chriſtophorus Brovverus*; in lucem edidit *Henricus Caniſius*; ſuo operi inſeruit *Baronius* ad annum 968. In illa legatione petitur à Nicephoro, ut *filiam Romani Imperatoris & Theophanæ Imperatricis Ottoni Ottonis filio*, jam coronato Romæ Imperatori, *in conjugem tradat*. Sed quia *Ditmarus* ait, Imperatorem Byzantinum *non virginem deſideratam, ſed neptem ſuam Theophaniam Imperatori Ottoni trans mare miſiſſe*, nata eſt dubitandi occaſio, de qua dixi. Otto interim, eodem *Ditmaro* referente, cum animadvertiſſet eos, quos miſerat in Calabriam tanquam adventum Sponſæ Græcæ præſtolaturos, perfide & crudeliter à Græcis oppreſſos, Calabriam & Apuliam ſibi vectigales fecit; Beneventano quoque & Capuano Principibus in fidem Ottonis ſe tradentibus. Hinc diſceptatio inſtituta, de qua fuſe *Liuthprandi Legatio*. *Sigebertus Gemblacenſis* ad annum 969. ita annotat: *Imperator Otto, dum partem exercitus ad Græcos miſiſſet, ut uxorem filio ſuo Ottoni acciperent, Græci ſuper eos irruunt, caſtra diripiunt, plures occidunt, plures capiunt, & Conſtantinopolim mittunt. Ad hoc dedecus vindicandum Imperator*

in not. ad VVitichind. lib. 3.

lib. 2.

perator Otto eminentiores ex ſuis in Calabriam mittit, qui Græcos aggreſſi, plures occidunt, plures truncatis naribus dehoneſtant, & per Apuliam & Calabriam à Græcis tributum exigunt. Conſtantinopolitani audientes à ſuis male pugnatum eſſe in Calabria, contra Imperatorem ſuum Nicephorum inſurgunt. Conſentanea his *Ditmarus* habet: ut & *Liuthprandus in Legatione*, plena rebus, ad aulam Nicephori & controverſias Græcorum cum Imperatoribus no-
ad ann. 968. ſtris, pertinentibus. Adde *Sigon. de regn. Ital. lib.* 7.

Externa Imperia atque dominationes.

S*Aracenorum* opes diviſæ diſcordesque, in Sicilia tamen adhuc valent: cæditurque ab iis Manuel à Nicephoro miſſus cum tota claſſe. *Cedrenus* & *Fazellus. Ille* hac occaſione etiam annotat periodum rerum Saracenicarum uſque ad tempus Nicephori Imperatoris, qui multa adverſus Saracenos de cetero, variis in locis præclare geſſit. Ad finem Henrici Aucu-
anno 936. pis & initia Ottonis *Sigebertus* etiam iſta annotat: *Inger Rex Ruſſorum ſciens exercitus Græcorum eſſe ductos contra Saracenos, & ad inſularum cuſtodias diſperſos, ad expugnandam Conſtantinopolim cum mille & eo amplius navibus venit; adeo de victoria jam ſecurus, ut qui Græcos non occidi ſed capi præciperet. Quibus Imperator Romanus cum paucis viriliter occurrens, circumcirca Græco igni injecto pæne omnes cum navibus exuſſit, paucis evadentibus, omnesque captivos decollari juſſit.* Referunt hanc cladem *Zonaras* & *Cedrenus* in rebus Conſtantini VIII. apud *Zonaram* numerus navium 15000. apud *Cedrenum* 10000. ponitur; incredibili utrobique narratione. *Annales Hepidanni* anno 939. conſignant: *in regione Gallicia innumerabilis exercitus Saracenorum à quadam Regina nomine Tota penitus extinctus eſt, niſi Rex illorum & 49. viri cum eo.* In Italia Hugo anno 940. & 941. ope Græcorum auxiliorum & Græci ignis Saracenos Fraxineti inſeſſores, unde omnia infeſtabant, terra marique impugnavit, eosque, ut è Fraxineto in montem Maurum ſe reciperent, adegit. Ibi quoque obſeſſos haud dubie debellare potuiſſet, niſi pactione conciliatos adverſus Berenga-

rengarium, in montibus qui Sueviam ab Italia dividunt, diſponere maluiſſet. *vid. Sigon.* Tandem & Otto Imperator, rebus in Italia compoſitis, ad ejiciendos Saracenos animum convertit, niſi mortibus ſuorum in Germaniam retractus eſſet. *Sigonius* ad annum 972. refert. *lib. 6. de regn. Ital.*

In *Hiſpania*, juxta vulgarem chronologiam, cum *Sanctius Craſſus* anno 939. deceſſiſſet, *Raymirus* ſ. Ranimirus III. puer ſucceſſit. Contra quem eligitur *Veremundus* ſ. Beremudus II. Ordonii III. Filius, hi duo de regno ingenti prælio decertarunt anno 955. æquis manibus abſceſſum eſt. Defuncto, anno 964. Raymiro, Veremundi potentia uſque in annum 981. prorogatur. vid. *Hieron. Henninges in Theatro Genealogico.* Qui *Arragoniæ & Navarræ* Reges ſeorſum numerant, Sanctio Garciæ Abarcæ anno 927. defuncto, ſubſtituunt Garciam Sanctium Tremulum ab Ennico IVtum: quem anno 962. denatum excepit *Sanctius Major*, imperium altero demum ſæculo adoleſcente terminaturus. Abarcæ uxor fuit Toda, ſ. Theoda, de qua dictum ante. Sed *Baronius Ambroſium Moralem* ſecutus Sanctii Craſſi initia anno 955. ponit: atque ita deinceps in chronologia diſcrepat.

In *Anglia* Aethelſtano ſuccedit 940. *Edmundus* frater, in annos 6. & amplius: à latrone, quem invaſerat, ſica interfectus. Anno 946. *Edredus*, filiorum Eduuardi tertius regnare incepit: Northanimbrorum & Scottorum victor. Anno 955. *Edvvinus* Eadmundi fratris Aethelſtani filius, regnum ſuſcepit, quem an merito infamet *Malmesburienſis*, dubites, ſi controverſiam inter monachos & clericos, atque his quàm illis regem æquiorem cogitare libeat. Anno 959. frater Eadvvini *Eadgarus* regno potitus eſt; quod tenuit ad annum 975. Laudes ejus pleno ore prædicat *Willielmus Malmesburienſis*; ex quo hactenus iſta repetimus. Cæteri jam aliquotiens nominati ſunt. *lib. 2. de geſt. Reg. Angl. cap. 8.*

In *Dania* Gormoni ſuccedit *Haraldus Blaatand* ab anno 931. in 50. annos, ſi *Iſaaci Pontani* calculum ſequimur. Adverſus Danorum incurſiones Henricus Auceps apud Sleſvicum coloniam poſuerat, & Marchionem conſtituerat. Eum ex improviſo Dani anno 948. opprimunt. Cujus injuriæ ulciſcendæ *Rer. Dan. lib. 5.*

Otto Jutiam victor peragrat, fretoque *Ottoſunda*, ſi *Adamo Bremenſi* credimus, nomen dedit. Haraldus cum exercitu occurrens, vincitur ab Ottone, cum quo mox paciſcitur. Hæc occaſio fuit conſtruendi operis illius, per novem circiter milliaria porrecti, cujus aggere Germanis aditus præſtrueretur, inter mare orientale & occiduum, ſupra Sleſvicum & Gottorpiam. Danewirck hodie vocant. Ottone Magno rebus humanis exemto, Haraldum Saxoniam incurſaſſe: & ſubinde cum Ottone II. pacem feciſſe, ferunt. Domum reverſus odiis ſuorum infeſtatus, filiique Suenonis armis impugnatus, aut ut quidam tradunt, in exilium ejectus eſt. Cujus tamen hiſtoriæ fidem non pauca dubiam faciunt *Pontano* diſceptata.

In *Suecia* Erico Victorioſo, anno 940. (juxta *Gilonis* chronologiam) ſucceſſit ERICUS.VIII. cognomentum à feli- *Aorſel.* licitate annonæ, lingua patria adeptus. Qui diſſidiis tumultuantium ob Chriſtianæ religionis incrementa popularium agitatus, & ad extremum occiſus eſt. Vid. Jo. Magn. *lib.* 17. *cap.* 15. *Loccen. lib.* 1. *hiſt. Suec.*

Eccleaſtica.

Pontifices ita numerat *Onuphrius*: Stephano VIII. (qui VII. dicitur) defuncto, *Leo VII.* anno 937. ſuccedit in annos 2. m. 6. d. 12. Sequitur anno 940. *Stephanus IX.* (dictus VIII.) annis 2. m. 4. d. 15. Inde *Marinus II. Junior*, ab anno 942. annis 3. m. 6. d. 13. *Agapetus II.* 946. annis 9, m. 7. d. 10. *Joannes XII.* 955. ann. 8. m. 4. d. 5. *Leo VIII.* 963. ann. 1. m. 3. d. 5. *Joannes XII.* 964. invaſor ſedis, à qua dejectus fuerat, m. 3. d. 28. *Benedictus V.* ſchiſmate creatus m. 1. d. 11. *Leo VIII.* reſtitutus m. 8. d. 22. *Johannes XIII.* 965. ann. 6. m. 11. d. 5. *Benedictus V.* (dictus VI.) ann. 1. m. 6. *Baronius* Leoni VII. anno 939. ſubrogat *Stephanum IX.* dictum VIII. huic anno 943. *Marinum II.* huic 946. *Agapetum II.* huic anno 955. Joannem XII. huic anno 965. *Benedictum V.* huic anno 966. *Joannem XIII.* huic anno 972. *Donum*; huic anno eodem *Benedictum VI.* Circa Pontificatum Joannis XII. *Baronius* præſertim aliqua diſputavit. In quibus eſt Donatio Ottonis Eccleſiæ Romanæ facta, quæ fertur. Egit ea de re *Cl. Conringius de Finib.*

Imp.

Imp. cap. 10. Præcipue autem in dubium vocat, ſive potius ut vitio factam Joannis XII. abdicationem arguit: diſputatione alicubi languidâ, ſæpius male ſeriâ. Et quæ de *Liuthprandi* quidem appendice, rem totam prolixius deſcribente adfert, ad rem parum pertinent. Nimisque propoſitum animi prodit Cardinalis, cum auctorem Ottoni adulari, Pontificem odiſſe, ridicule pronuntiat. An ne tum quidem conſtabit ſua ulli hiſtoriæ fides, quando peſſimorum hominum facta & fata ex merito deſcribuntur? Joannis enim admirandam turpitudinem non ſemel fatetur *Baronius*. Sed diſplicet ei poteſtas, quam Otto in conſtituendis, judicandis & deſtituendis Pontificibus, itemque in Synodis cogendis ſibi vindicavit. Legantur ergo, contra has diſputationes, *Onuphrio Panvinio* tradita, quæ deſcripſit *Cl. Conringius de Germ. Imp. Rom. cap.* 10. Aut fallor, aut non deſiderabit, quid reſpondendum *Baronio* ſit, qui iſta legerit. *Sigonio* certe nihil ejuſcemodi dubitationum ſuboluit, cum deſtitutionem Joannis ex *Liuthprandi appendice* & *aliis* referret: adjecto etiam decreto Leonis Joanni ſubſtituti & Synodi totius, quo confirmatur *Ottoni ejusque ſucceſſoribus regni Italiæ in perpetuum facultas eligendi ſucceſſorem, atque ſummæ ſedis apoſtolicæ pontificem ordinandi, ac per hoc archiepiſcopos ſeu epiſcopos; ut ipſi ab eo inveſtituram accipiant, & conſecrationem, unde debent, exceptis iis, quos Imperator pontificibus & archiepiſcopis conceſſit, ut nemo deinceps cujuscunque dignitatis vel religionis vel patricium vel pontificem ſummæ ſedis apoſtolicæ, aut quemcunque epiſcopum ordinandi habeat facultatem abſque conſenſu ipſius Imperatoris. Quod tamen fiat abſque omni pecunia, & ut ipſe ſit patricius & rex. Quod ſi à clero & populo quis eligatur epiſcopus, niſi à ſupra dicto Rege laudetur & inveſtiatur, non conſecretur.* De hoc jure ſupra ſæpius dictum eſt; & Leo ipſe exemplum Hadriani primi laudat, qui eandem poteſtatem Caroli agnovit. Quæ *Baronius* in contrarium diſputat, longum fuerit nunc adferre. More ſuo, modo factum pro infecto, modo, rurſus pro facto, ſed iniquo format, reformat, decernit. Leonem ex numero Pontificum legitimorum extrudit, Benedictum intrudit, ſatis pro imperio. Sed non eadem mens aliis, ab Italia & aliunde ſcriptoribus. Videantur omnino, quæ *Theodoricus de Niem* & ex eo *Meibomius in notis ad Roſvvi*

lib. 7. de regn. Ital.

ad annum 964.

tam de juſta Joannis depoſitione habet. *Onuphrio, Sigonio, Platina* Leonem VIII. agnoſcentibus, adde *collectionem Pontificum Antonii Auguſtini*, quæ Corpori Juris Canonici ſolet præfigi; *Antoninum*, *Nauclerum*, & pleroſque alios. Nam de auctoritate *Gregorii XIII. Pontificis*, Gratiani Decretum, in quo Leonis VIII. nomine leguntur, quæ de jure Imperatoris in conſtituendo Pontifice modo dicta ſunt; ſupra actum eſt. Nunc ſatis erit, quædam ex *Supplemento Reginonis*, cujus auctoritatem vix potuerit ſubterfugere *Baronius*, repetere. Anno 962. coronatum Romæ Ottonem, *Papa* (*Joannes XII*) *multa ſecum charitate detinuit, & diebus vitæ ſuæ nunquam ſe ab eo defecturum promiſit: quæ tamen promiſſio longe diſſimilem, quam prætendebatur, effectum obtinuit.* Anno 963. *Joannes Papa promiſſiones Imperatori factas oblivioni tradens, ab eo deficit, & Berengarii ſeu Adalberti partibus favens, Adalbertum Romam intromittit. Quas doloſitatis ejus fraudes Imperator audiens, relicta circa montem* (ſ. Leonis) *obſidione Romam verſus cum hoſte* (i. e. exercitu) *pergit: cujus ipſi metuentes adventum, plurimum theſaurum ſancti* Petri rapientes fugæ ſubſidia petunt. *Tunc Roma in plura diviſa, partim Imperatori faventes* (*multi enim à prædicto Papa injuriis ſe opprimi conquerebantur*) *partim apoſtolico blandientes, licet diverſa ſentirent, Imperatorem tamen cum honore debito urbem intromittunt, ſeque per omnia, datis obſidibus, illius ditioni ſubjungunt. Imperator vero plurimorum epiſcoporum collecta multitudine Synodum coadunavit, & conſilio eorum miſſa legatione, canonica authoritate profugum apoſtolicum ad ſedem pontificalem & apoſtolicam revocavit. Illo tamen hoc omnibus modis renuente, plebs Romana* (populus ſcilicet Synodo conſentiens, ut mox ſequitur) *Leonem protoſcriniarium, virum ſtrenuum & induſtrium, communi conſenſu in locum ejus elegit & ordinavit: cui Synodo interfuerunt omnes prope Roman. & Italiæ Epiſcopi: Angelfredus etiam Aquileienſis Patriarcha, qui tunc temporis etiam ibidem obiit. Sed & de noſtratibus interfuerunt, Adaldagus & Heinrichus Archiepiſcopi, Landwardus & Otgerus Epiſcopi. Poſtea Joannes, qui & Octavianus, videns ſe eſſe depoſitum, ſerâ pœnitentiâ ductus, Adalberto disjungitur.* Anno 964. cum iterum Romani ab Imperatore defeciſſent, & ſtrenua ejus vigilantia coërciti eſſent non ſine cæde, *centum obſides dederunt, & ſupra corpus ſancti Petri ſu*

jure

jurejurando fidelitatem Imperatori & Papæ promiſerunt. Tunc Imperator plena adhuc hebdomada apud illos manens, Spoletinum Ducatum & Camerinum ordinaturus exivit, & ad preces Papæ Leonis obſides Romanis remiſit: quibus ipſi beneficiis ingrati, non longe illo ab urbe poſito, Joannem, qui & Octavianus, urbi intromittunt, & fidem Imperatori & Papæ promiſſam annihilare non metuunt. Leo vero Papa vix cum paucis facultatum omnium nudus evaſit, & Imperatorem in Camerino Ducatu poſitum adiit. Sequitur de crudelitate Joannis adverſus Azonem, & Otgerum; quo tandem deprecatore apud Ottonem uti voluit. Sed morte præventus eſt. *Tunc Romani non modice metuentes Imperatoris adventum, Benedictum quendam Romanæ Eccleſiæ diaconum, fidei & electionis domini Leonis immemores eligunt, & ordinatum ſedi apoſtolicæ imponunt.* Obſidetur ergo urbs ab Ottone, adverſus quem Romanos Benedictus ille *falſo nomine apoſtolicus* concitat, atque apud milites in mœnibus verſatur. Sed Romani fame compulſi, portas aperiunt, & *Imperatore cum honorificentia debita intromiſſo, Benedictum ſacrilegum & perjurum Imperatoriæ ditioni reddunt, & dominum Leonem in ſedem apoſtolicam reſtituunt. Tunc Leo apoſtolicus coadunata multorum Epiſcoporum Synodo, eundem Benedictum Romanæ ſedis invaſorem judicio omnium ab invaſo gradu depoſuit, & pontificale pallium quod ſibi impoſuerat, abſcidit, ferulamque paſtoralem manu ejus arreptam coram omnibus in fruſta confregit, & ad preces Imperatoris, diaconatus ei tantum gradu uti conceſſit.* Anno 965. Imperator *Benedictum illum depoſitum ab urbe Romana ſecum in Franciam advexit, quem Adaldago Archiepiſcopo cuſtodiendum commiſit. —— —— Eodem anno etiam dominus Leo Papa obiit. Tunc Legati Romanorum, Azo videlicet protoſcriniarius, & Marinus Sutrienſis eccleſiæ epiſcopus, Imperatorem pro inſtituendo quem vellet Romano pontifice in Saxoniam adeuntes, honorifice ſuſcipiuntur & remittuntur.* Factus hinc pontifex Joannes ex Narnienſi epiſcopo, urbe expulſus in Campania cuſtoditur. Donec *anno inſequente, Romani Imperatoris metuentes adventum à cuſtodia Joannem abſolvunt, & veniam pro malis quæ ei ingeſſerant poſcentes, in locum & ſedem ſuam illum reſtituunt.* XIII. Annus inſequens 967. habet vindictam Ottonis adverſus rebellionis auctores & Joannis expulſores. Hucuſque pertingit *Supplementum Reginonis*, narratis ſatis diſerte Ottonis in Ponti-

fice

ſice conſtituendo & deſtituendo juribus: Cetera exempla, quomodo Otto *Epiſcopos* & *Abbates* conſtituerit ac deſtituerit, pæne infinita ſunt.

Synodi Eccleſiaſticæ huc referuntur: *Sueſſionenſis* de ſtatu Remenſis Epiſcopii, quod abdicaverat Artaldus apud *Frodoardum* anno 941. *Bonnenſis* anno 942. in *Supplemento Reginonis: Bonna caſtello præclara Synodus à viginti duobus Epiſcopis habetur. Virdunenſis* anno 947. quæ Epiſcopium Remenſe Hugoni puero olim datum Artaldo iterum adjudicat apud *Frodoardum*. Agi-
948. tata eſt eadem cauſa *inſequente* anno, in *Synodo* Ingelheymenſi, quæ ſecundum Artaldum contra Hugonem pronuntiavit; alia-
tom. 3. que conſtituit. Quæ habes apud *Goldaſtum in Conſtitutionibus*. Præceſſerat hanc *Synodum generalem* ab Ottone convocatam, *alia apud caſtrum Moſomi*; & ſecuta eſt *Trevirenſis*, de quibus omnibus *Frodoardus*. *Idem* anno 949. ponit *Romanam*, qua Hugonis damnatio ab Agapeto Papa confirmata, & Hugo Princeps excommunicatus ſit. In Comitiis quoque Auguſtanis 952. celebratis Eccleſiſtica quædam conſtituta ſunt. *vid. Goldaſt. Conſtit.* In cauſa contentionis de Archiepiſcopio inter Salisbur-
lib. 5. *annal. Boi.* genſem & Laureacenſem, *Aventinus* anno 958. ponit & deſcribit *Synodum Ravennatenſem*, qua Joannes XII. Heroldum con-
963. §. 1. demnaverit. *Baronius* ſilet: ut & alteram *Synodum Ingelheymenſem*, 16. Epiſcoporum, quæ *Fridericum Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum ordinavit*, hoc anno, ut eſt in *Continuat. Reginonis*. Anno 962. *Meldenſis Synodus*, iterum in cauſa Hugonis & Artaldi annotatur apud *Frodoardum*. Anno 963. *Romanâ Synodo*, quam ab Ottone Imperatore *convocatam* fatetur *Baronius*, & præſidendo temperandoque gubernatam res ipſa loquitur, Joannes Papa damnatur. Nominati ſunt ſupra, qui deſcribunt. Synodum per omnia legitimam; excepit anno 964. *Pſeudoſynodus*, à Joanne jure depoſito, adeoque nunc Pſeudopapa nullo jure coacta contra Leonem verum Papam. Quin & extincto *Joanne*, pudendo exitu, Romani aliud *Conciliabulum* audent. Quæ altera Pſeudoſynodus Leoni legitimo Pontifici Benedictum Antipapam oppoſuit. Quem Leo juſta ſynodo (inique *Baronius* Pſeudoſynodum dicit) dejicit. Anno 967. *Ravennæ Synodus* ab Ottone coacta in *Supplem. Regin.* memoratur.

In

In *Centuriis Magdeb.* ad Ottonis II. tempora referuntur, quæ in Anglia geſta ſunt. Cæteri ad annnm 970. referunt, quæ acta ſunt in generali, ut vocatur, Synodo, contra clericos conjugatos, incentore harum turbarum, *Dunſtano Cantuarienſi Epiſcopo*, vero regum flagello, &, ſive infandis artibus, ſive calliditate ſingulari (nimis enim ſimplex ſit, qui veram ſanctitatem cum nonnullis ſomniet) hujus temporis Mago. Anno ſequente *Baronius* ponit *Romanam Synodum*, confirmandis quibusdam privilegiis ab Edgaro Angl. R. monaſterio S. Mariæ Glaſtingebiri conceſſis. Anno 972. *Idem* ex vita S. Udalrici *Synodum Ingelheimenſem* ponit. 971.

Argentoratenſis Epiſcopus *Rothardus* ſive Ruthardus *obiit* anno 950. cui Vdo Vdonis Comitis filius in Epiſcopatu ſucceſſit. Ita *Continuator Reginonis*. Anno 965. *Udo Straſburgenſis Epiſcopus obiit, cui Erkanboldus* ſucceſſit. Ex eodem Hiſtorico. Hic eſt ille Erkanbaldus, quem *Wimphelingius in Epiſcopis Argent.* à ſingulari pietate, prudentia, auctoritate, & doctrinâ, meritisq; variis in Eccleſiam commendat. Quæ elogia tranſcribit *Guillimannus*. Inter cætera, *Wimphelingius* memorat, Bibliothecæ Argentoratenſi multos eum libros tradidiſſe; ſed & ipſum Erkanbaldum in lectione librorum valde verſatum fuiſſe: id quod ſpeciminibus quibusdam oſtendit. Non diſſimulo meum gaudium, quod concepi, poſtquam incidere contigit in talem librum, extrema quidem parte mutilum, ſed ab interitu, qua ſupereſt, à me ereptum. Continet *Actus Apoſtolicos, Epiſtolam Jacobi, Petri utramque, tres Johannis, epiſtolam Judæ, cum Lectione Evang. in Annunt. S. Mariæ, & Bedæ expoſitione*; itemque *Apocalypſin Johannis*, atque in eam *commentarium Bedæ*. Hujus expoſitionis prima membrana hos verſus oſtentat.

Utilis Eccleſiæ pius ERCHANBALDUS *agiæ*
Inclitus antiſtes libros perlegerat omnes.
Inter quos iſtum parili cum ſorte libellum
Correxit per ſe, ſtudioſi dogmatis arte,
Falſa catus radens, & congrua ſenſibus addens.
Hoc ſtudium fateor tenuit virtutis amator.
Omnia diſcenti ſervantur poſteritati,
Mentio quo digni poſt talia facta patroni

Ful-

Fulgeat in populis pollens per ſecla futuris,
Fundere qui domino ſtudeant oramina noſtro,
Ejus pro requie permanſura ſine fine,
Hoc tribuat Chriſtus qui conſtat trinus & unus.

Altera facie quædam ab ipſo Ercanbaldo Epiſcopo notata miſcellanea reperiuntur. Secunda pagina præſcribit ſibi hoc diſtichon literis majuſculis:

Erchanbald præſul Francorum ruribus exul
Hoc nobis propius ſcribere juſſit opus.

Exilium à Francorum ruribus, nihil aliud intellexerim, quam abſentiam ex Germania, quæ Franciæ & Francorum vocabulo haud raro etiam his temporibus notabatur. Fuit enim Erkanbaldus in Italia cum Ottone. In margine membranarum, etiam aliquæ gloſſæ leguntur, adſcripto Epiſcopi nomine. Pleraque autem ad notitiam hujus tam inſignis viri pertinentia nobis deeſſe, vel ex iis licet intelligere, quæ ſolus annotavit Wimphelingius.

lib. 4. Ex epiſtola Leonis VII. ad Epiſcopos Bajoariæ apud *Aventinum* non obſcure colligi poſſunt mores Clericorum, emendatione ſeria plurimum indigentes. Et jam ante, multa ſunt dicta de Epiſcoporum in rebellionibus ævi & motibus in Germania & Italia πολυπραγμοσύνῃ. Abuſus etiam ſanctiſſimorum myſteriorum in eo agnoſci poteſt, quod Fridericus Archiepiſcopus Moguntinus, cum conſpirationis in Ottonem particeps haberetur, *publica ſe examinatione, perceptione corporis & ſanguinis Domini, coram populo in eccleſia purgavit.* Apud *Continuat. Regin.* 941. Et in alia conſpiratione, anno 954. idem *Fridericus etiam ſacramento ſe expurgaturus, nihil contra regiam ſe fidelitatem egiſſe, acceſſit: ſed Rex omni pietate plenus, eum ſacramento abſolvit.* Res ipſa clariſſimis teſtimoniis oſtendit, non fuiſſe tum Fridericum innocentem. Itaque cavillatoriam purgationem, quæ non poterat niſi interpretatione ſubtili niti, Imperator prudenter venia data prævenit.

Cultum imaginum, & reliquiarum valde invaluiſſe, multa ſunt, quæ teſtantur, neque hic recenſenda. Imaginem ἀχειροποίητον Edeſſenam, multa cum pompa Conſtantinopolim Edeſsâ transfert anno 944. *Baronius*, quem deſcribit *Jacobus Gretſe-*

Gretſerus in Syntagmate de imaginibus manu non factis; ubi & *Caſauboni* rationes, quibus in dubium vocavit fidem ejus imaginis, convellere conatur, quo ſucceſſu, non eſt hujus loci diſputare.

Campanarum conſecrationem cœpiſſe anno 968. Pontifice Johanne XIII. auctore, *Baronius* annotat. Etſi autem, §. 93. pro vulgari baptiſmi appellatione, conſecrationem & benedictionem alii malint nominare, quia tamen omnia, ad ritum veri baptiſmi, adhibentur, nemo pius dubitaverit, hoc κακοζηλίας genus ad contemtum ſanctiſſimi ſacramenti pertinere. Quanto generoſius Carolus M. ſuperſtitione ea jam tum inoleſcente, *clocas baptizari* vetuit? Vid. *Ger. Jo. Voſſ. diſput. XII. de Baptiſm. th. 1.*

Quæ ex Petro Damiani *Sigonius* (*lib. 6. de regn. Ital. annis 954. & 956.*) de matrimonio Ottonis cum Adelhaida habet, tanquam inceſtuoſo, eo quod Adelhaida commater ejus fuiſſet, deque Gulielmi Archiepiſcopi poſt Fridericum Moguntini reprehenſione, bene refutat *Baronius ad ann. 973. §. 5. & 6.* Errorem ipſum à Græcis hauſtum (ſicut monet *Luithprandus* 4, 6.) Canonico juri inſeruerunt Pontifices.

Monaſterii San Gallenſis recognitio facta eſt, teſte *Hepidanno*, anno 968. cum enim ab æmulis apud Ottonem delati eſſent San Gallenſes, Otto miſit octo Epiſcopos & totidem Abbates ad examinandam vitam monachorum. Quæ res fuſe, & ita deſcribitur ab *Ekkehardo Juniore in caſib. Mon. cap. 11.* ut ſimul tota ratio Monaſticæ vitæ, tum poteſtas Imperatoris in omnia monaſteria liquido perſpiciatur.

Initium Chriſtianæ religionis in Sileſia & Polonia in annum 965. referunt *Joach. Curæus, Mechovius, Cromerus & alii.*

De *Muhammediſmo & Judaiſmo* vide, quæ *J. H. Hottingerus* diligenter collegit, *Hiſt. Eccleſ. cap. X. ſect. 2. & 4.*

Literæ & Eruditi.

AD hæc tempora refert *Bellarminus de Scriptoribus Eccleaſiſticis Moſen Barcepham Syrum*; cujus de *Paradiſo* ſcriptum *Bibliothecæ Patrum* inſeritur. Itemque *Stephanum Edvenſem, in eadem Bibliotheca.*

Gerardus Jo. Voſſius (*lib.* 2. *de hiſt. Lat. c.* 40.) in Ottonis Magni tempora refert Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis commentarium in Pentateuchum, *Hildeberti* Moguntini, aliquot vitas; *Liuthprandum* ſeu *Luithprandum* inter Scriptores Germ. à *Reubero*, itemque in Francicæ hiſtoriæ corpore ſæpe hactenus laudato, editum; *Odonem Severum, Fridegodum Diaconum, Uthonem Epiſcopum Argentoratenſem, Anaſtaſium quendam, Guilielmum Archiepiſcopum Moguntin. Saliphilacem Britannum, Joannem monachum Cluniacenſem, Flodoardum ſ. Frodoardum presbyterum*, cujus *Chronicon tom.* 2. *hiſt. Franc.* exhibet *Andreas du Cheſne*; *hiſtoriam Eccleſiæ Remenſis* ediderat *Sirmondus*; *Reginaldum Eiſtatenſem, Theodoricum archiepiſc. Trevir. Unvvonum Britannum, Occonem Scharlenſem*, & quosdam *anonymos*. De quibus omnibus ibi partim dubitat, partim refert *Voſſius*. *De quinque Ekkehardis San-Gallenſibus*, in hoc ſæculum & trium Ottonum tempora congruunt *Ekkehardus Senior, Ekkehardus Minor ſ. Junior Palatinus Imperatoris Ottonis Capellanus. Ekkehardus alius minor. Scriptor* autem *de caſibus Monaſterii S. Galli* hactenus ſæpe laudatus, dictus & ipſe *Ekkehardus Junior*, & *auctor vitæ Notkeri Ekkehardus Minimus*, ad ſæculum XI. pertinent. De quibus *vid. Goldaſt. in proœmio tom.* 1. *Alam. rer.*

Inter ſtudia horum temporum fuit *ars per notas ſcribendi*, cujus ſpecimen in aula Imperatoris edidit *Ekkehardus Junior Palatinus*, colloquio Ottonum de electione Notkeri abbatis ad hunc modum conſignato. De quo alter *Ekkehardus Junior Hiſtoricus* ita memorat: *Ekkehardus autem notularum peritiſſimus pæne omnia hæc eiſdem notavit in tabula verbis. Quibus Otto ſuus* (Junior) *poſtea, ut ipſe nobis retulit, multum delectatus eſt ſibi relictis, cum ipſe præter notulas nihil viderit, in tabula.* *de caſibus Mon. c.* 16.

Idem *Ekkehardus* præcipuis laudibus celebrat, *peritiam Græcæ linguæ, cæteramque eruditionem* in *Hadvviga* Heinrici Ducis filiâ Burckhardi Suevorum Ducis uxore. Adeo ut Burckhardum Juniorem poſtea Abbatem Græciſſare doceret; quem abeuntem *Horatio* aliisque *libris* donavit. *cap.* 10.

Verſuum ſtudium adhuc floruiſſe, plerisque argumentis intelligitur.

De

De Italia *Sigonius*: *Litterarum ea ætate ſtudia ferme nulla, niſi philoſophia ac theologia. Nam jus civile Romanum uſque ad Lotharium Imperatorem, qui Henricum eſt inſecutus, prope Italiæ fuit incognitum, & medicorum uſus ſemper fuit major, quàm dignitas. Poëtæ & oratores, ſi qui hoc nomine digni erant, ſibi potiùs quam populo canebant, qui vero cæteris antecedere eloquentiæ laude, ac varia litterarum doctrina putabantur, ii plerique monachi erant. Scholæ quidem publicæ, quæ nunc paſſim ad excolenda juvenum peregrinorum ingenia celebrantur, de quibus affirmari poſſit, nullæ tum fuiſſe produntur.* Melius ergo cum Germania hoc tempore actum eſt, quod vel ex *Ekkehardo* diſcas, ubi commemorat verba Ottonis Epiſcopos & Abbates ad Monaſt. S. Gall. mittentis, poſtulantisque, ad ſe in aulam adduci, qui vitæ monaſticæ leges detrectent, *ut ex eis, ſi idonei ſint, ſcholis aliquibus, quæ in regno vacillant, præponerentur.* Valuiſſe intelliguntur de cætero ſcholæ, cum aliquæ dicuntur vacilaſſe. nec in obſcuro eſt Ottonis cura, de idoneis magiſtris, magno Principe profecto digna. *lib. 7. de regn. Ital.*

Memorabilia alia.

QUid faciemus narrationi, quam ex *Chronicis Bavaricis* de privigno Ottonis Erneſto *Lebmannus* affert *Chron. Spir. V.* 8. Non immerito dubites. neque intempeſtive in mentem veniat *Heinrici Meibomii* annotatio *ad Witichindi lib.* 3. *De liberis Ottonis I. ex Adelheide parci admodum veteres, prolixiores recentes, incertum qua fide.* Satis memini de privigno hic Ottonis agi. Sed conſuetudo illa recentiorum ſcriptorum, non paucis locis, hiſtoriam hujus Principis attaminavit.

At Hattonem, qui poſt Gulielmum, Archiepiſcopus Moguntinus ex Abbate Fuldenſi factus eſt, à muribus devoratum, poſtquam annonâ arctiore pauperes, veluti mures fruges conſumere natos combuſſiſſet, ejusque rei monumentum turrim in Rheno extructam (Meußthurn) referunt *Trithemius, Bruſchius in Catalogo Epiſc. Mogunt. Lycoſthenes de prodigiis anno* 969. *Merſæus, Compilatio Chronologica*, & *alii*: agnoſcitque *Drexelius. Serarius* vero *in rebus Moguntinis* negare conatur. De quo alii, & nos fortaſſe aliàs.

Lib. 2. *Fodinæ metallicæ* hujus temporis gloriam auxerunt. *Sigebertus* anno 968. *Otto Imperator in terra Saxonica venas auri & argenti primus induſtria ſua aperuit.* *Ditmarus* rem extollit præconio: *Temporibus* Ottonis *aureum illuxit ſæculum, apud nos inventa primum argenti vena.* *Otto Friſingenſis*, *venas argenti & æris juxta* Chron. 6. 24. *civitatem Goslariam* inventas tradit.

Prodigia, apud *Lycoſthenem* & Wolffium collecta eſt reperire.

Summatim vitam Ottonis complexus eſt *Ditmarus*, eoque veluti exordio librum hiſtoriæ ſuæ II. præſcripſit, rudi quidem carmine, ſed in hanc ſententiam:

OTTO decus regni, de ſtemmate cretus herili,
Henrici Patris fulgebat ubique coruſcis
Actibus, & ſolium conſcenderat inde paternum;
Huic primo multi contradixêre maligni
Invidia, cunctis quos vicerat iſte ſuperbos
Flamine divino, quod ſemper poſcit ab alto;
Non fuerat tantus Caroli de morte patronus,
Nec puto ſimili regnum paſtore potiri.
Epiſcopatus conſtruxit denique ſenos.
Hic Beringerum ſuperans virtute ſuperbum,
Langobardorum ſibi ſubdit colla furentum.
Imperatorem fecit ſibi Roma potentem
Hunc, & maritimi ſolvunt tributa remoti.
Pacis amicus erat, bellum lateque premebat:
Occidentales ſedat, Danosque feroces.
Partibus Eois tunc non apparuit hoſtis.
Maximus in ſceptro ter denos ſedit & octo
Annos in regno, tandem & diſceſſerat Otto,
Flebilis heu patriæ, ſimul invincibilis, atque
Linquens hic poſt ſe tunc contectalis amica
Pignus, & nati, quo lætabantur amici.

OTTO,

OTTO, II.

OTTONIS I. EX ADEL-HEIDE FILIUS.

Annotatio Temporis.

NAtivitatem ejus *Supplementum Reginonis* collocat anno 955. Rex declaratus eſt auctoritate Patris in Italiam ituri 961. Ex *eodem Hiſtorico.* Anno 968. Romæ coronam ſuſcepit, Patre, ut ante dictum eſt, itidem vivente. 973. Patri ſolus ſucceſſit. Obiit anno 983. Annos imperii ſolitâ varietate, alii 9. alii 10. numerant. In quibus etiam *Ditmarus*, *ſedit*, inquit, *bis quinos ſolares annos. Hepidanni* annales à conſenſu cæterorum plane aberrant, initia ejus in annum 978. finem in 988. referentes; translatis etiam in ulteriora, quæ interjici citerius debebant.

Elogium.

DE hoc Imperatore non omnes idem judicant: & quidem recentiores ſibi plus permittunt: Itali præſertim alieno animo ſunt. Inter quos *Sigonius*: *Hunc paterno*, inquit, *nomine, quàm proprio ut viventibus gratiorem, ſic apud poſteros memoria commendatiorem fuiſſe reperio.* At candidiùs longe, *Ditmaro* dicitur *regni tutor & imperii, hoſtibus cunctis horrendus, commiſſisque gregibus inexpugnabilis murus.* Hæc ille, qui tamen putavit, ſe habere cauſam conquerendi de Imperatore, tanquam proniore Magdeburgenſi Archiepiſcopatui contra Merſpurgenſem Epiſcopatum. Quin imo etiam ille *Anonymus*, qui res geſtas Adalberti apud *Surium* ſcripſit, licet multum ſibi placeat confictâ de cauſis immaturæ mortis Ottonis fabulâ, non poteſt laudes ejus diſſimulare, cum ſubjicit: *Huic in parvo corpore melior*

lib. 7. de regn. Ital.

lib. 3. fin.

v. & Baron. 983. §. 11.

lior virtus, magnus amor & fides ſuis, larga manus ſine querela cunctis, ſapientia major annis, pia humanitas erga Dei ſervos, confeſſio & oratio bona Regnum tenuerunt. Heroicam ejus indolem Græcis Latiniſque literis eruditam, & mox conſortio reipublicæ gubernandæ exercitam, multa docent. Inprimis vero magna hîc eſſe debet auctoritas Ekkehardi Junioris, quem magiſtrum & ſubinde conſiliarium habuit: Parentis utriuſque curâ in profectum tam dilecti pignoris exactiſſimè advigilante. Ille Ekkehardus Junior, alteri *Ekkehardo* itidem *Juniori* commemoravit, atque conſignanda tradidit, omni exceptione majora de indole & educatione Ottonis noſtri teſtimonia. Salomoni, filium, ad latus Patris Davidis, comparari jam tum conſueviſſe, *Hroſvvita* aſſerit. Igitur dubitandum non eſt, quin acceptam à Patre gloriam, ad immenſam amplitudinem provecturus fuerit, ſi vita manſiſſet. Fidem faciunt non parva temporis parvi opera: quibus domi foriſque hoſtes compeſcuit terruitque. Henricus enim patruelis (non patruus, quod aliqui tradunt) Bajoariæ Dux, exempla priorum temporum ſecutus, cum à fide defeciſſet, armis ad officium reducendus fuit. Neque defuerunt bella Lotharingica, Gallica, Bohemica, & Italica. Cumque in rebelles & perfidos Italos, præcipue Romanos, graviorem pœnam ſtatuiſſet, deſertus poſtea ab ipſis eſt in prælio adverſus Græcos, magnaque clade affectus. Pervertunt ordinem temporis *Mutius*, *Lehmannus* & *alii*, qui poſt illam cladem ſeveritate Romani illius ſupplicii Ottonem uſum putant. Captivitatem & ex ea liberationem itidem non uno modo memorari videas. Alii enim peritiâ Græcæ linguæ ad diſſimulationem ſui uſum, affirmant: alii edidiſſe nomen, & aſtu Græcis perſuaſiſſe, ut Roſſanum appellerent, ubi uxor ejus erat, tradunt. Ibi natatu, quo valebat, evaſiſſe eum, ſatis conſtat. Uxor, de qua dixi, Theophania Græca erat: quam pater, ut ſupra oſtenſum, ei collocaverat. Superbiam in ea & temeritatem notant, quod popularium ſuorum virtutem, clade mariti jactare non eſſet verita. Ex hac tuliſſe Ottonem ferunt *Filium cognominem* (Otton. III.) qui ſucceſſit ei in Imperio, Hugonem Saxoniæ Ducem, Adelhaidem, quam & Aloyſiam dixere. Alii

in lib. de caſib. Mon. S. G.

Ditmari.

v. Onuphr. Panvin. in Princip. Rom.

Alii addunt filias Adelhaidem II. & Sophiam, & Juditham. Rurſum alii ex ſecunda uxore, quæ fuerit de Marchionum Auſtriæ ſtirpe, quatuor filias Ottonem ſuſcepiſſe produnt: Uthilaidem, Adelhaidem, Juditham, Mithildem: ſed hanc totam de ſecundo matrimonio, liberisque inde natis opinionem refutat *Cyriacus Spangenbergius in Chronico Mansfeldenſi.* Sed nec iſta ſatis cum re conveniunt, quæ de nepotibus ex Aloyſia & Alramo, Marchionibus *Montisferratenſibus*, ex Leandro Alberto *Megiſerus* repetit, in *Annalibus Carinthiæ.* Ex concubina duos filios Fridericum & Udalricum numerant. Mortis præmaturæ cauſas, longe propius petendas, quid niſi altero parricidio comminiſcuntur ſuperſtitioſa dicam an maligna ingenia? Aliqui de Laurentio martyre, quaſi ultore, confingunt aniles nugas, non erubeſcente repetitionem earum *Baronio:* Alii quaſi ab Angelo, ob neglectum judicium quoddam, percuſſum in monte Gargani Ottonem tradunt; ſicut videre eſt *in fragmento Hiſtorico Urſtiſiano.* Sed arguit fabulatorem tempus. Ponit enim annum ſpectaculi angelici 991. mortis 994. nec interjecta quadrant. Obiit autem, non ſine veneni ſuſpicione 983. 7. Id. Xbr. ſicut *Ditmarus* diem annotavit: ſepultus in atrio templi S. Petri, labro porphyretico. Cognomen *Sanguinarii* ab Italis additum eſt, ſeveritatem ſupplicii Romani execrantibus. *Rufum Saxonicum* Ekkehardus cognominavit. Aliqui *Pallidam mortem Saracenorum* vocitatum, produnt. Ex quibus cognominibus nullum vere pervulgatum & uſu receptum exiſtimo.

& Henningeſti theatr. Genealog.

cap. 149.

lib. 6. c. 97.

anno 983. §. 11.

Status Reipublicæ.

SEriem bellorum ab Ottone II. geſtorum ita ordinat *Ditmarus. Prima expeditione Buſchut civitatem cepit: Danos ſibi rebelles petens, ad Schleſvvig properavit.* Hinc in perſequendo Henrico Bavaro, Bohemicum bellum interponitur: ſubinde Gallicum; poſtea Slavicum, atque ſic deinceps res Italicæ. *Sigebertus* anno 973. de *Lotharingicis* turbis ita ſcribit: *Raginerius & Lambertus, filii Raginerii Longicolli, paulatim reſumtis viribus à Francia redeunt, & cum Garnero & Ramnoldo, qui Comitatum patris eorum occupa-*

lib. 3.

occupaverant, bello apud Peronam confligunt, eoſque cum multis perimunt, & ſuper Hannam fluvium caſtello Buxide munito Lotharingiam infeſtant. Anno 974. *Otto Imperator caſtellum Buxidis obſidet, captum diruit, captos in eo exiliat: nec tamen Raginerius à rebellione deſiſtit.* Anno 976. Raginerii filiorum cum Godefrido & Arnulpho Comitibus, Montenſis Comitatus invaſoribus conflictus deſcribitur. In quo cum Comites viciſſent, anno 977. auxiliis Gallorum, Raginerii filii relocantur in patriam ditionem. Hæc fuit infeſtatio Lotharingiæ ex Montenſi Comitatu facta: non ſine auxilio & favore Gallorum. *lib. 5.* Addendus eſt omnino, qui iſta interpretatur, *Aventinus.* Atque, ut remedium huic rei quæreretur, *Ducatus Lotharingiæ datur Carolo, fratri Lotharii Regis Francorum, multis inſuper conducto beneficiis, ut & ipſe ab inſolentiis deſiſtat, & fratris ſui Lotharii motibus* 977. *obſiſtat.* Ita *Sigebertus*: quem ita explicat *Paulus Æmylius*: poſt Buxidem expugnatam, Otto *ex Francia Carolo Lotarii fratri evocato Lotaringiam Ducatum tradit: ut is beneficiarius Cæſarum jurejurando effectus, fratrem Regem Francosque minus reſpiceret.* *Gallica turba.* Anno 978. *Lotharius Rex Francorum* (apud *Sigebertum*) *ad invadendam Lotharingiam contendit*: cumque Otto imparatus cedere cogeretur, mox & ipſe ultionis cauſa cum exercitu Galliam ingreſſus Pariſios uſque omnia evaſtavit: in regreſſu tamen quibusdam incommodis conflictatus. *Ditmarus* in hunc modum finit illam expeditionem: *lib. 3.* *Reverſus inde Imperator triumphali gloria, tantum hoſtibus incuſſit terrorem, ut nunquam poſt talia incipere auderent, recompenſatumque eſt his, quicquid dedecoris intulere noſtris.* *Hepidanni* hæc eſt narratio: *Lotharius Rex Francorum contentioſe agens adverſus Imperatorem Ottonem de finibus Regni, Aquiſgrani tanquam ſedem Regni patrum ſuorum invaſit. Terram quoque inter Moſellam & Rhenum, quæ erat in Ottonis Imperio, affectare cœpit. Contra quem ſtatim Otto XXX. millia equitum in Franciam duxit, & hoſtiliter eam devaſtans famoſiſſimam fecit expeditionem.* Addendum eſt *Chronicon Hildesheimenſe* anno 980. quo eodem *Sigebertus* memorat: *Otto Imperator, Lotharius & Rex, convenientes ſuper Carum fluvium pacificantur, datis invicem ſacramentis, & Rex Lotharius Lotharingiam abjurat.* *Ditmarus* ita: *Imperante tunc prædicto Ottone VI. annos, Lotharius Rex cum filio ſuimet,*

met, ac muneribus magnificis ad eum venit, & ſibi ſatisfaciens, amicitiam ejus firmiter acquiſivit. *Paulus Æmylius* de hac pactione: *Mox ultro citroque commeantibus ſanctis viris, ad colloquium congreſſi ſunt Rex Cæſarque, armaque poſita. In Lotharingiæ poſſeſſione Carolus permanſit, ſed anguſtioribus finibus deſcripta, quam ante fuiſſet. non contemnenda enim pars, hinc Agrippinenſium, illinc ſacra Leodienſium Eccleſia attributa eſt.* Addit alia, quibus diſquirendis nunc non eſt locus. Videatur omnino *Kyriander Annal. Trevir. part. 10. p. 84.*

De *Henrici rebellione* regium nomen affectantis, *Sigebertus* ad annum 974. *Contra Ottonem Imperatorem rebellat patruelis ejus Henricus Dux Bajoariæ.* Anno inſequente: *Otto Imperator Henricum Ducem ſibi ſubjugat.* Poſtea nihil ſequitur. *Lambertus Schafnaburgenſis* anno 974. *Henricus Dux Bajoariorum & Abraham Epiſcopus cum Boliſclaione & Miſichone inierunt contra Imperatorem pravum conſilium. At Imperator tali nefando comperto conſilio, congregavit omnes Principes ſuos, & quid inde faceret conſilium petiit. Qui dederunt ei conſilium, ut mitteret ad Ducem Heinricum & Bopponem Epiſcopum, & Gebehardum Comitem, eosque ad placitum* (comitia) *invitaret per edictum: qui ſine dilatione Deo donante dedit ſe in poteſtatem Imperatoris.* Intelligimus hinc, Bohemos, Polonosque permixtos fuiſſe conſiliis Heinrici. Anno 976. *Otto Imperator perrexit ad Bajoariam atque Heinricum Ducem expulit, Ottonique Duci Bajoariam commendavit.* Anno 977. *Ipſe quoque Heinricus cum altero Heinrico invaſerant Bazovvam, quod Imperator ut audivit, feſtinato exercitum illo movit, urbemque obſedit, & Heinricum Ducem ad ſuam gratiam recepit.* Anno 978. *Aderat & Heinricus cum altero Heinrico, qui comprehenſi in exilium miſſi ſunt.* Chronicon *Hildesheimenſe* anno 974. *Henricus Dux Bajouvariorum eſt captus, & ad Engilenheim miſſus.* Anno 976. *Henricus Dux Bajouvariorum ſua poteſtate depoſitus, & excommunicatus degit cum Sclavis.* Anno 977. *Idem Henricus cum conſilio minoris Heinrici Pataviam civitatem invaſit, ibique ab Imperatore obſeſſus, & coactus ſeſe ſubdidit Imperatori.* Anno 978. *Heinricus quondam Dux cum Henrico minore & Ekbertus Comes juſſu Imperatoris comprehenſi ſunt, & exilio deputati.* Anno 983. *Imperator Veronæ Placitum habuit, ibique Heinricus minor de exilio ductus Dux Bajouvariorum conſtitu-*

de caſib. Mon. cap. 1. *tus eſt.* Attingit & *Burchardus Monachus S. Galli* his verbis : *inter Ottonem Imperatorem & nepotem ejus Henricum Ducem Bajoariæ gravis de regno contentio orta eſt.* Hæc ipſorum Scriptorum veterum verbis volui annotare : ſi quis contextam hiſtoriæ ſeriem mavult legere, *Aventinum* præſertim adeat : tum *Megiſerum* lib. 5. *in Annalibus Carinthiæ lib. 6. cap. 98.*

Ex hoc Henrici Hezilonis (id enim cognomenti tulit) bello, Bohemicum bellum exortum eſt. Nam *Henricus Dux Bavariorum* (verba *Ditmari* refero) *honore & communione priva-* lib. 3. *tus, Bojemiam fugit*, ad Ducem Bolizlaum. Adverſus quem Otto expeditione ſuſcepta, nihil magnopere profecit, donec Heinricum *anno proximo ad Pataviam confugientem ſubegit.* Idem *Ditmarus* mox aliam cladem Sclavis graſſantibus illatam memorat.

Quomodo *Itali* occaſione mutati Principis, libertatem recuperare, conſulatus in civitatibus inſtituere, privatas turres in urbibus ædificare, aliaque ſeditioſius moliri cœperint, apud *Si-* lib. 7. de regn. Ital. *gonium* videre licet.

E *Comitiis* maximè celebria ſunt, *Wimarienſia* anno 975. de quibus *Lambertus Schaffnaburgenſis* : *Otto Imperator habuit conventum magnum in Wehmare.* Actum ibi de expeditione adverſus Bohemos. *Comitiorum Veronenſium* nullam facit mentionem *Sigonius* : *Ditmarus* autem ita deſcribit : *Anno Dominicæ in-* lib. 3. *carnationis 983. Imperator Veronæ Placitum habuit, & Henricus minor exilio ſolutus, Dux Bavariorum, & in hoc anno Slavi unanimiter reſtiterunt Cæſari & Thiedrico Marchioni : & filius Imperatoris ab omnibus in dominum eligitur.* Atque, ut *Idem Hiſtoricus* annotat, ante mortem Patris Aquiſgrani conſecratur. *Conventum Roncalienſem* non omittit *Sigonius*. *Placentiam*, inquit, *XVII. Kal.* anno 980. *VIIbr. progreſſus ſolemnem apud Roncalias procerum, ac civitatum Italicarum conventum habuit : ibi jus populis dictum, & quaſtiones de ſeditionum auctoribus habitæ, & novis feudorum titulis aliquot inſigniti.* & quæ ſequuntur.

Judiciorum pars ſolebat eſſe Roncalienſis Conventus. De cæteris *Lambertus Schaffnaburgenſis* anno 979. *Gero Comes à Waldone*

Waldone quodam accuſatus, dum eum in ſingulari certamine occidiſſet, ipſe tamen ab Imperatore decollatus eſt. Hoc quoque judicium in Comitiis factum *Ditmarus* refert: *convocatis ſcilicet ad Magdeburg cunctis regni Principibus, congreſſi ſunt* (Waldo & Gero) *judicio in inſula quadam ſingulari certamine, vulneratusque in cervicem bis Waldo, ardentius inſequitur hoſtem, percutiensque ictu valido caput, proſternit eundem. Interrogatus autem Gero Comes ab eodem, ſi plus potuiſſet pugnare, coactus eſt, quod jam defeciſſet, profiteri. Waldo tum egreſſus, aqua refocillatus, depoſitis armis poſt tergum mortuus cecidit. Tunc Gero juſſus decreto judicum, & voce Imperatoris à carnifice quodam decollari.* De duelli judicio ſæpe hactenus. Sed hoc exemplum non unas ob cauſas notabile eſt, in quæſtione, quis pro victore habendus. Reprehenſus tamen eſt Imperator à nonnullis proceribus, *quod ob tam vilem cauſam tantus vir nunquam damnari debuiſſet.* Singularem autem movit invidiam Ottoni illud Romanum ſupplicium, cum de principibus & legatis Italicarum civitatum ad convivium Romæ vocatis, ſeditioſiſſimum quemque inter epulas interfici juſſit. Deſcribit metrice *Godfridus Viterbienſis*, cui *Sigonius* addendus.

Leges & Conſtitutiones Ottonis II. v. apud *Goldaſtum.* In illis ſunt, quæ tempus male annotatum præferunt. Ut in capite, de *Jurisdictione Eccleſiarum Imperii, adſcribitur: anno 974. Regni noſtri 11. Imperii autem 6. In Confirmatione juris municipalis Magdeburgenſium, ac prærogativa Scabinorum,* additur: *anno poſt Chriſti nativitatem 978. anno primo Imperii noſtri.* Quæ nullo modo conveniunt. Sunt & alia in illa conſtitutione, unde vix credas ſtilo & tempore Ottonum ſcriptam. In decreto Comitiorum Veronenſium bene abrogatus eſt ille mos, quo *antiquis conſtitutum eſt temporibus, ut ſi cartarum inſcriptio, quæ conſtabat ex prædiis, falſa ab adverſario diceretur, ſacroſanctis Evangeliis tactis, veram eſſe ab oſtenſore cartæ probaretur: ſicque prædium ſine deliberatione judicum vindicabat.* *tom 1. & 3.*

Non indignum fuerit obſervatu, quod de *Aquila Aquiſgranenſi*, *Ditmarus* annotat. cum retuliſſet, Lotharium Gall.

Reg. *Aquiſgrani palatium & ſedem regiam invaſiſſe, ſibique verſa aquila deſignaſſe*, addit: *Hæc ſtat in Orientali parte domus, morisque fuit omnium, hunc locum poſſidentium, ad ſua eam vertere regna.*

Excerpta de rebus geſtis.

OTtonem in Italia contra Græcos & Saracenos multa proſpere geſſiſſe ante acceptam cladem, etiam Itali fatentur: poſt internecinam autem fere cladem illam, inſigne viſum eſt, quod Beneventanorum perfidiam magna celeritate vindicavit.

Inter viros fortes, præclaris per hæc tempora facinoribus nobilitatos, fuit etiam *Eccardus Miſniæ Marchio*, Guntheri Patris gloriam ſupergreſſus. vid. *Reineccii appendix ad Ditmarum.*

Conſtantinopolitani Imperatores.

SUcceſſerunt Joanni Tzimiſcæ, *Baſilius Junior, & Conſtantinus X.* (IX. enim cum & ſub Romano Lacapeno Imperatore itemque Conſtantino VIII. imperaverat) fratres, Romani III. filii, anno, ut *Onuphrius* habet, *977. Baronius 975.* ponit. Baſilius uſque ad annum 1026. (vel 1025.) Conſtantinus uſque ad 1029. (vel 1028.) vitam produxerunt. Magnis rebellionibus bellisque civilibus agitatum eſt Imperium: relatumque exemplum mittendi adverſus Bardam Sclerum Ducis cum poteſtate ἰσολυεγύνῳ & ἀνευθύνῳ, ſive dictatoriâ. Baſilium avaritia præſertim infamavit, & animus durior obſtinatiorque. Conſtantinus, Reipublicæ adminiſtrandæ fere per ignaviam expers fratre ſuperſtite, poſt ejus obitum pleraque deſidiæ crimina profudit. Videndi *Zonaras, Cedrenus,* & *Cuſpinianus.*

Externa

Externa Imperia atque dominationes

In Ottone III. dicentur.

Eccleſiaſtica.

POntifici Benedicto VI. *Onuphrius* anno 974. ſubrogat *Bonifacium VII.* in annum 1. m. 1. d. 12. huic *Benedictum VI.* (dictum VII.) ab anno 975. in annos novem m. 1. d. 12. *Baronius* quoque anno 974. Benedictum à Bonifacio ſceleſtiſſimo homine in vincula conjectum ſtrangulatumque, refert. Hunc Bonifacium invaſorem ope Benedicti mox Papæ VII. dejectum anno inſequenti, ait. *Sigonii* hæc eſt narratio: *lib.7. de regn. Ital.* *Roma aperte de antiqua recuperanda libertate tumultuatum. Hunc tumultum Cincius civis Romanus excivit. Hic quod teneri Joanne ſedente Othonis ſenis metu nequiverat, id ſe evicturum Benedicto Eccleſiam, Othone adoleſcente regnum obtinente, ratus, negotium ingens majore animo quàm conſilio iniit.* 974. *Ac ſequenti anno Benedictum Jura Imperii atque Eccleſiæ retinentem nactus, atque in vincula traditum miſere mori coëgit. Renovata inde vetere in pontificiis comitiis ambitione Romani, neglecto proximo Leonis decreto, Pontifices quos lubido tulit, rurſus ſine Imperatoris auctoritate crearunt. Itaq; mortuo benedicto Donus II. & mox poſt Donum Bonifacius VII. Ferrucii civis Romani filius, corruptis comitiis eſt illatus. Quod cum factio Thuſculanorum Comitum æquo animo ferre non poſſet, in eum concordibus animis conſpiravit, atque ipſum omnibus affictare modis inſtituit. Quorum conatibus cum par ad reſiſtendum non eſſet, poſt menſem baſilica Vaticana pretioſis rebus omnibus ſpoliata profugit. Quo facto Comites Thuſculani Benedictum VII. Alberici quondam conſulis nepotem intruſerunt, ut Petrus Damiani eſt auctor. Hic domeſtica factionis, & externa Othonis amici potentia fultus multis ex adverſariis in vincula conjectis tumultum lenivit.*

In his *Sigonii* verbis, Imperatoris auctoritas in conſtituendo Pontifice, ſatis affirmatur. Quam non omiſit notare

Ditmarus Epiſcopus Merſepurgenſis, quando de Epiſcopis ab Ottone II. conſtitutis agit. Narrata morte Archiepiſcopi Colonienſis Geronis ſubjungit: *Hujus vice Warinus electione & imperatorio munere protinus ungitur.* Sequitur: *Mortuo quoque Roberto, Moguntinæ ſedis Archipræſule, Imperator Cancellarium ſuimet nomine Willigiſum, multis hoc ob vilitatem ſui generis renuentibus, eidem præfecit Eccleſiæ.* Ita cum in locum Adelberti Archipræſulis Magdeburgenſis alius electus eſſet, totius rei arbitrium Imperatori per legatos permittitur. In Monaſterio San Gallenſi *Immo* Abbas *canonice electus & ab Ottone Imperatore legitime inveſtitus*, apud *Burkhardum* (*cap.* 1.) refertur.

In *Synodis* huc pertinentibus primam *Baronius* ponit *Mutinenſem* 973. m. VIIbr. Deinde *Conſtantinopolitanam* anno 975. itemque *Wintonienſem* in cauſa clericorum & monachorum; & in eadem cauſa *Calnenſem* anno 979. *Romanam* anno 983. in cauſa Gisleri, qui poſt primum Archiepiſcopum Magdeburgenſem Adalbertum, ab Imperatore Archiepiſcopatum impetraverat. [De erectione Eccleſiæ Magdeburg. in Archiepiſcopalem vide, quæ *Meibomius* congeſſit, *appendice notarum ad Hroſvvitham.*] Hunc Giſelerum infamavit Romæ, æmulatio vicinorum, qui ſibi demtum exiſtimabant, quicquid acceſſiſſet Magdeburgo. Itaque hactenus bene facit *Baronius*, quod *Adamo* potius *Bremenſi*, quam *Ditmaro*, dolorem ſuum parum diſſimulanti credit. In Anglicis iſtis Synodis, cauſa Presbyterorum ob honeſta conjugia expulſorum viciſſet dubio procul, niſi fraude conficti oraculi Dunſtanus monachos feciſſet ſuperiores. Vid. *Catalog. teſt. Ver. lib.* 11. *Centur. Magdeb.* X. 9.

(margin: *§.* 17. — *§.* 17.)

In *Epiſcopis Argentoratenſibus*, *Baldum* ſucceſſiſſe Erckenbaldo *Bruſchius* notat: incertum quo anno. Ignoratur enim, quando Erckenbaldus deceſſerit. Finem Baldi in annum 979. conjicit. Sequitur *Guillimanus*, contra *Wimphelingium*, tempus nimium plus ultra producentem. (margin: *in Catal. Epiſc. Arg.*)

Literæ

Literæ & Eruditi.

PErtinet huc *Witichindi* (*Windichinum* etiam, & *Winduchindum* vocant) *Monachi Corbeienſis hiſtoria*, *tribus Annalium libris* comprehenſa. Edidit hunc *primum & antiquiſſimum hiſtoriæ Saxonicæ ſcriptorem*, ut appellat, *Henricus Meibomius*; *vitâ ejus* præfixâ, & *notis* pereruditis ſubjectis. Eſt hujus temporis etiam *Roſvvid* ſive *Hroſvitha*, virgo illuſtris, monialis primò, poſt abbatiſſa Gandershemenſis. Cujus opera Conradus Celtes initio ſuperioris ſæculi Noribergæ edidit. Panegyrin autem Othonum, notis illuſtravit, & Witichindo conjunxit, *Meibomius*; qui & vitam hujus Poëtriæ adjecit. His *Ger. Jo. Voſſius* (*de hiſt. Latin. lib.* 2. *cap.* 41.) addit *Lanfridum Anglum*, *Herigerum Abbatem Lobienſem*, *Albertum ſ. Olbertum Monachum Lobienſem*, *Notkerum Epiſcopum Leodienſem*, *Ethelvvoldum Wintanum Anglum.*

Quoniam, quæ ad ſtatum ſcholarum pertinent, parce annotantur, nihil prætereundum eſt de conſignatis. Floruiſſe ergo Magdeburgenſem ſcholam in monaſterio, argumento ſunt, quæ *Ditmarus* de *Otrico* refert, *qui magiſter fuerit ſcholæ*, *lib.* 3. & ob diſcordiam cum Epiſcopo, *magna confratrum & hoſpitum catervâ, bene elaboratâ, maluerit inde exire, quàm in monaſterio permanere. Scholæ* nimirum & *Bibliotheca*, ex primore inſtituto, præcipui Cœnobiorum theſauri erant. Vid. quæ de Bibliotheca San Gallenſi *Ekkehardus Junior* annotavit, *fine libri de caſib. Mon.*

OTTO

OTTO, III.

OTTONIS II. EX THEOPHANIA FILIUS.

Annotatio Temporis.

NAtum eſſe *Henningeſius* annotat 973. ſed ita non convenit *Sigonii* calculus, qui annos natum 18. Patri ſucceſſiſſe putat. *Urſpergenſis*, cui res ipſa apud *Ditmarum* ſuffragatur, *admodum puerum* patri ſucceſſiſſe refert 984. qui annus etiam à *Sigonio* retinetur. Licet enim mortem Ottonis II. in Xbrem 983. referat, ſucceſſionem tamen filii, ob turbas de regno in annum ſequentem differt. *Onuphrius* initium Imperii ejus anno 983. 6. Id. Xbr. finem 1001. per annos ſcilicet 17. m. 1. d. 21. ponit. *Urſpergenſis* quoque annos 17. regnaſſe, 18. obiiſſe tradit. *Alii* 19 imperii, ætatis 29. numerant. Finem vitæ, anno 1001. 5. Kal. Febr. contigiſſe, apud *Urſpergenſem* legimus: quem *Baronius* ſequitur. *Sigonius* 1002. 12. Kal. Febr. conſignavit.

Elogium.

ADmodum parca eſt hiſtoria in rebus hujus Ottonis III. cujus vitam *Cuſpinianus* dicit ſe concinnaſſe ex *Ottone Friſingenſi, Sigeberto, Abbate Urſpergenſi, & ex vetuſtiſſimis Annalibus incertorum authorum, & Chronicis.* Sed *Otto Friſingenſis*, verbo defungitur: *Urſpergenſis* itidem breviſſime chronologiam percurrit. *Sigebertus* plura, ſed tamen non niſi perſtringit. *Annales & Chronica* reliqua, cujus generis fere in his rebus & temporibus eſſe ſoleant, notum eſt. *Ditmarus*, ex hiſtoricis alicujus nominis, unicus eſt, qui voluit Ottonis noſtri res dicere: ſed vitio ſæculi, in illis, quæ minora ſunt, moratur,

nec

nec ad rempublicam rectis oculis reſpicit. Erit tamen nobis, cum *Sigeberto*, præcipuus auctor, in rebus Germanicis. Nam Italica geſta, non ita diligenter attigerunt. Ingenium illuſtre, nonnullis argumento cognominis celebrare viſum eſt, quo *Mirabilia mundi* barbare vocatum prodiderunt. *Miraculum mundi*, reformavere, qui linguæ majorem rationem habebant. Potuit & alia cauſa eſſe, præſertim quod puero incolume inter tot turbas imperium ſtetit. Quamquam ego plane putaverim; non illius ævi, ſed poſterioris id inventum eſſe. Cum præſertim etiam in ipſo nomine varient. *Urſtiſianum* enim *Fragmentum*, Ottonem ſecundum, *Mirabilem* vult dictum. Sicut & *Rufi* cognomen Tertio huic Ottoni nonnulli accommodant, quod *Secundo* alias tribui ſupra annotatum eſt. Inter eos qui educationi ejus invigilarunt, prima matri Theophaniæ & Aviæ Adelheidæ gloria debetur: proxima, Hoiconi Comiti, *cujus magiſterio*, ab exceſſu patris, *commiſſus eſt*; tum *Bernhardo*, qui & ipſe *magiſter ejus*, apud *Ditmarum*, & *Capellanus Regius*, deinde *Epiſcopus Hildesheimenſis*, in *Chronico Hildesheimenſi* appellatur. Sed & *Gerbertum*, qui poſtea Pontifex Romanus factus eſt, in doctrinis liberalibus præceptorem habuit. Virtutum ſummam in pietate collocavit, jejuniis, vigiliis, orationibus crebro vacare ſolitus. Magnitudinem animi, vultu ſemper hilari præferebat. Judex non æquus minus, quam ſeverus: largiter ex occaſionum & cauſarum præſtantiâ animoſus. Habuit hoc cum Avo & Patre commune, quod uno loco ſubſiſtere paulo diutius, nunquam licuit: quo utilitas Reipublicæ, itemque bella & ſeditioſorum hominum molitiones vocarunt, continenter eundum redeundum fuit. Naque modica haberi debent, quæ partim auſpicio, partim & ductu ejus geſta ſunt. Morbi genus & mortis cauſam *Ditmarus* ita refert, quod *puſtellis interiora prementibus, & interdum paulatim erumpentibus, infirmatus*, IX. Kal. Febr. deceſſerit. *Sigebertus* etiam illud addit, quod plerique retinuerunt, quod Creſcentis Romani ob res novas occiſi uxor Ottonem in amorem ſui pellexerit, eique Roma decedenti *venenum* miſerit, *quo ille conſumtus inter remeandum in Italia mortuus ſit*. Chronicon *lib. 4.*

nicon *Hildesheimenſe, febre & Italico morbo graviter correptum* obiiſſe X. *Kal. Febr.* memorat. Quem diem mortis etiam *Hermannus Contractus* habet. *Romæ* obiiſſe *Hepidannus* & *Rolevvinckius* incaute aſſerunt. Exceſſerat enim Româ: obiitque Paterni. Corpus aromatibus conditum, Germani milites, in via ſæpius rebellium Italorum incurſionibus appetiti, Auguſtam detulêre; inteſtinisque ibi ſepultis, reliquum cadaver Aquiſgrani ſepulturam nactum eſt. Ecce autem iterum malignas ſuperſtitioſorum hominum fabulas! *Chronico Hildesheimenſi* aſſuitur id commentum de morte noſtri Ottonis, ad annum 1000: *Pentecoſtes celebritatem* (Otto) *digna devotione Aquiſgrani ſervavit, quo tunc ammirationis cauſa magni Imperatoris Karoli oſſa contra divinæ Religionis Eccleſiaſtica effodere præcepit. Qua tunc in abdito ſepulturæ mirificas rerum varietates invenit. Sed de hoc, ut poſtea claruit, ultionem æterni vindicis incurrit. Nam prædictus ei Imperator poſt tantæ commiſſionis facinus comparuit, & ei prædixit obitum ſuum celerius affuturum.* Effoſſa, cum dubitaretur, ubi ſitus eſſet Karolus, ſepulcra, *Ditmarus* memorat: ſed de anili commento iſto nihil habet. Liberos Otto Tertius tulit nullos ex uxore Maria Arragonia: cujus libidines & adulteria nonnulli incuſant. Quamquam fabulis propiora videntur, quæ de Comite Mutinenſi per calumniam adulteræ occiſo, & ab uxore vindicato, ipſaque Mariâ combuſtâ, *Godfridus Viterbienſis* tradidit, *Sigonius* repetiit; *Lipſius* eloquentiâ percoluit. Cum Godfridi narratione, non convenit *Siffridus Presbyter.* Ceterum Ottonem tali laudatione *Ditmarus* proſequitur, quod fuerit *facie clarus, fide præcipuus*: additque quod *tempore eo non fuerit ullus largior ac per omnia clementior illo.* Judicium *Sigonii* hoc eſt: *Fuit Otho bellicâ virtute avo inferior, religione vero ac pietate, & Patre & Avo multo ſuperior.*

Sigebert. & Ditmar.

fin. lib. 7. de regn. Ital.

Quæ ad Statum Reipublicæ pertinent.

PRima eſt hoc loco de Ipſo Imperio controverſia. Henricus enim Bavarus Henrici (qui Ottonis M. frater fuit) filius,

filius, extincto Ottone II. ſibi vindicare Imperium cœpit. Tutelam pueri Ottonis III. ad ſe lege pertinere contendebat, inde regnum palam ambiebat, Magdeburgenſi primum conventu, occaſione feſti palmarum inſtituto: poſtea Quidlingburgenſi paſchate à ſua factione rex appellatus eſt. Sed ivit obviam pars procerum melior his conatibus, & armis ſumtis extorſit Henrico Ottonem puerum, quem rapuerat; matrique & aviæ ſive potius Imperio Imperatorem reddidit. Quæ *ſolus* eximie commemoravit *Ditmarus. Sigebertus* ſummam ita complectitur: *De imperatore ſubſtituendo inter primates diſſentitur, aliis filio ipſius Ottoni imperium deberi certantibus, aliis odio imperatricis à filio ejus imperium transferre volentibus ad Henricum Ducem filium Henrici, qui fuit frater Primi Ottonis. Hic Henricus ipſum Ottonem puerum factiosè raptum in cuſtodiam tenet. Sed Principes puerum de manu Henrici extorquentes, in regno ſublimant, & regnavit annis 19.* *adde Chron. Hildesh. ann. 983.*

Adminiſtrationem Imperii in pueritia Ottonis, multum debuiſſe Theophaniæ matri, & aviæ Adelheidæ, haud pauca indicio ſunt. De Theophania *Ditmarus: Hæc quamvis ſexu fragilis, modeſta tamen fiducia, & quod in Græcia rarum, egregiæ converſationis fuit, regnumque filii ejus cuſtodia ſervabat virili, demulcens in omnibus pios, terrens ac ſuperans erectos.* *lib. 4.*

Idem Hiſtoricus Bolizlai Bohemi cum Miſecone Polono diſcordias fuſius memorat: reductamque Principum Ottonis auctoritate (nam Miſeco Imperatricis auxilium imploraverat) concordiam. Quam tamen mox Bolizlai perfidia turbatum ivit. Niſi quod cito eum pœnituit facinoris, quod in poſterum ſibi conſtantiori fide emendandum cenſuit. *Lambertus Schaffnaburgenſis* anno 986. *Otto Rex puer Boëmiam vaſtavit, ſed Miſchonem cum muneribus obvium ſuſcepit.* Anno 987. *Iterum Rex Boëmiam intravit, & eam ad deditionem coëgit.* Chronicon *Heildesheimenſe* anno 985. bellum Ottonis in Sclavos ponit: *Saxones Sclaviam invaſerunt, quibus ſupplementum Miſaco cum magno exercitu venit, qui totam terram illam incendiis & cædibus multis devaſtavit.* Anno 986. *Otto Rex adhuc puerulus cum magno exercitu Saxonum venit in Sclaviam, ibique venit ad eum Miſaco cum multitudine nimia, obtulitque ei u-*

num camelum, & alia xenia multa, & ſeipſum etiam ſubdidit poteſtati illius. Qui ſimul pergentes devaſtaverunt totam terram illam incendiis & depopulationibus multis. Anno 987. *Iterum Saxones Sclaviam vaſtant. Unde illi compulſi Regis ditioni ſe ſubdunt, & caſtella juxta Albiam reſtaurantur.* Cum hoc poſtremo conſentiunt illa Ditmari: *Sclavi iterum appetiti ſubduntur Regi, renovatis juxta Albim caſtellis.* Ad priora pertinent quæ præceſſerunt: *Multis bellorum aſperitatibus Sclavos laceſſere Rex non deſiſtit.* Additur: *Orientales quoque adverſus ſe præſumentes inſurgere devicit. De Occidentali parte, quàm plures arma ſæpius commoventes, multosque deprædantes, vi & arte is ſuperare contendit.*

Italia, more quidem ſuo, ſed vehementius inſolentiusque tumultuata eſt. Italiæ caput Roma primo ob comitia ſacra creandis & dejiciendis per factiones Pontificibus deſæviit, ſicut infra in *Eccleſiaſticis* amplius annotabitur. Deinde Creſcentii conſulatus majores etiam turbas dedit. Is enim non libertatem modo Romæ, ſed ſibi Imperium vindicare aggreſſus eſt. Jam Romam, expulſo Pontifice (rebus novis haud conſentiente) & alia vicina oppida in poteſtate habebat: cum Pontifex Othonem tuendæ adverſus invaſores Reipubl. ſuppliciter advocavit. Adjuvit eas preces Landulfus Archiepiſcopus Mediolanenſis, factione domeſtica Archiepiſcopatu ab Othone dato pulſus armisque victus. Id initium Mediolanenſibus mutandæ Reipublicæ fuit: exortis factionum, nobilium & plebis, nominibus; quæ nunquam deſierunt deinde civitatis ſtudia diſtrahere. Otto igitur expedi-
995. tione in Italiam ſuſcepta, Mediolanum obſedit; inque ea urbe à reſtituto per pactiones Archiepiſcopo regio diademate
996. ornatus eſt. Inde Ravennam progreſſus, cum mortuo Pontifice Brunonem conſecrandum Romam deſtinaſſet, eò paulo poſt & ipſe venit, coronamque cum conjuge Maria ſuſcepit.
996. Rebusque Romæ & in Lombardia ordinatis, in Germaniam rediit Imperator. Quo vix digreſſo, Creſcentius ad ingenium reverſus, expulſo Pontifice, quem Otho conſtituerat, alium intrudit, mœniaque urbis firmat, & omnia ad vim ſuſtinendam comparat. Nec mora, exoratus à Pontifice profugo

Imperator firmiſſimum exercitum in Italiam ädducit, Romam obſeſſam primo, deinde arcem in quam Creſcentius confugerat, deditione capit, Creſcentem cum XII. aliis ſuſpendio punit. Triennium traxit hæc expeditio Ottonis in Italia: unde rebus, ſicuti tempus monebat, diſpoſitis, in Germaniam regreſſus eſt anno milleſimo poſt Chriſtum natum. 997.
Verùm Saracenorum armis, quæ Campaniam vaſtabant, & Capuam interceperant, ſtatim, revocatus, celeriter accurrit, hoſteſque, Capua receptâ, finibus Imperii expulit. Inde Romam, novis ſeditionibus inquietam contendit: ibique dolo conſpiratorum circumventus obſeſſusque, cum evaſiſſet, veneno, ut ante dictum eſt, interiit. Hæc copioſius narrata leges apud *Sigonium.* Qui etiam, ex *Petro Damiani* Ottonem perfidiæ crimine graviſſimâ cenſurâ notat in ſupplicio Creſcentis: quem fide incolumitatis data in deditionem ſuſceperit Otto, & tamen poſtea violato ſacramento peremerit. Atqui nihil tale habet, ſicut fatetur *Baronius* (ann. 996. 9.) *Glaber Rodulphus* his temporibus proximus. Imo omnia aliter geſta commemorat. Ut & *Sigebertus*, cujus hæc eſt narratio: *Otto Imperator Romæ Creſcentem Patricium bello aggreditur, ſed victus Creſcens: & ex ſuga retractus capitur, vilique jumento averſe impoſitus circumducitur, & paulatim membris truncatus, ad ultimum ante urbem ſuſpenditur.*

[1001. — 1002. — *lib. 7. de regn. Ital.*]

In Galliæ Regno, nova Regum familia Hugonem Capetum auctorem habet. Vid. *Paul. Æmyl.* ubi etiam, quomodo ſe Lotharingiæ res per hæc tempora habuerint. Id quod requiſitum nuper *Cl. Conringio de finib. Imp. cap.* 6.

Fuit Otto ſtudioſus antiqui moris. De qua re *Ditmarus*: *Imperator antiquam Romanorum conſuetudinem jam ex parte magna deletam ſuis cupiens revocare temporibus, multa faciebat, quæ diverſi diverſe accipiebant. Solus ad menſam, quaſi ſemicirculum factam, loco cæteris eminentiori ſedebat.*

In ſolennitate paſchali in Quidilingeburg à Rege celebrata, *quatuor miniſtrabant Duces, Henricus ad menſam, Conradus ad Cameram, Hecil ad cellarium, Bernhardus equis præfuit.* Conferenda eſt hæc *Ditmari* deſcriptio, cum ſimili paratu aulæ in conſecratione Ottonis I, de quo ſupra.

Lib. 7. de R. Ital. 995. Quæ de *nova feudi Eccleſiaſtici ratione* ab Archiepiſcopo Mediolanenſi inſtituta ſunt, *Sigonius* ſatis diligenter deſcripſit.

Comitiorum inſtar fuit in Paſchate Quidlingeburgenſi, de quo ante: ut & Halberſtadii, in dedicatione templi ab Hillibrando Epiſcopo extructi. *lib. 4.* *Omnes*, inquit *Ditmarus*, *Saxoniæ primates hic tunc convenientes caritative ſuſcipiuntur. Nunquam fuerunt ante nec poſt, ut veraces affirmant, in divinis laudibus, & in negotiis ſecularibus, omnia plenius cunctiuque acceptius peracta.* Fuit is annus 991. Poſtea Otto III. etiam *in Magdeburg cum ſuis Principibus colloquium habuit; ad quod Henricus Bavarorum Dux inclitus venit: & cum inter hunc & Ratibonenſem Gebehardum longa haberetur contentio, cum bono ibidem finitur conſilio.* Iterum *Ditmari* verba retuli.

Leges & Conſtitutiones ab Ottone III. latas, *Goldaſtus* (*tom. 3.*) exhibet: *de Mancipiorum proprietate; de libertate Eccleſiarum in Regno Danorum; de privilegiis Venetorum.* In reliquis *duobus Tomis* ponit Latino & vernaculo ſermone, *Conſtitutionem illam de jure ac poteſtate Imperii, de donatione Conſtantini & Caroli Calvi, de aſſignatione bonorum, quibus Pontifices Romani ad ſui ſuaque Eccleſiæ ſuſtentationem uti frui debeant.* In hanc conſtitutionem extat *Marquardi Freheri commentarius.* Vocat, ut ſolet in iis, quæ arcana Pontificii dominatus tentant, in dubium, fidem harum tabularum *Baronius tom. XII. Annal. anno* 1191. *à* §. *LVIII. per ſeqq.* vindicat à ſuſpicione, poſt *Freherum*, *Cl. Conringius de Germanorum Imperio Romano cap.* 10. Referri huc merentur, quæ *Aventinus* (*lib.* 5. *pag.* 398.) tradit de diplomate Ottonis III. quo Bavaria ſylveſcens à ſolitudine ad frequentiam revocatur.

Ad hæc tempora refertur vulgo *Septemvirorum Electorum Principum* origo: tanquam illi vel ab Ottone III. vel à Pontifice, idque vel vivo Ottone, vel poſt obitum ejus, inſtituti ſint. Statim enim, ut in rebus commentitiis ſolet fieri, variè differunt. Inſtituitque prolixam de hac re diſputationem *Baronius ad annum* 996. §. 38. *& ſeqq.* contra quem multi hactenus ſcripſerunt: nuper etiam *Limnæus in Capitul. Caroli V. artic.* 27. Noti ſunt, qui de argumento toto ſcripti ſunt libelli

belli, partim etiam à *Goldaſto in Politica Imperialia* conducti. In quibus *Onuphrius Panvinius de Comitiis Imperatoriis*, hactenus quidem bene diſputat, *falſum abſurdumque eſſe* vulgare de origine Electorum commentum; de cætero autem multa ſuo libro immiſcet, quæ examinari & refutari merentur. Id quod forte, opportuniore loco facere, non omittemus. De *ſucceſſione* autem & *electione* in Imperio Germanico uſitatâ aut inſtitutâ, in ſingulis deinceps Imperatoribus, ſi Deus vitam ad plura hujus generis ſcribenda mihi produxerit, aliquid dicetur.

Excerpta de rebus geſtis.

AD ſupplenda, quæ ſupra diximus, de Ottonis adverſus Sclavos geſtis, *Chronicon Hildensheimenſe* anno 990. annotat: *Hoc anno Saxones Abotritos bis grandi irruptione vaſtabant. Multi quoque illorum, & penitus nominatiſſimi interempti ſunt. Alii in flumine necati. Saxones Dei gratia cum pace & victoria redierunt.* Anno 991. *Otto Rex cum magno exercitu Saxonum, ac ſupplemento Miſacon, Brannanburg obſedit & vicit. Illo autem inde digrediente, Saxonicus quidam Kizo eandem urbem Liutizorum auxilio audacter ſatis contra Regis imperium invaſit, atque prædictorum Sclavorum pertinacia adverſum jus faſque omne injuſtæ ditioni ſuæ ſubegit. Crebras latrocimorum irruptiones in Saxoniam juxta Albiam flumen molitus eſt, à quibus Dei gratiâ non victor, ſed veluti fugitivus prædo, latitando aufugit.* Anno 992. *Otto Rex cum valida ſuorum manu iterum Brennanburg adiit. Venitque ad eum Heinricus Dux Bajouvariorum, & Bolizlao Boëmanorum Princeps cum ingenti multitudine in auxilium Regi. Bolizlao vero Miſachonis filius per ſeipſum ad dominum Regem venire nequaquam valens (imminebat quippe illi grande contra Ruſcianos bellum) ſuos ſatis fideliter milites in miniſterium Regis direxerat. Verum dominus Rex bonis Sclavorum promiſſionibus confidens, ſuiſque Principibus reſiſtere nolens, pacem illis iterum conceſſit, & inde in patriam remeavit. Sed illi more ſolito mentiti ſunt per omnia.* Anno 993. *Kizo qui antea rebellis extiterat & refuga, fidem Sclavis jampridem promiſſam evacuans, ſeipſum cum ſuis, & cum prædicta urbe Brennanburg Regis ditioni ſubdidit.* —— —— *Et eo anno*

no Saxones tribus vicibus expeditionem paraverunt in Sclavos. & nihil profecerunt, econtra Sclavi crebris latrociniis Saxoniam fatigabant. Anno 995. *Rex Abodritos vaſtavit, urbes & oppida disjecit, occurritque in auxilium Bolizlau filius Miſaco cum magno exercitu. Nec non Boëmanni cum filio alterius Bolizlau venerunt. Recepit ſe Rex in Saxoniam cum exercitu incolumi.* Ponuntur & novæ hoc anno in Saxoniam Sclavorum irruptiones. Quæ illuſtranda ſunt commemoratione *Ditmari* præcipue.

Conſtantinopolitanorum Imperatorum,

QUos ſupra nominavimus, tempora, implent hoc ſæculum, & partem magnam ſequentis continuant.

Externa Imperia atque dominationes.

IN *Hiſpania*, juxta vulgarem chronologiam Beremudo II. anno 982. ſuccederet *Alphonſus V.* ſed *Ambroſius Morales* Ramiro III. anno 985. facit ſuccedere *Veremundum* (ſ. Bermudum) II. Ordonii III. filium: cui paulo ante obitum illuſtriſſima adverſus Arabes victoria contigerit. Anno demum 999. ſuccedente *Alphonſo V.*

In *Anglia* Edgaro Patri anno 975. ſucceſſit filius *Edvvardus*. Donec à noverca Elfreda vita regnoque ſpoliatus eſt, ſuffecto *Ethelredo* 979. qui Edgari & Elfredæ filius fuit: homo ignavus & vecors. Cujus temporibus Dani Angliam omni genere calamitatum vexarunt, ac denique ſæculo inſequente, ſubegerunt. Videndus *Malmesburienſis de geſt. Reg. Angl. cap. 9. & 10. Matthæus Weſtmonaſterienſis*, & *alii.*

In *Dania*, Haraldo Blaatand, anno 981. ſucceſſit *Sueno ſ. Suenotho*: adverſis ſecundisque rebus famoſus, Anglorum domitor: de cujus factis pleraque collegit *Joh. Iſacius Pontanus Hiſt. Dan. lib. 5.*

In *Suecia*, juxta *Jacobi Gislonis chronologiam*, anno 980. *Olaus Skottkonung* Erico VIII. ſucceſſit: longo & in alterum ab hoc ſæculum pertinente imperio functus: magni animi Rex, & inter ſummos numerandus, ſi amari à ſuis quàm metui

metui maluiſſet. Ad extremum cum filio Amundo regnum partiri coactus eſt. Cognomen à Tributo vel Pontifici Benedicto VII, vel Imperatori Conrado II. miſſo adverſum Saracenos, adeptus eſt. Præter *Joh. Magn.* vid. *Loccenii hiſt. Suec.*

Eccleſiaſtica.

IN ſerie *Pontificum*, *Onuphrius* Benedicto VI. dicto (VII) anno 984. ſubrogat *Ioannem XIV.* in menſes 8. d. 2. huic anno 985. *Bonifacium* VII. in m. 4. d. 6. eodem anno *Ioannem XV.* in annos 9. m. 7. d. 10. anno 995. *Ioannem XVI.* in 3. m. inde *Gregorium V.* in annos 2. m. 7. d. 25. anno 996. creatum ſchiſmatè *Ioannem XVII.* in m. 10. Anno 998. *Sylveſtrum II.* in annos 4. m. 6. d. 12. *Sigonius* ita recenſet: *Roma Benedicto Pontifice mortuo* (984) *Petrus epiſcopus Papienſis eſt ſubrogatus, qui Ioannis XIV. nomen accepit. Hoc ubi Bonifacius comperit, jampridem à Thuſculanis Comitibus ſacerdotio pulſus, ira fremens, Conſtantinopoli, quo confugerat, Romam redit, ac pecunia ingenti, quam ex rebus ſacris divenditis redegerat, multis ad ſuas partes attractis Ioannem ipſum corripuit, atque in cuſtodiam tradidit. &, cum is ſive morbo ſive fame confectus poſt menſes octo quàm inierat, obiiſſet, ipſe vacuam ſedem invivit. neque ita multo poſt ipſe quoque repentina morte oppreſſus interiit. Bonifacio mortuo Ioannes XV. Leonis Presbyteri filius, & poſt quatuor menſes Ioannes XVI. civis item Romanus pontifices ſubſtituti.* Hic Creſcenti ſeditioſo, petenti, *uti & ipſe conſilia ſua adjuvaret, ſive reipublica ſive Othonis caritate impulſus ſe facturum negavit.* Itaque expulſus à Creſcente, anno ſequente metu Othonis in Italiam jam advecti revocatur. Mox Otto *Ioannem mortuum audiens, ibi uſurpato jure Brunonem Saxonem propinquum ſuum ex comitatu ſuo presbyterum XVI. Kal. Julii pontificem declaravit, ac Romam conſecrandum miſit. Is Gregorius V. vocatus.* Contra hunc anno 996. factione Creſcentis Ioannes quidam Conſtantinopolitanus ex Placentiæ epiſcopo Pontifex promulgatur. Quo per Ottonem anno ſequente depulſo, Gregorius reſtituitur. Cui defuncto, Otto Imperator Gerbertum ſuccedere juſſit. de quo *Sigonius* (ex

lib. 7. de regn. Ital.

985. 986. 994. 995. 997. 998.

quo afferuntur hactenus iſta) Gerebertus *erat vir philoſophiæ, aſtronomiæ, ac reliquarum liberalium artium ſtudiis inſigniter eruditus: ea præſertim ætate, qua nullæ, aut raræ ejuſmodi fuere litteræ. In hunc igitur poſt Gregorii propinqui ſui mortem oculos Otho convertit, cum doctrinæ laude præſtantem, tum de ſe optime meritum, quippe ſuum in his ipſis, quibus ille excelluit, diſciplinis magiſtrum.* Magicis artibus operatum fuiſſe hunc Gerbertum (ſ. Gilbertum) aliqui tradidere; vix aſpernantibus ceteris occaſionem, arripiendi, quæ in prodigium finguntur, & deterius explicantur. *Baronius* eum ab hoc crimine vindicat *Ditmari, Helgaudi*, *Glabri* aliorumque æqualium ejus temporis teſtimoniis. neque diſſimulat *Malmesburienſis* (qui altero abhinc ſæculo floruit) conſuetudinem fingendi in talibus, *ſed hæc vulgariter ficta* (inquit) *crederet aliquis, eo quod ſoleat populus literatorum famam lædere, dicens illum loqui cum dæmone, quem in aliquo viderint excellentem opere. Vnde Boëthius in libro de conſolatione Philoſophiæ, queritur propter ſtudium ſapientiæ ſe de talibus notatum, quaſi conſcientiam ſuam ſacrilegio polluiſſet ob ambitum dignitatis. Non conveniebat, inquit, viliſſimorum me ſpirituum præſidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas, ut conſimilem Deo faceres. Atqui hoc ipſo videmus affines maleficio, quod tuis imbuti diſciplinis, tuis inſtituti moribus ſumus. Hæc Boëthius.* Non acquieſcit equidem *Malmesburienſis* hoc argumento: ſed cauſſam tamen memorabilem, in ſequiores partes eundi, non affert. Vtut autem Gerbertum à magiæ crimine defendat *Baronius*, de cætero tamen mirè eum infamat, tanquam contumelioſum & mendacem in Pontificiam ſedem; id eſt, ut res docet, tanquam eum, qui affectatam Pontificum dominationem argueret detrectaretque. Quo nomine etiam *Glabrum Rodulfum* arguit, auſum ſcilicet tradere: *Pontificem Romanum in aliena diœceſi nihil poſſe præſumere plusquam cæteros Epiſcopos, quibus certis limitibus eſt definita diœceſis.* Cujus rei veritatem Epiſcopis Gallis ſemper defenſam laudat *Petrus de Marca in opere de Concordia ſacerdotii & Imperii ſive de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ libro* 4. *cap.* 8, & ſimul Glabri locum ad Ioannem XVIII, cui Sergius IV. ſucceſſit, oſtendit pertinere,

999. à §. 3.

de geſt. Reg. Angl. lib. 2. cap. 10.

in an. 991.

anno 996. §. 25.

tinere, quem *Baronius* ad Ioannem factione Creſcentii contra Gregorium V. intruſum retulerat. *anno 996. §. 20.*

Vſurpaſſe Ottonem jus ſuum in Pontificibus itemque Epiſcopis aliis conſtituendis, ex Scriptoribus & re ipſa clarum eſt. Huc pertinet etiam, quod Archiepiſcopatum Gneſnenſem inſtituit. de quo *Ditmarus*, cum retuliſſet quomodo Ottonem Epiſcopus Vngerus exceperit, *Nec mora*, inquit, *fecit ibi Archiepiſcopatum, ut ſpero, legitimè; ſine conſenſu tamen præfati Præſulis, cujus diœceſi omnis hæc regio ſubjecta eſt:* committens eundem prædicti martyris *fratri Kadimo, eidemque ſubjiciens Reinbernum, ſanctæ Cholbergienſis Eccleſiæ Epiſcopum, Popponem Cracuenſem, Johannem Wiotislaenſem, Vngero Poſnanienſe excepto.* *lib. 4.*

In *Synodis*, Baronius *Romanam* ponit 989. in cauſſa Adalberti Pragenſis Epiſcopi, quem Boëmi ex monaſterio repetebant. Anno 990. celebrata eſt *Synodus Sylvanectenſis:* & ſubinde 992. *Remenſis* pro Gerberto, qui depoſito Arnulfo Archiepiſcopo ſucceſſit. Acta habentur etiam in *Centuriis Magdeburgicis, cent. X. cap. 9.* in quæ multa bile concitatur *Baronius*: & miſere ſe torquet, ut veritatem notiſſimam in plerisque obſcuret ac obliteret. Anno 993. alia *Romana Synodus à Baronio* refertur: quæ S. Vdalricum Auguſtanum quondam Epiſcopum in numerum Sanctorum retulerit. Anno 995. *Synodus* partim *Moſomenſis*, partim *Remenſis* memoratur, in controverſia Archiepiſcopi Remenſis. ubi iterum *Baronius* Gerberto & Gallis Epiſcopis iniquus, omnia quæ novis curiæ Romanæ & dominationis Pontificiæ placitis non ſubſerviunt, ut vitio geſta intemperanter damnat. Anno 996. *Synodum Romanam* parum firma documentorum fide format, & geſta quædam, præſertim de Electoribus, temerarie confingit *Baronius*. Anno 999. iterum *Synodum Romanam* in cauſſa Gisleri Archiepiſcopi Magdeburgenſis, qui duas parochias habebat, ex *Ditmaro* ponit. quem hiſtoricum ſi quis inſpiciat, continuare debebit, quæ de novis ſynodis in ea cauſſa ſequuntur. Guidlingeburgii enim Comitiis etiam ſynodo Eccleſiaſtica conjuncta, *iterum Gislerus vocatur. Hic infirmitate oppreſſus vali-*

Verba Ditmari è libro 4. *da, à Rothmanno excuſatur, & in multis à Walthèrdo tunc præpoſito defenditur. Indicitur hinc concilium in Aquisgrani, quo ipſe cum ſuis veniens, iterum ab Archidiacono Romanæ ſedis alloquitur: qui ſapienti conſilio uſus, generale ſibi poſtulat dari concilium; ſicque indiſcuſſa dilatavit hæc omnia, uſque dum hæc Dominus finire dignatus eſt noſtris propitius temporibus.*

In Epiſcopis Argentoratenſibus Baldo ſucceſſit *VVildervvolfus* ſ. *Wilderaldus* ſ. *Wideroldus.* quem à muribus conſumtum ob ſacrilegium apud S. Stephani commiſſum, *Wimphelingius* & alii memorant, *Guillimanno* pernegante. Hunc in Italiam cum Ottone III. profectum obiiſſe anno 1000, *Hermannus Contractus* refert; ut &: *Alauvicum* (ſ. Altuvicum) *Augienſem abbatem, Epiſcopum pro eo ab Imperatore promotum eſſe.* Cujus Alauvici exceſſum anno 1003. ponit *Guillimannus.*

Lib. 4. De impietate in Italia immenſum valeſcente, memorabilis extat querela *Ditmari.*

Literæ & Eruditi.

APud Græcos X. ſæculum, ſi initia ejus excipias, valde obſcurum fuit. In Latinis ad Ottonis III. tempora *Voſſius* (*de hiſtoricis Lat.* lib. 2. cap. 41.) refert: *Alfredum Anglum, Abbonem abbatem Floriacenſem, Aumonium* (qui & *Ammonius*, ab Aimoino diverſus) *monachum Floriacenſem, Stephanum* quendam, *Lethaldum Cenomanenſem monachum, Dudonem Neuſtrium, Wolſtanum monachum Wintonienſem, Othlonum Fuldenſem monachum, Vſſingum* ſ. *Vſſonem Friſium,* & quoſdam *Anonymos.* Adde etiam *lib. 3. cap. 5. fin.*

Scholarum aliquot in Germania florentium hoc tempore *Ditmarus* mentionem facit. *Idem*, qui eruditionis horum temporum ſpecimen ipſe haberi poteſt. ſcripſit enim mox Henrico II. imperante. Nemo miretur ſuperſtitionem vulgi & imperitiam circa naturæ opera, & eclipſes; quam *Ditmarus*, cum retuliſſet *defectionem ſolis anno* 989. 12. *Kal. Novembr. hora 5. diei*, ita refutat: *Sed cunctis perſuadeo chri-*

ſtico-

ſticolis, ut veraciter credant, hoc non aliqua malarum incantatione mulierum, vel eſu, fieri; vel huic aliquo modo ſeculariter adjuvari poſſe, ſed ſicut Macrobius teſtatur, caterique ſapientes fieri aſſerunt, eſt id de luna. Scimus, quanto hodieque errore in his talibus hallucinetur vulgus, id eſt, in mero meridie caliget. Anno 996. *Placentinis* in Italia *jus publica ſchola, ut ipſi produnt*, indultum, *Sigonius* commemorat.

Memorabilia alia.

DE prodigiis ſatis multa in hoc tempus confert *Lycoſthenes*, & reliqui. Quæ auget *Ditmarus*, præſertim enarratâ tempeſtate adverſum milites, monachorum S. Pauli prædatores, immiſsâ. Sed nos iſtis recenſendis occupari, ut ſuo loco dictum eſt, nolumus. *lib. 4.*

II.

MUSEUM,

Ad Amicum.

MODESTUS

S.

Primum Muſei Specimen.

POſtulas à me jam diu, vel flagitas potius, ut ſummam ejus ſermonis, cujus te inter communes amicos ordiendi principem fuiſſe memini, de *Muſeo Alexandrino*, accuratius paulo atque uberius literis velim explicare. Equidem nulla me ab hoc incepto deſidia hactenus retardavit. quid enim eſt quod malim, quàm homini amicis ſuis tam amico per omnia obſequi? Sed eruditionem tuam, & ingenium omni reconditæ ſapientiæ elegantia perpolitum cogitanti, in mentem venit genus ſcripturæ, quod antiquitatis quandam ſpeciem referret, Urbem deſcriberet, Muſeum ſuis partibus dimetiretur, viros colligeret; eorum ingenia, ſtudia, inſtitutas de variis rebus diſputationes, conſilia, opera, non alia, quàm quæ priſcis temporibus convenire videretur, imagine conſignaret. Jam contexendi per volumina in juſtam magnitudinem operis artes animo conceperam,

ram, cum noſtræ reſpectus ætatis, cujus utilitati & diſciplinæ unice talis exempli obtentu conſulendum uterque ſtatueramus, revocare me ab inito itinere ac interpellare cœpit. Quàm erant enim multa & præclara, quæ veterum ritu moribuſque informata, ne attingere quidem noſtra & noſtros viderentur? Quid? quod de ſapientiæ ac prudentiæ officiis præcipere volenti, quem locum Tullius vix leviter perſtrinxit, ab inſolentia certe ſæculi temperandum eſt. In republica etiam & omni vitæ conſuetudine, tanta ſæpe commutatio rerum facta eſt, ut ad ſpeciem atque uſurpationem vetuſtatis non niſi obſcure conſtitui & adumbrari, nedum exprimi, poſſint. Neque vero defraudanda erat noſtra ætas ſua laude: cujus incurioſos ſane dixeris, qui Alexandrinum Muſeum anteferre non vereantur illi Muſarum delubro, quod in Galliæ urbe principe *Puteani Fratres*, comparanda cum omnium ſæculorum ætatibus nomina, cunctis ingenii ac doctrinæ virtutumque monumentis ad opinionem orbis terrarum gentiumque conſecrarunt. Quid de ſingularis exempli Regina dicam, quæ non ſuo magis nomine quàm tali inſtituto ſemper celebrabitur? Hæc illuſtrium omnis & ſui ævi animarum, non ad memoriam magis in Bibliotheca, quàm ad colloquia & uſum domeſticum in Regia concilium coëgit: hæc, tanquam Minerva aliqua, non ex fabulis ſed ex meritis commemoranda, quicquid eſt in literis interioribus ac reconditis præclari, quicquid in moribus hominum & ingenio abditi ac retruſi, explorare judicio, videre animo, auctoritate moderari, inter occupata tempora ſua, cum eſſet muneris & negotii regii diligentiſſima, otii ſui negotiolum habuit. In hæc exempla ſæpe oculos adjiciam, & in aula Regia, aut Puteanorum in ſacrario me conſtitutum, ibi auguſtos maximæ Principis ſermones venerari, hic ſimulacrum præſidis ſapientiæ loco ſancto dedicatum ſuſpicere putabo. Neque minus hoc tamen Muſeum, quod molior, collectis aliunde imaginibus ornare fas erit. Igitur, quo id conſtitui velim, locum à me fruſtra requires. Faciam enim, quod architecti ſolent, ut expreſſa forma, quale ſit futurum ædificium, animadverti poſſit, ſi quis velit loco, qui maxime idoneus videbitur, imitari. Pleraque autem ex vero hauſta, & ad rei geſtæ fidem

fidem exacta, quæ hic afferentur, haud ægre deprehendent, qui in hujus generis rebus, vulgo quidem ignoratis neglectiſque, non ſunt peregrini & hoſpites. Cetera eo forte in numero, eoque in loco habenda judicabis, ut egregiorum virorum perſonas, vel cogitata vel diſputata non decedere videantur. Interea tua me humanitas in ſpem prope certiſſimam impellit, fore, ut ſcribendi vices, in amplioris propoſito operis ſuſcipere, & in idem curriculum deſcendere ne graveris. Hoc autem in libro, quæ Modeſtus loco natus honeſto, & magna virtutis indole præditus adoleſcens, in Muſeo viderit audiveritque, exponentur.

Pervenerat is ad eam ætatem, quæ perceptis diſciplinis iiſque artibus, quibus inſtrui mature ac erudiri ad rempublicam acceſſuri debent, intelligendis obſervandiſque, ſi cura & ratio adhibeatur, magnis & hominibus & negotiis ſufficere exiſtimatur. Cumque incredibili adeundi Muſei cupiditate teneretur, hac inter cetera lege dicta acceptaque domo eſt profectus, uti, quid in illo doctrinarum omniſque elegantiæ templo rerum geri, diſceptari, agitari cognoviſſet, id omne accurate literis traditum perſcriptumque conſervaret ac referret. Satis animadvertebat Modeſtus, hoc præcepto, & fructum ſuæ peregrinationis, & ſpem ac rudimentum futuri temporis contineri. Quapropter eos inſtituebat commentarios, eas ſubinde ad neceſſarios amicoſque miſſitabat literas, unde & animus, qui poſtea in gerenda republica magis apparuit, noſceretur; & nos cupiditate prodendi ad poſteros tam egregii exempli non injuria incitaremur. Quo primum ingreſſus eſt Muſeum die Modeſtus, virorum principum quidam, paginas formis literarum æneis expreſſas protulit, ſibique ab amico cum literis redditas oſtendens, ita ex Myſtagogo ſciſcitari cœpit: Scio vos jam vidiſſe quod affertur. Miſit enim circum collegia Sapientum exemplum ſui conſilii amicus ille noſter, *vir ſane elegans* & officioſus, qui hiſtoriæ ſcribendæ & æternis Thuani operibus continuandæ impetum cepit. Quid ingenio & facundia poſſit, præfatio iſta, quam ſibi adhibendam duxit, declarabit, opinor. Sed quis tantæ rei manum rite admoveret, niſi explorata ante eorum ſententia, quos terrarum orbis, ſcientiæ omnis literarum

terarumque & humanitatis antiſtites pariter ac interpretes colit? Veſtro reſponſo, non aliter ac oraculi ſorte commonitus, retinere an abjicere debeat animum ſcribendi, non cunctanter decernet. Ad ea, quem ætate, conſilio, ſuavitate venerabilem, ceteri ut Myſtagogum, eximia caritate diligebant, circumlatis inter conſeſſores oculis, Tu vero, inquit, perbenigne, ut ſoles, comiterque alienum exquirere judicium inſtituis, qui ſic abundes proprio, ut non alius nobis potius in hac diſputatione dux & auctor optandus ſit. Tibi Mæcenatis vocabulum non amor magis & ſtudium in eruditos, quàm exquiſitæ quædam nec vulgares literæ conciliarunt. Igitur amicus ille Tuus ſtatim ex te diſcere rem totam abſque circuitione & anfractu poterat, quam tu nobis pronuntiandam committis, qui nihil tibi negare unquam voluimus. Thuanum equidem, hominem in ſumma ingenii magnitudine, temperatum modeſtia, humanitate, diſciplina, fortuna reipublicæ ad artes & conſilia condendis annalibus digna excitavit. Multis erat opus amicitiis, ſubſidiis, inſtrumentis ad hiſtoriam non unius gentis, ſed totius orbis. quæ illi omnia promta & expoſita reddebat egregia & peregrinationibus aucta fama, quæ de ſingulari & demerendis hominibus facta virtute ejus longe lateque percrebuerat. Quem poterimus reperire, ſi quæramus, tanto nomini hactenus conferendum? niſi ex propinquis, Puteanos, aut ejuſdem cum Thuano ſanguinis nominiſque participem, qui Thuanæ gentis decus hodie ſuſtentat, non diſpari ſucceſſu uſuros fuiſſe ſtatuamus, ſi ad hoc conſilium componendi ſua tempora, animum voluiſſent applicare. Sed illos quidem non magis inſtituta vitæ ratio, ad alias curas revocavit, quam averſus à poſteritatis reverentia ſæculi mos deterruit. Quamquam qui pluribus inſtruere ſcriptorem rerum quiverit, nominare liceat neminem. Defendendam ſibi potius alter Puteanorum Thuani memoriam & hiſtoriam ſumſit: profuturo ſæculis opere, ſi in manus hominum pervenerit. Feruntur hodie nonnulli impetu potius quàm conſilio ad arduum ſui temporis res dicendi munus: quorum appelli ad latentes ac improviſos ſcopulos navem & haud raro affligi videmus. Quid Tholoſano illi Præſidi, in anguſtiore ſcripturæ modo evenerit, Bignonius aliquis,

liquis, cujus judicium qui non revereatur, nihil cum Muſis commune & Gratiis habere putetur, pronuntiaverit. Et ſunt tamen in illis voluminibus quæ imperitis, ut imagines virtutum ſimiles, ſtili quadam opinione; exteris autem nonnulla rerum cognitione, ultro blandiantur. Nam illos ne verbo quidem attingendos exiſtimo, qui neſcio quas rerum eventorumque fabulas, nullis adjuti adminiculis, nulla diſciplina eruditi, vulgo pro hiſtoriis venditant. Præclare Thucydides, nata veluti ad populare ſpectaculum & paulo poſt in uſu nullo futura opera, à conſecrata perennibus monumentis annalium memoria, plurimum diſcrepare, oſtendit. Non crediderim, amicum illum tuum auram rumoris ex quovis angulo aucupari: ita natus eſt, ut placere non niſi peritis, ſequi non niſi optimos debeat. Perſuadeas ipſi, opinor, ut conſilio ſuo mora aliqua interpoſita, poſt unum & alterum annum relegat has paginas, & tanquam ab alio ſcriptas, ubi deflagraverit naturalis eorum, quæ cogitaverat, amor, non vulgari trutina, ſed aurificis ſtatera examinet. Si bene conjectura de ingenio ejus auguror, non alieno arbitrio ſed ſuo, vel deliberare amplius, vel commutare rationem illam totam cupiet. Magnum eſt, quod ſibi propoſuit exemplum: & placere quidam ſeorſum ſpectati poterant, qui comparati vileſcunt. Tot jam elapſis annis, prodito tam illuſtri ad præcipuam ingenii laudem conſequendam ſpecimine, nemo repertus eſt, qui vel in Gallia Thuanum, vel in Germania Sleidanum æquare contenderet. In hujus rei cauſſas inquirentem reverentia tanti nominis ſubeat, tum ipſa agitatio mentis de præſidiis variarum rerum artiumque commoneat, neceſſe eſt. Orationis certe genus ab omni fucata ſpecie & moleſte ſcribendi conſuetudine quàm longiſſime removendum erit. Valde probari ſibi Myſtagogi ſermonem oſtendebat, qui amici cauſſa eam quæſtionem attulerat. niſi quod de ultimis verbis & ſtilo Hiſtorici ſibi non ſatis liquere teſtabatur, cum hiſtoriam quomodocunque ſcriptam & delectare & prodeſſe, hactenus credidiſſet. Recte tu quidem, inquit Myſtagogus, ſed nihil pro amico ſentis. Juvamur etiam illo genere ſcripturæ, quod temporibus à politiori literarũ humanitate prorſus alienis, homines nec reipublicæ ſatis

Pp 2 periti,

periti, & barbarie domeſtica infuſcati, poſteris tranſmiſerunt. Eruimus undecunque fragmenta memoriarum veterum, & in theſauris reponimus. Quotiens autem iſta, non niſi hariolantibus negotiorum & ævi indolem, ſæpe ne his quidem, quem volebant, uſum præſtant? Nec diverſa multum eſt ratio eorum, qui eloqui, quod intelligunt, nequeunt. Ab hoc genere enimvero longe abeſſe amici tui conſilia, ſatis exempli, ad quod aptari vult, nobilitas demonſtrat. Et in tanta literarum ac temporum luce, quando imitari quidem eximia, non tamen intelligere deſiimus, ſatius fuerit ſilere, quàm prodita melioris doctrinæ cauſſa, inauſpicato mori, qui vel nos, vel minores noſtros manet, viam emunire. At enim jam pridem ab antiquorum in ſcribenda hiſtoria conſuetudine, & eloquentia, nec imperitiâ tantum, ſed conſilio & ratione diſceſſum eſt. Ita nonnunquam opus fuit, ut ſerviretur reipublicæ, quæ aliena facie nunquam ſpectari debet. An vir prudens & gravis religione verborum, diſceptationes ſæculi, jura civitatis, momenta rationum, notas cujuſque rei & formulas noſtris moribus conſentaneas, non aliter, quàm apud Quiritium aures, quæſita antiquitatis imagine, diſſereret, foriſque hoc pretio placere cuperet, ut domi parum intelligeretur? Reſpublica certe, cujus diſciplina ex annalibus potiſſimum cognoſcenda eſt, omnibus veteris Latii deliciis moris patrii nativam ac domeſticam conſuetudinem non permutaret. In quo genere admirabile eſt Thuani, quod reperit, temperamentum. Induciarum quoque Belgicarum ſcriptor, Romanæ eloquentiæ amantiſſimus, decore rationibus ſuæ ætatis morem geſſit. Quam digna laude hæc prudentia, tam inepta eſt defenſio, quæ ſpecioſæ rei obtentu quæritur ignorantiæ & negligentiæ eorum, qui ab elegantia omni, cum nulla cogat ratio, diſcedere non verentur. Sed de perſpicua & dilucida, non humili tamen abjectaque oratione volebam agere, ejuſque ſtudium ad hiſtorias ſcribendas unice amico tuo commendare. Quo in loco, prætermiſſis, quæ dici poterant, reliquis, rem veram ſed paucis perſpectam afferre, & ad aurem illum admonere cupiam: Qui ad civile & probabile idemque elegans & apertum eloquendi genus animum intendunt, illis negotia quoque cogitantibus

obij-

objiciunt ſe explanatius & expeditius; neque per involucra ac integumenta, ſed ut in luce & oculis poſita, libentius nativa ſpecie dant ſe in conſpectum. Quo nihil poteſt hiſtoriarum conditori optatius evenire. Hæc oratio pleriſque, qui aderant, probata, nudi & venuſti ſtili quendam amatorem longius provexit, ut admirari ſe tum alias, tum in hoc genere excellens Hieronymi Bignonii ingenium diceret. Ei Hugo Grotius annalium & hiſtoriarum libros ante exilium in patria ſcriptos cum legendos obtuliſſet, laudata viri ad præclara omnia geniti induſtriâ, planius & perſpicuum magis dicendi genus optare non dubitaverat. Valuit eo tanti auctoris ratio, ut reſcribere is ſuum opus inſtitueret, amiciſque ſpecimen monſtraret. in quo tamen propoſito, ſive ſuperioris temporis conſuetudine, & ingenii quadam ad gravitatem propenſione adverſante, ſive aliis cauſſis dehortantibus, non perſtitit. Et ingeniis quidem, invita Minerva parum audentibus prudentiſſimus quiſque facile faveat, aut ſuffragetur etiam. Illos nulla tueri videatur ratio, qui lenioribus apti aut ſueti, ſublimiora cum obſcuritate quadam, &, ſi Diis placet, Taciti ſingularem illam majeſtatem, ultro affectare inſtituunt. Quod ne Lipſio quidem ſucceſſurum fuiſſe, ſi vel maturus ævi inceptaſſet Taciti ſupplementum, quod in adoleſcentia ſe perfeciſſe glorioſius jactitat, viri ſummi crediderunt. Unus eſt, qui in Silvæ Ducis obſidione, & ejus anni hiſtoria, Taciti profundum os, multa doctrina curaque ſine ineptiis non infeliciter æmulatus eſt. Non defuerunt tamen, qui maluiſſent eum ſuo quàm alieno ſtilo uti. Male autem & hiſtoriæ & ſuo nomini conſuluit, qui poſtremam Bredæ obſidionem tali imitatione quid aliud quàm fœdavit? Ancipitis plenum negotii certamen, comparari antiquis velle. Niſi quod unus omnium forte ſui exempli partes ſingulas optime expreſſiſſe videtur, qui Curtii & Livii damna, magna vi ingenii & eloquentiæ ſarcire contendit. Id loco & tempore & ratione factum, cum aliorum ſcriptura & hiſtoria, hactenus nil commune habet. Hic eſt, ſi quiſquam, qui & Tacito ſupplendo integrandoque par exiſtimari potuit. cujus imitatores, quicunque erunt, valde verendum eſt, ne multa auctori ſuo relinquant, quæ aſſequi fas non ſit. Venerat in hunc

Muſei cœtum conciliumque vir multæ dignationis & in adminiſtranda pace belloque republica auctoritatis: qui, pulcre & in tempore ſe huc proceſſiſſe, neque unquam hactenus niſi ſuaviter inter viros tam eximios otium ſuum conſumpſiſſe, profeſſus, Thuanum, cujus hiſtoria ſermoni principium dederat, prorſus ex merito, nec vulgari laudatione ornare, & ex magna amplitudine rerum, ea quæ propius hanc diſputationem attingerent, elogia cœpit decerpere: donec eo ingreſſus eſt, ut ex ipſis Reipublicæ rationibus doceret, quantæ molis eſſet æterni iſtius operis exemplum ſibi ſequendum deligere. An enim alius, inquiebat, rerum hoc ſæculo toto orbe geſtarum hiſtoriam non temere aggredietur, quàm qui omnium nationum gentiumque utilitates & pericula, ſpes metusve, propoſita, conſilia, in aperto poſita, aut in penetralibus abdita, habitum animorum ad alios & adverſus alios, interiores denique reipublicæ tractandæ rationes, pervidere animo ſingillatim, & in unum quaſi contextum judicio colligere ac ordinare didicerit? Rarum decus: ad quod non ingenio tantum & literis aſpirare, ſed majoribus & publicis auſpiciis, quin etiam opibus inſuper & inſtrumento apparatiſſimo contendere fas eſt. Reperiuntur valde quàm pauci, unius populi ac civitatis diſciplinam probe edocti. nam nugas hominum meras, qui ſe vulgo Politicos vocant, parum curamus. Quid de illa quaſi humani generis republica, cui vix immenſi magnitudo animi par eſt, ſperari poteſt? Neque eſt, quod injuriam me facere & convitium ſæculo dicas, ſi magna illa & decora ingenia vel naſci perraro, vel nunquam ad hos uſus adhiberi exiſtimaverim. Aliis enim in republica negotiis diſtrahuntur ac pæne obruuntur tam præſtantes naturæ: ad quæ etiam ſæpius quadam inductione animi feruntur, quàm ad eas curas, unde privatim nihil emolumenti, publice potior apud poſteros gloria expectari poteſt. Video Principum ſtudio & liberalitate apparari modo ampliſſimum aulæ & pompæ inſtrumentum, modo Bibliothecas ordinari multo ſumtu cultuque: ſed de conficiendo omnium negotiorum vivo quaſi & ſpirante illo ſubſidio, nullam animadverto publice cogitationem ſuſcipi. Reperias etiam qui rem plus quàm privatæ opis, ultro aſpernandi auctores ſunt: commentarios re-

rum

rum undique collectos ſufficere tali inſtituto cauſſati. Quaſi nihil intereſſet inter conjectos in cumulum rerum variarum theſauros, & diligentiam ac judicium diſpenſantis atque diſponentis. Dictis ad hunc modum ſententiis, qui amici cauſa agitari in Muſeo eam quæſtionem voluerat, gratias agere cœpit, probeque ſibi ſatisfactum teſtatus, reſcribam, inquit, amico meo congruentes iis, quæ ex vobis audivi, literas: atque ut de orationis genere, quod Thuanæi inſtituti imitatorem non dedecere videatur, etiam atque etiam cogitet, monebo. Interrogabo deinde, quibus velit præſidiis tantam rem aggredi? An Germanicorum Principum in aulis, tabularia, viros, conſilia ad juvandum hoc propoſitum traduci confidat poſſe? Et quamvis Hiſpanorum fere artes à Gallis, Gallorum ab Hiſpanis ſedulo obſerventur ac evulgentur, requiram tamen, unde cetera, quæ ad fidem hiſtoriæ non leve momentum faciunt, utrosque apud populos proviſa ac præparata habeat? Proponam ei exemplum ejus, qui duos è maximis quos ulla unquam aula tulit, Regiarum curarum adjutores & tractandæ reipublicæ principes, ita deſcripſit, ut interiora negotiorum operumque ſæpe ſollerter perſpiceret, in nonnullis egregie falleretur: & quanto facilius ſit ejus generis diſſertationibus operam dare, quàm hiſtoricæ gravitatis menſuram implere, oſtendam. Britannorum res hoc ſæculo, ex quibus monumentis aut commentariis idoneis poterunt repeti? ad quas pernoſcendas neſcio an opus ſit peregrinatione ſingulari, & negotio minime otioſo. Italica quidem Venetiis & Romæ optimè condiſci arbitreris: ſi Oſſati alicujus reviviſceret induſtria. Vix tamen abſentibus & procul poſitis æqua ſatis iſta diſciplina eſt. Quàm multa non niſi in Septentrionem penetrantibus patere, jam pridem Languetus obſervavit? Apud Belgas minus celari arcana creduntur, ſi non deſit, qui propius expiſcetur. Polonorum per concilia & comitia ſpargi negotia, atque adeo enoteſcere faciliusſolent. Moſchorū domeſtica rarius in literas eunt: quæ publice parant, vel inſtinctu, vel conſilio alieno commoventur. Tartarorum infames turmæ ad licentium nutum circumferuntur, foriſque potius quàm domi cognoſcuntur. Turcarum res geſtas, & molitiones, Legatorum fere, Cæſareorum præſertim,

Gallicorum & Venetorum, relatu humanior orbis accipit. Jam, qui velit Eccleſiæ res intexere, ut ratio operis poſtulat, quàm ſudabit ille in dignoſcendis Græcæ Eccleſiæ reliquiis, & ubi per Æthiopas, ac alibi, Chriſtiana religio variam formam famamque nanciſcitur? Indica & Americana, itinerum & navigationum deſcriptionibus, vix puro liquidoque flumine in vulgus emanare ſolitis, debentur. Hæc atque talia non dijudicare minor ac diſcernere, quàm conquirere undique & conducere, labor fuerit. Peireskio quodam opus erat: qui nulli operæ, nulli parcens impenſæ, moleſtiis inſuper virtute ſuperatis omnibus, eximiis doctorum virorum juvandis ſublevandisque natus operibus, ex nationibus, gentibus, aulis, muſeis, commentariis, cubiculis, penetralibus, quibus quiſque indigeret ſubſidia eruebat feliciter, ac perliberaliter ſuppeditabat. Nihil fruſtra è Gallia, Italia, Africa, Oriente toto ſperaſſes, nihil de illuſtrium virorum & familiarum notitia, nihil de publica actorum ſcriptura, & formulis, nihil diplomatum, & monumentorũ ad memoriam inſignium deſideraſſet, cui tanti Mæcenatis ope niti contigiſſet. Sed in ejus qui ſuccedere locum velit poſſitve, quæ feret ætas, quæ producet regio? Extulit Gallia Peireskium, ſed luxit lugebitque ſemper quantum eſt in terrarum orbe liberalium & præſtantium ingeniorum. Proponam ei vetus Polybii exemplum, quo nemo ſtudioſius illam curam & cogitationem ſuſcepit, de partibus hiſtoriæ in rerum ſummam & unius corporis ſpeciem colligendis: & quanto majus Polybiano inſtituto negotium contrahatur ei, qui Thuanum velit æmulari, in expedito ut ſit, efficiam. In primis veſtri auctoritas conſilii, vel erudiet magniſque conatis præparabit virum, vel de omittendo tali labore commonefaciet. Incidit inter hos ſermones mentio Italici Scriptoris, qui auſpiciis Gallicis temporis exigui noviſſima delecta hiſtoria, ſic moris civilis habitum expreſſiſſe, ſic ſæculi genium propitiaſſe viſus eſt, ut reliquos, qui nuper aliquid hujus generis aggreſſi ſunt, ſine controverſia vincere vulgo judicaretur. Sicut autem novitatis quadam illecebra prudentiæ rationibus prætexta plurimum animos cepit: ita gravioribus Thuani & accuratis, ſine choragio gloriæ, conſiliis qui æquaret, nedum præferret, haud

eſt

eſt in illo cœtu repertus. Alterum enimvero Italum, qui Latine bella Germanica noviſſima prodere memoriæ ſibi viſus eſt, nec ſtudiis artibusque, nec facultate hiſtorici præditum cenſebant, nomenque ejus in hac diſputatione levi auditu tranſmittebant.

Gratulari ſibi potuit Modeſtus de tam exquiſita graviſſimorum virorum diſciplina: unde accenſum in animo ſuo verſandæ incomparabilis hiſtoriæ ſtudium, & in literas referre, & explere, per gradus ætatis ac uſus rerum in omni vita, deſtinavit. Cumque tam pulcre ſe dediſſent initia, magnam ſibi adhibendam contentionem videbat, ut Muſeum non aſſidue modo, ſed reverenter etiam & ſtudioſe frequentaret. Hærebant in animo vultus illi venerandi, quorum relictæ oculis veluti imagines circumlatæ, memoriam dulciſſimorum ſermonum renovabant. Ægre, quicquid intercedebat temporis, patiebatur morari ſua deſideria & Muſei delicias, quas avide animo & in longum hauſerat. Ad unum autem præſertim tanquam patronum ſe applicabat, cui non vulgari ſuorum commendatione traditus, mutuo ſe diligi haud vana comitatis ejus fiducia ſibi perſuaſerat. Hunc ut alterum parentem obſervandum colendumque ratus, quomodo apte adiret, horamque & animum vacantem reperiret, ſummo ſtudio elaboravit: miraque orationis ſuavitate & modeſtia, cum hominis bonarum rerum ignorantiam omni ope vitantis, neque quicquam niſi cum laude conjunctum affectantis non obſcura cotidie indicia daret, domoque ſubmiſſa modo artificum opera, modo doctorum virorum conſilia, quæſtiones, libros colloquiis prætenderet, ita cepit virum, ut omni benevolentia complectendum ſibi ac ornandum deinceps hunc clientem duceret. Igitur quodam tempore, Video, inquit, te dignum eſſe, Modeſte, quem myſteriis Muſei initiatum, in amicitiam ſuam viri præſtantes recipiant, à qua profanum vulgus merito arcetur. Commendant nobis ſæpe ut amicos aut neceſſarios ſuos, qui per literas nobiſcum variis de rebus colloquuntur. neque quicquam nobis æque propoſitum eſt, atque officiorum in omne hominum genus ſedulitas. Admittimus ergo non raro in Muſeum talium latores literarum ea facilitate, cujus poſtmodo &

nos

nos & ipſos pœniteat neceſſe eſt. adeo nihil de viris aut rebus præclaris intelligunt. Mirari haud raro ſubit eorum diſciplinam, quibus vos priſcum Academiæ honorem & nomen, neſcio unde, certe non ob judicandi decernendique in rebus non ſatis perſpectis modeſtiam accomodare ſoletis: cum ultra primas literas non profectu ſed ſaltu delati, delibatis leviter artis alicujus præceptis, accedente præſertim titulo inſigni, quibus excitari ad laudem ingenia ratio eſt, de omni antiquitate, ne per ſomnium quidem cognita, de ſtudiis ſapientiæ & doctoribus temere & cum faſtu pronuntiare, ac in ſe ſuiſque doctrinis inſolenter gloriari non verecundantur. In moribus quoque, quos domicilia illa gloriæ veſtræ amant, adeo ſæpe nihil eſt commodi, aut emendati, ut plerumque faſtidioſa illa elegantia viris gravibus & compoſitis vel riſum vel ſtomachum non poſſit non movere. Quo fit, ut ex Muſeo noſtro, plurimi diſcedant ignoti ignoranteſque. quid enim vel Platoni aut Ariſtoteli in diſciplinam datus diſcat, qui ſe doctum autumat, antequam, quid doctrina ſit, cognoverit? Quæ cum eo tibi communicandæ ratio ſapientiæ relinquitur, qui rerum bonarum utiliumque nec delectu nec ſtudio ducitur? Memini ex eo genere quendam, à me interrogatum, quid in urbe plurimis optimiſque rebus florentiſſima unde ad nos pedem attulerat, viſendum inprimis & eximium æſtimaſſet, turrim alte eductam, & laniſtam, nominaſſe. An digni videntur tibi, Modeſte, homines tam odioſe inepti, quibuſcum de Muſeo aliquis, diſſerere velit? Ecquid autem congreſſus noſtros, conſuetudinem victus, ſermones non niſi ad ſolidam veramque laudem virtutis, humanitatis, & eruditionis pertinentes magnopere requirat, qui omnem veræ vitæ rationem arrogantia prætervectus, ſuaque & vulgi forte opinione doctiſſimus, quid ulla ars aut doctrina liberalis ſit, vehementer ignorat? Modeſtus ita his avide, quaſi ad magnam ſitim explendam, arreptis, quid tandem vera eruditio eſſet, familiarius inquirere cœpit. Pridem enim, inquiebat, huic cogitationi aliquid impendendum temporis judicavi, ex quo me optimus vivendi ſapiendique auctor & magiſter, amitti vulgo & immutari vera rerum vocabula, admonuit. Qui memoriæ mandavere libellis quibuſdam tradita & in locos con-

conjecta, hos illa diſciplina doctos, ſi non doctores, nempe appellant. At mihi ſatis perſuaſum eſt, fieri non poſſe, ut hujus tam ſolidi & ſplendidi nominis decus in illam neſcio cujus ſcientiæ umbram convenire videatur. Ipſe ſuo ſibi ingenio ſapiat, nec, quia è magiſtrorum ſcholis ita accepit, ſed quia ita ſe habere cujusque rei conſertas naturali colligatione contextaſque rationes perſpexit, ſcire ac tenere aliquid credatur, neceſſe eſt, quem tu eruditum non injuriâ vocare velis. Corticem aut utres devehunt ſecum, non qui natandi periti ſunt: neque adminicula ſapientiæ perficiunt ſapientiam ſed inchoant. Propoſitus ſit ad diſputandum locus, ex quocunque literarum ac doctrinarum genere. Niſi, quicquid eo pertinet vel partium ad abſolvendum, vel momenti & ordinis ad diſponendum, vel judicii ad conſtituendum, remotis omnibus librorum ſubſidiis, ſuopte auſpicio expediat, perſequatur, impleat, qui doctus haberi vult, eum ego quovis potius quàm tali nomine cenſendum exiſtimaverim. Memoriæ quoque non illud præceptorum & formularum auctoritate inſtructum artificium, ſed inductione quadam ac ratione diſciplinæ, ſcientia comprehenſæ & ab omni opinionum lubrico ſejunctæ, paratum ſubſidium, minime fortuitum, hic agnoverim. Severam & antiqui moris legem, in civilibus ſtudiis ſequi aggreſſus, quanquam vix aliquâ prodire cœperim, multum tamen me ad firmandum iis artibus animum inſtigari ſentio, quarum ſimulacra & venditari paſſim & adamari cernimus. Verum in hoc genere, quod longe lateque patet, omnes meas ſpes Muſeo & veſtræ diſciplinæ delegavi. Plurimum hac oratione Modeſti delectatus, quem priſco more adoptaverat patronum, vir comitate & literis mirificus, Multis modis, inquit, laudandus es cum iſthoc animo, Modeſte, & propoſito: cujus te fructus uberes paulo poſt manent; cum & illud, quod de vera eruditione percontari inſtituiſti, nec obſcuris nec paucis ſpeciminibus illuſtrari animadvertes. Interea tibi doctoris profecto non vulgaris uſum & conſuetudinem gratulor: quæ tibi ad literas interiores viam utique patefacere poteſt.

Reditum erat ſtata vice in Muſeum, quo Patronum ſuum Modeſtus officii cauſſa deduxerat: cùm inter varios ſermo-

nes, Miltoni cujuſdam Britanni libellus, pro ſcelere omnis memoriæ immaniſſimo ſcriptus & pridie ex Belgis allatus, animos omnium novitate rei & atrocitate convertit. Excuſare enim parricidium, cui nulla ætas vidit ſimile, quid excuſare? ultro ut pulcerrimum facinus, Deique immortalis nutu & optimo jure patratum prædicare, alterum & plus quàm parricidium videbatur. Igitur non tenuit ſe de amicis Salmaſii quidam, quin commoto ſimilis, mirari ſe plurimum, diceret, quid viro erudito in mentem veniſſet, ut ſcriberet (proferebat enim literas) Miltonum ſic peſſimam cauſſam egiſſe bene, ut Salmaſius optimam male egerit. An fucati, nec ſatis Latini ſtili profluentia tantum cuiquam imponere potuit, ut bene agere negotium ſuſceptum videretur, qui de importuniſſimo ſophiſtarum genere mores impuri ſycophantæ mutuatus, juris divini humanique diſcrimen pervertere, & ſine ulla philoſophiæ aut antiquitatis cognitione, in omne honeſtarum literarum genus furioſe graſſari non dubitavit? Ut agnoſcas parricidam ſacrilegum, infames parricidas ſuæ diſciplinæ auctores facit, eorumque verbis utitur. Aodis illi exemplum ad defenſionem parricidii placet: prorſus ut Jacobus Clemens monachus, cum Henricum Valeſium nefario ſcelere trucidare conſtituiſſet, perſuaſit ſibi, ſe eſſe * Aodem ſive Ehudem, Regem vero Henricum, Eglonem Moabitam. Tum ſanctiſſimi Numinis voluntate & inſtinctu conſpiratos deteſtabile facinus aggreſſos eſſe, eo ore ementitur, quo ** Balthaſar Girardus Guilielmo Naſſovio percuſſor immiſſus, nil niſi jubente Deo & impellente ſe feciſſe, gloriatus eſt. Quid mirum ergo, ſi verba Dei immortalis, venerandis prodita voluminibus, ſubinde cavillari nunquam deſinit, qui numen ejus in atrociſſimi maleficii crimen & invidiam vocare haud eſt veritus? Nam quæ in Ariſtotelem, & omnem civilem diſciplinam peccat, revocatis ab orco tribunitiis furoribus, & perturbata omni ut adminiſtrandæ reipublicæ ita diſputationis ſuſcipiendæ ratione, nolo verboſius perſequi. Magnum certe deſperatæ cauſſæ argumentum apud me eſt, Miltonus defenſor. Valde probari ſibi hanc

* *Franc. Haræus tom. 3. in ann.* 1589. *p.* 428. ** *Idem in ann.* 1584. *p.* 363.

hanc orationem, qui in concilio Muſei aderat, Theodoſius vir in ſumma republica ſingulari cum prudentiæ & induſtriæ laude ſemper verſatus, oſtendebat, & quantum in civilem ſocietatem mali inferret circulatorum ejuscemodi impudentia, graviter querebatur. His ad fallendos imperitiores, quorum maxima ſemper copia, modo ſacras literas, modo priſcos Eccleſiæ doctores, alias philoſophorum principes, alias jureconſultos celeberrimos, ex cujus generis rerum hominumque mera inſcitia laborent interim, obtentui eſſe. Dediſſe ſpecimen Miltonum, quàm proterve illudere rerum civilium auctoribus conſueviſſet, cum Ariſtotelis nomen fœdis in permiſcenda omnis reipublicæ ratione erroribus prætexuit, tyrannidis deſcriptionem præter mentem & diſciplinam ejus ad fraudem ſecuritatis publicæ & res novas convertit; regnum Spartanum, in quo nil niſi nomen regni ineſſe diſertis verbis teſtatus erat Philoſophus,ut ſolum & verum regnum, quaſi eo auctore, venditavit; regendæ denique civitatis poteſtatem non niſi ſapientiſſimo civium concedendam, ut decretum ejus ſcholæ promulgavit. Neque melius in hiſtoria rem geri, vel ex iis perſpici poſſe, quæ de lege regia, de Principatu Cæſarum Romanorum antiquo, de ſcriptoribus annalium, incertum imperitia majore an confidentia afferantur. Sed Miltono quidem, inquit, etiamſi in tanta veri bonique ignoratione non verſaretur, malitia ſuo alienoque ingenio incitata pro ſapientia fuerit. Egregia autem doctrina famaque præditos viros, Francogalliæ ſcriptorem, & qui ſe Bruti nomine diſſimulavit (ſive Mornæus is eſt, ſive Hubertus Languetus) quis non miretur, cum ea in publico dudum proponere in animum induxerunt, de jure regio ſemper in ordinem redacto & redigendo, de poteſtate populi ſemper & ubique ſumma, regumque & optimatum judice ac moderatrice, quibus, nemo eſt parricidarum & ſeditioſorum latronum,quin tanquam coloribus pravas molitiones pingere,& ultimi turpitudinem maleficii veluti honeſta præſcriptione tegere nullo negotio poſt illa potuit? Egit illos credo in transverſum metus & ſolicitudo temporum, cærimoniis & ſacris, quæ amabant, nihil fauſti portendentium; ut regum conſtringendæ licentiæ, etiam juſtam omnique jure debitam po-

teſtatem in dubium vocare inſtituerent. quo fere conſilio eximii quidam viri, ut prurientes in pugnam Chriſtianorum animos obice quodam morarentur, fas eſſe Chriſtianis bellare negaverunt. Sed hoc eſt ſcilicet, malum malo ſanare, & privato periculo reipublicæ vulneribus mederi. Quam vero auctoritatem, quam poſſunt habere fidem in aliis, qui in re omnium maxima, ſtare à mendacio contra verum non verentur? Fructum quidem hujus conſilii, quem ſibi proponebant, nemo illorum quiſquam conſecutus eſt: irritatis, quorum juri illudebatur, Principibus; & vulgo ad præſidium ab audacia & turbis mutuandum tam inſolentis philoſophiæ novitatibus illecto. Eſt Britannia hodie fanaticis hominibus plena: quibus neque lex, neque imperium ac civilis ordo diſciplinæ in bonis; ſed diſſoluta & impudens licentia caput religionis eſt. Memini tamen, cum ſuperioribus annis bello civili omnia arderent, eos, qui honeſtiores videri volebant, cum modo Senatus, modo populi nomine regem oppugnandum ſumſiſſent, quoquo verſus literas nuntioſque dimiſiſſe, & cum ſuæ religionis ſociis de armorum ſuorum jure deliberaſſe. De qua conſultatione, cum eſſet Aureliam Allobrogum allata, nomine collegii Theologorum graviſſime reſponderat vir non doctrina magis quàm vita & moribus ſpectatus Deodatus. Aſſervo domi cygneam vocem optimi ſenis, qua conſuetudinem illam cum regibus agendi, deſideriaque civium armis exequendi ſummopere abominatus, quàm multa & magna jam peccaſſent, qui illuc decurriſſent, oſtendit, & per quicquid eſt ſancti obſecravit, ne augerent opinionem, qua pridem longe lateque laborarent, qui reformandæ religionis ſtudio noſci præ ceteris cupiunt, quaſi reges & regna ferre nullo modo poſſent. Hæc ille quidem in literas relata, cum majori collegarum parti non probaſſet, miſſa eſt in Angliam reſponſio longiſſime diverſa, quæ calcaria potius incitatis, quam frenos adhiberet. cujus generis aliunde etiam ſubmiſſa furentibus quantulo minus quàm irritamenta novimus. Qua de re cum admonerentur nonnulli, perpetrato parricidio, non invenerunt, quod admonentibus referrent, niſi vulgatum illud, non putaram. quis enim credere potuiſſet, duraturas in necem Regis civium iras? Verum enim invidiam ſedi-

ſeditioſi dogmatis ad totum eum ordinem nolim pertinere, cujus plures audiverim & viderim præclaros viros præcipuo quodam dolore angi de immani ac intoleranda parricidarum Anglicorum barbarie; omneque illud, quod rebellibus favet, inſanientis ſapientiæ genus toto pectore execrari. Cumulate mihi ſatisfecit doctiſſimus Bochartus, cui in univerſa cauſſa Anglicana nihil viſum eſt habere rationem, niſi quod haberet juſtitiam: quique jura & ſanctitatem regum inviolabilem adeo ediſſeruit accurate, ut & verenda immortalis Dei decreta, & omnis hiſtoriæ monumenta, hominumque, qui ullo ævo recte de divinis humaniſque rebus ſenſerunt, teſtimonia multa gravitate & doctrina illuſtraret. Oravi certe, &, ut ſpero, exoravi, ne in publicum edere colloquii noſtri argumentum gravaretur. Sicut autem permagni ad Reipublicæ felicitatem momenti eſt, ut de imperio atque imperantibus recte, ac ſicut oportet, omnes ſentiant: ita tollenda eſt ex omni vita civili malarum artium conſuetudo & auctoritas, quibus præſidia ad beate vivendum potiſſima clam palam everti neceſſe eſt. Quàm eſt enim dictu incredibile, quod totiens vel noſtra vidit ætas, imperii majeſtatem ab iis impugnari, quibus unice proderat, ſacram atque inviolatam haberi? Quæ turbatur uſquam reſpublica, quin vicini Principes, ſæpe & ex longinquo aliqui, partes, nec unas aliquando, clanculum ſuſcipere velint, ut diſſidentium vel nonnullos, vel omnes ſuis habeant conſiliis obnoxios, aut injuriis opportunos? Non ſine gemitu hæc effatus Theodoſius, memoriter Myſtagogo ad aurem pronuntiabat, quid in turbis Britannicis, quo conſilio, qua ſpe, quibus miniſtris & nuntiis, exterorum illi & iſti moliti ſint. Tum ad omnes converſus, atque hæc, inquit, ſunt, quibus mire ſibi placent magiſtri dominationis; hæc plane ſecreto inſtillant Principibus: hæc multa ſpecie utilitatis publicæ conveſtiunt: at ego certum habeo, talibus aſtutiis divinum numen irritari, fatali calamitate rempublicam involvi, & redituris paulo poſt ad auctores exempli parum probabilis vicibus, nihil tantum afferre poſſe iſtam, quæ dicitur, utilitatem, quantum aufert, ſi perenne honeſtatis decus eripuerit, fidem juſtitiamque detraxerit. Excitavit hæc Theodoſii pietas ingenuam nonneminis liber-

bertatem, ut proditam à ceteris Principibus communem regum cauſſam, ne latentem quidem ſub novæ reipublicæ nomine unius tyranni dominationem detrectantibus, paulo minus quàm indignaretur; Hiſpaniamque ejus rei ducem fieri, poſtquam neminem puduit ſidus lugubre adorare, parum æquo animo pateretur. Sed attinuit impetum ejus ratio & prudentia reipublicæ gerendæ, quam alii in eo Hiſpanorum facto ultro laudibus ferentes docere pergebant: Britanniam id facere in universa Europæ fortuna momenti, ut ſegregato à corpore tam nobili membro, non poſſit eſſe reliquorum populorum in republica pro ſua parte capeſſenda is ſtatus, quem ſumma ordinis & communitas civilis poſtularet. Hiſpanis Galliſque, ut præcipuum in illo contextu locum, ita potiorem neceſſitudinis cum Britannis curam, convenire: & inter diſcordias utriusque populi, præoccupare illas partes, non conſilii modo, ſed felicitatis eſſe. Cauſſam regum non ab aliis in poſterum plus juvari poſſe, quàm qui in commutata quomodocunque republica aliquam ſibi auctoritatem & gratiam comparaverint. Parricidii culpam penes auctores, ſceleris ſui præmia haud læta relaturos, reſidere: nationem contagionibus malorum involutam, non projici ut inviſam, ſed ſanari ut affectam verum eſſe: multa tempus allaturum, per quæ regii imperii beneficiique, homines antiquitus non alio aſſueti regimine, ultro admoneantur. Si quid abſtruſioris conſilii ſubſit, quo occaſionem turbidi temporis in quæſtum vertant nonnulli, id vero deplorandum quidem, ſed tralatitium hodie eſſe. nihilo interea minus conſtare, Hiſpanos vix reprehendi poſſe, ſi priores fecerunt, quod non magnis peræque de cauſſis, pari tamen ſtudio & voluntate omnes facturi erant.

Sed ab his ſermonibus, quos ipſa collocutionis familiaritas interjecit, ad Salmaſium reverti cœpit oratio. cujus de libro pro rege adverſus parricidas ſcripto, erant, qui curioſius ſibi quærendum putarent. Nemo quidem de Miltono aliter ac ante demonſtravimus, ſentiendum, aut cum aliis inimicis Salmaſii id incuſandum judicabat, quod in argumento ſublimi vocem non ſuſtuliſſet altius, & majore ſpiritu ac contentione cauſſam egiſſet. Alia erant, quæ deſiderabantur, major præſer-

ſertim rerum civilium peritia, perſpicua & dilucida cum gravitate expoſitio, omiſſa verboſa ſimulatione doctrinæ, denique ordo quidam, & in ordine modus, & in utroque conſtantia. Tale enim videbatur hoc opus, ut nec antiquitatis exemplum referret, nec limatis noſtræ ætatis judiciis ſatisfaceret. Ipſi ſibi documento eſſe poteſt Salmaſius, inquiebat nonnemo, non idem eſſe vetuſtatis memoriam illuſtrare literis, & reipublicæ ac ſæculi ſui cauſſam tueri ſapientia. Solebat ille Grotii inſigne de jure belli & pacis opus ſatis arroganter aſpernari, & ad omnem civilis diſciplinæ mentionem tantum non nauſeare. Quis hoc ferat in eo, qui in univerſa de jure regum diſputatione pleraque rationum momenta tam diligenter à Grotio mutuatur, ut fruſtra nomen diſſimulaverit? niſi quod diverſus à ſuo auctore ſæpius eſt, dum transferendo, quæ accepit, deteriora facit, & invitis Muſis ac Apolline immutat. Quàm enim importuna & craſſa, nulloque erudito homine, nedum Grotio, digna ſunt, quæ de jure licentiæ, ut appellitat, philoſophatur? Tantum abeſt, ut intellexerit, quæ viri civiles de poteſtate regum nulli humano judicio obnoxia, graviter, caſte, & exquiſita cautione adhibita tradiderunt, ut iſta omnia ultro impudentia ſermonum & verborum inſolentia corrumperet, & ſacro ſancta imperii pignora profanaret. Nihil intereſt ſcilicet extemporalibus his philoſophis inter iſta, ſi dicas: Qui jure & nomine regio eſt, non habet, niſi DEUM judicem; &, eodem jure continetur poteſtas flagitiorum omnium ac ſcelerum. At vero aliter catuli olent, aliter ſues; diceret ipſe Salmaſius, cui valde ſcilicet id verbi ad irridendos homines probatur. Jam de jurejurando regum, quos ille ludos facit? quàm religionis nihil, nihil pudoris in illa diſputatione? quis de re omnium graviſſima tam diſſolute unquam ſermocinatus eſt? Atque dum nihil aliis debere, omnia ſuis auſpiciis eruere vult videri, feſtive ſcilicet ac pene ridicule furti ſe alligat. Dixerat Grotius, ſed lapſus per errorem, conſentire Hebræos: regi peccanti inflicta verbera, ſed citra infamiam, & quibus ille ſua ſponte ſe ſubmitteret, eligeretque, à quo cæderetur, modumque verberibus ſuo arbitrio ſtatueret. Argo plus videat oportet, cui hæc ſe apud Hebræos requirenti offerant. Salmaſio tamen

in lucem res occultas proferre ſolito, hæc ultro obvia veluti de medio arripiuntur. quo auctore? quem palam aſpernatur ſilentio præteritum, clanculum veneratur, ut dignum, cujus fide rem alio ore indictam, eademque opera irrefragabile ſuæ auctoritatis pondus, fundari vellet. Quanto mihi ut modeſtiores ſic prudentiores videntur, qui Salmaſio judice volitant ut umbræ, cum res non ingenii, non eruditionis ſuæ, unde acceperint, fatentur: alienaque pro ſuis afferre, aut per ſe definire, quæ debentur aliis, religioni habent. Ita enim nec gloriæ aliorum obtrectare, nec erroris alieni invidiam ſibi ſuo jumento accire contendunt. De jure regio Hebræorum quid affert Salmaſius, niſi ex doctiſſimo Schikardo, etiam cum non nominat? tam fideliter ſcilicet, ut errorem nominum, & ſi quid in verbis aut interpretatione diſcrepat, retineat aut transſcribat. Ad hiſtoriam rerum Britannicarum ubi perventum eſt, qua in jure regum & ſcelere parricidarum demonſtrando unice opus erat, quàm eſt jejunus, & ignarus actorum temporumque, heros ille noſter? Niſi crediſiſſet, in uno nomine ſuo, & doctrinæ & auctoritatis eſſe ſatis, veniſſet profecto ad rem tantam paratior & inſtructior. Hæc oratio facile omnium judicio probata, etiam amicos Salmaſii perpulit, ut diſſimulari à ſe magis iſta, quam ignorari faterentur; à Miltono tamen aliquo, aut ſemidoctis hominibus rem à vulgari intelligentia remotam agitari poſſe negarent. Nec defuit in concilio, qui alium regiæ cauſſæ patronum, publica civiliter, gravia magnifice tractaturum, optaret. Quanquam enim nonnulla ſpes ſuberat, fore ut Miltoni conatus impios refutaret Salmaſius ac retunderet, eademque opera, quæ cauſſæ tam bonæ ornandæ ſunt, ſuppleret: ſuæ tamen potius conſuetudini cuidam, quàm dignitati argumenti, quotieſcunque reſumeret ſtilum, ſatisfacturum eſſe eum, erant plures, qui putarent. Modeſtus non parum his perculſus, quæ de Salmaſio audierat, ex patrono ſtudiorum ſuorum verecunde domi ſciſcitari cœpit, quo potuiſſet fato fieri, ut vir in tantum doctus, in quantum doctrinam intelligunt homines, totiens in rebus civilibus falleretur? Tum ille, Facis, inquit, quod ætatem tuam & virtutis indolem decet, cum viros eruditorum principes tantum & vereri & diligere ſtudes,

ſtudes, ut erratis eorum leviter notatis, commoveri ac ingemiſcere videaris. Eſt in Salmaſio magna vis ingenii, eſt longe lateque diffuſa laus ſcientiæ, ſunt exquiſitæ etiam ac reconditæ literæ. addam huc, vix unum & alterum hoc ævo variæ eruditionis copia ipſi comparari poſſe. Non tamen putare debes, Modeſte, unum aliquem, quantumvis licet excellentem hominem, cuncta poſſe ſua ſcientia complecti. Non dicam, quàm infeliciter cum Jureconſultis de legibus diſputaverit. Diatribæ ejus de annis climactericis & aſtrologia antiqua, meram rerum mathematicarum inſcitiam produnt, atque adeo temeritatem arrogantis animi arguunt, qui non dubitaverit in alienam meſſem falcem immittere. Quamquam non minus importunitatis & audaciæ oſtendit, cum in ſuo campo decurrit. Quotiens in antiquis ſcriptoribus recta depravat, ſana exſecat, vera immutat, denique

diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis?

neque crebrior eum huc impellit cauſſa, quàm diſſentiendi libido, & contendendi pervicacia. At enim redimit iſta vitia magnis laudibus? Ita futurum erat, niſi mira non minus ſuperbia, quàm malignitate & livore in omne genus eruditorum graſſari adortus, amicis admonentibus inimicitias denuntiaret, alienis laudibus ut ad diminutionem ſuæ gloriæ pertinentibus impotenter obtrectaret, & maledictis innoxios figens, etiam mitiſſimorum ingenia irritaret. Nolim ſane apud eorum aures iſta jactari, qui ad veram eruditionem nunquam perventuri ſunt: alias illi res agant, ſuadeo. Tibi autem ex hoc meo ſermone nec reverentia decedet adverſus merita Salmaſii, & multum ad cautionem & diligentiam in tractandis literis accedet.

Civilium quoque ſtudiorum: quæ tibi tantopere cordi ſunt, Modeſte, quæ ſit ratio, vel hinc moneri potes. Præclare ſine dubio ſentiunt, qui antiquitate magiſtra totam hanc diſciplinam volunt niti. Quid enim eſt, quod Poetæ, Oratores, Philoſophi, Hiſtorici veteres non & viderint acutius, & ornatius diſſeruerint? Verum non omnes qui eos libros verſant, ad prudentiam & artes civiles animum referre, ſed ſua quemque voluptate trahi; jam olim Seneca animadvertit.

Perſpicit intentiore cura Grotius aliquis, quæ Salmaſii præter oculos tranſmittantur. Eſt autem in hoc genere moleſtum, quod ſuo quiſque ſtudio & cupiditati morem gerens, quæ potioris ad uſum reipublicæ momenti ſunt, aſpernatur. Qui barbaro & crudeli dominatu ingenuam & ſolidam eruditionem premere contendunt, nullam eſſe civilis doctrinæ diſciplinam, non verentur effutire, niſi quæ ex juris civilis Romani voluminibus petatur. Fuerunt ſane Jureconſulti veteres, quorum oracula hodie veneramur, omnis civilis philoſophiæ ſcientiſſimi; quorum ſcilicet non poſſunt eſſe ſive diſcipuli, ſive imitatores, qui ſpecioſa tantorum virorum nomina affectantes, artes & ſtudia eorum nec intelligunt, nec curant, & ultro calumniantur. Mitius ſapere & facilius ſibi videntur, qui libellis quibuſdam & præceptis nomen & laudem civilis viri debere malunt. Quorum ſi multum proceſſit induſtria, argutiis quibuſdam ſcholaſticis majora, quàm capit, ſpirat. Non enim, Modeſte, ut ceteræ literæ, ex profunda barbarie in quendam nitorem emerſere, ita civilis doctrinæ ſtudia ad antiquitatis ſpecimen profecerunt. Quinimo inſtauratis reliquis diſciplinis, hæc oblivioni tradita, & ne nunc quidem niſi paucorum animis percepta, vix quo deſtinatur penetrare audet. Audiviſti, credo, ſuperiore ſæculo, cum ad bellum civile res ſpectaret in quadam civitate, & juris dubitatio ſuſpenſos teneret animos, quæſitum eſſe à Theologis, an religionis cauſſam adverſus quoſcunque inimicos liceret armis propugnare; & à Jureconſultis, an judicis iniquæ ſententiæ vis armata poſſet opponi. At in his diſputationibus nihil oſtendebatur, quod animum fluctuantem poſſet in tuto locare. quod caput rei erat, vix in diſceptationem venit: an in temperato mixtoque reipublicæ ſtatu, partem juris non ſuam involanti, aut jus commune ad ſe ſolum trahenti fas ſit reſiſtere bello & armis, ubi alia remedia conſumta ſint. Hic eſt demum locus, in quo ex ipſa civitatis diſciplina, ſanctiſſimis legibus deſcripta, & jurisjurandi religione firmata, ex divino humanoque jure, natura & ratio ea ſubminiſtrat firmamenta cauſſæ & robora, in quibus merito omnis diſceptatio acquieſcat. Licuit, ni fallor, ex illo tempore documentum capere, quid ſit legibus reipublicæ deſcriptionem

nem complexis uti, & earum ſententiam ac rationem in philoſophia civili negligere aut ignorare. Secuta ſane eſt, hoc præſertim ſæculo, ingens turba eorum, qui reipublicæ illius ſtatum, nec modicis, nec paucis voluminibus explicare ſtuduerunt. cujus cum ſint duæ laboris partes, una, quæ moris juriſque patrii hiſtoriam perpetua temporum rerumque ſerie, ex incorruptis monumentis expromit; altera, quæ ipſam formam civitatis habitumque per univerſa & ſingula conſtituti corporis momenta interpretatur: quid trepidationis, bone Deus, quid tumultus exiſtit, antequam, quæ ſit omnino diſciplina civitatis, quod nomen, ſuſpicari poſſis? Ille de toto reipublicæ corpore dubitat: iſte formam civitatis vel deſcriptam torquet, vel fictam deſcribit. nunc ſimplex neque quicquam diſſimilium rerum admiſtum habens natura civitatis ignoratur: nunc miſcendæ & temperandæ ratio reipublicæ vera ſpernitur, aliena excogitatur, falſa adornatur. non jura, à ſimulacris; non temperati mixtique ſtatus regula, à regendi conſilio & arte, diſcernuntur. Ipſa ſuprema regendæ civitatis poteſtas, neque in ſumma, neque in partibus ſuam vim & indolem perſuadere tumultuariis illis philoſophis poteſt, quin prodigia loquantur, & reipublicæ vinculum, dum male explicatur, ſolvant. Quid proprio, quid fiduciario jure conveniat in hos aut illos, magna ſæpe dubitatio eſt. Et quamquam ſatis conſtat, ſtudiis privatis & obſequiis ad aulam & tempus comparatis, tolerari augerique omnem illam perturbatam, confuſam atque abnormem ſapientiam: prorſus tamen adducor, ut credam, pudore famæ revocatum iri ad meliora nonnullorum animos, niſi publica civilium ſtudiorum neglectio, & errantium numerus auctoritaſque, quicquid ſubeſt vitii, ultro tegeret & diſſimularet. Atque ita profectum eſt ad iſtam opportunam callidioribus conſiliis impudentiam, cujus beneficio, nihil tam eſt in omni civili diſputatione importunum, abſurdum, perplexum, quod nequeat fluctuantis ac novæ inauditæque hujus philoſophiæ more & conſuetudine formari, definiri, abſolvi, in quamcunque velis partem, ad quoſcunque uſus, qua denique quiſquam cupiat formula. Hæc eſt politica illorum hominum: quod vocabulum ſemper in ore habent. Miſeret me

civitatis, quæ præter ceteras opus habebat accuratiore civili doctrina, inter aſſiduas de ratione reipublicæ conſervandæ regendæque concertationes. En tibi, Modeſte, libellum indicem ſententiarum ab omni veritate & eruditione abhorrentium: quas, niſi meis oculis, nemini accrediddiſſem. Tuum erit, alia via iter ad civilis viri laudem conſequendam ingredi, perceptiſque ſolidioribus doctrinis, hiſtoriam externarum & domeſticarum rerum ſtudioſius adjungere, juriſque divini & humani graviorem intelligentiam, cum expedita & facili eloquentia copulare, ut non ſtudia nunc minus tua, quàm olim officia & curæ, patriæ conſecrari videantur.

Conſecutus erat una ſui auctoris liberalitate Modeſtus, quæ longa inveſtigatione adipiſci ſe poſſe, nunquam auſus erat ſperare. Igitur fortunam ſuam miris venerari laudibus cœpit, tam luculentas & cotidianas, unde non vulgaria diſceret, occaſiones offerentem. Primo enim & proximo die, cum in Muſeum rediiſſet, graviſſimæ diſputationi intervenit. Nil fere rerum novitate & eventu memorabilium potioribus orbis terrarum gentiumque locis accidit, de quo non conſortes Muſei amicorum literis edoceantur. Sicut tum allata erat res, & atrocitate facti, & ſententia judicis admirabiliter ſingularis. Adoleſcens quidam honeſto natus genere, captus amore virginis in celebri urbe, à parentibus ejus, vix duris legibus, neque niſi deſerto cultu ſacrorum patrio, ut uxorem duceret, impetrat: offenſis, neque abunde, quæ deſiderabat, ab initio ſubmittentibus cognatis. Conjunctis nuptiis, cum in domo ſoceri cum nova nupta ageret maritus, ſocrus fœmina ſævioris & pæne truculenti in liberos animi, filiam ut ſuæ unius poteſtati ſubditam violentis cœpit imperiis vexare, neque generum melius tractare. Qui ſubinde à ſocero, in eandem impotentiam demutato, domo exactus eſt, cum interim apud parentes uxor retineretur. Quid iſthoc homine fieri poterat miſerius? cui tanto ambitu expetitum & vix ægre adeptum matrimonium, nec novæ affinitatis gratiam conſervavit, & neceſſariorum voluntates alienavit: ut hoſpitia ſæpius mutare coactus, & ad inopiam tandem redactus, nec in judicum ſententia, uxorem marito cum copioſis neceſſariis reddi juben-

jubentium, ſolatium inveniret, ſocero varia cauſſante, & morarum titulos undique conquirente. Feſſi ergo tot injuriis, & diſtractionem illam pertæſi conjuges (nam uxor egregie conſtantem ſe in amore præbuit) clanculum ex urbe ſecedendi & ad affinem mariti tanquam receptus & confugii cauſſa demigrandi conſilium capiunt. Die feſto matrem è templo redeuntem filia ſubſequebatur: cum accedens pone maritus manu prehenſam recta ad portam urbis ducit, paratum foris vehiculum cum ea conſcenſurus. Tumultuoſo matris nuntio excitus pater fœminæ, Duumvirum quendam adit, filiamque abduci ad ludibrium, haut dubie poſthæc projiciendam ab inſipiente & prodigo marito, queſtus, ut is una ſecum, aſſumptis lictoribus ad retrahendos conjuges, parum officii ac poteſtatis memor eo non pertinentis, procurreret, efficit. Hærentibus adhuc apud vallum urbis conjugibus, & dum recluderetur porta opperientibus, cum lictoribus Pater & Duumvir ſuperveniunt: cumque manus jam injicere pararent marito lictores, illi legitimi matrimonii jura præfati, nulliuſque ſe delicti vel compertos, vel merito ſuſpectos teſtati, vim deprecabantur. Cumque in eo fruſtra ſe eſſe intelligerent, evaginato maritus gladio vi repellere vim contendit: ſocero & Duumviro magno clamore lictores cohortantibus, atque ut ferirent, jubentibus. Ibi tum infelix ille maritus, immani & horrendo conſilio, cum præfatus eſſet, neminem alium ſua conjuge potiturum, nec mortis minus quàm vitæ participem ſe illi futurum, geminato ictu (poſt primum enim vulnus, quod per errorem ſibi putabat inflictum, ultro miſera ad maritum accurrit) pectus ejus transfigit: unde paulo poſt in propinqua domo, nullo amplius ſermone edito, expiravit. Auctor cædis, lictorum plagis peſſum datus, in carcerem raptatur: ubi recepto ex conſternatione animo, miſerabili ejulatu, queſtu, gemitu, mortem ut unicum miſeriarum remedium voto expetebat. Exciverat atrocitas caſus totius urbis lamenta & miſerationem: parentumque inhumana aſperitas, & duumviri mox officio, ſicut meruerat, dejecti temeraria violentia, omnium convitio verberabantur. Reo in vinculis ab initio nec votum, ut diximus, nec ſpes incolumitatis ſupererat. Erigentibus

 tamen,

tamen , qui ſubinde ad eum inviſebant , cognatis & juriſperitis, tentata eſt defenſio : hoc inprimis obtentu : quod in pueritia gravi prolapſione ad caſum datus, ex eo tempore capitis infirmitate laborare, & accedentibus externis irritamentis, qualia hic in ſumma & multiplici perturbatione animi, nec non lictorum verberibus demonſtrabantur, uſum rationis parum expedire cœpiſſet. Ita factum eſt , ut effugeret homicidii pœnam, & in Hungariæ aliqua arce Turcis oppoſita per aliquot annos ſuis impenſis militiam tolerare, cautione apud judicem interpoſita, juberetur. Dedit hæc ſententia judicis occaſionem, de re tota diſſerendi amplius: nec deerat, qui judicem reprehendere gravi oratione inſtituebat. Eſtne, inquiebat, homicidium ex illis criminibus , quæ capite puniri ipſa Dei lex, humani generis ſecuritas, omnium nationum gentiumque ratio , omnis ævi exempla jubent ? Quid in parricidio oportet decernere ? An fas, etiam judici regio jure & nomine prædito, vertere quæ æterna ratio immota eſſe voluit ? Quanto reipublicæ detrimento, quanta ſæculi infamia vivet parricida uxoris ? In ſe ſuosque cives pœnam alienam vertit, qui atrociſſimorum facinorum manifeſtos merito non mactat ſupplicio : crudelis in viſcera ſua, dum inanem ſpeciem clementiæ , neceſſitudini officii, querelis optimi cujuſque, & reverentiæ famæ fatique anteponit. Nunquam placuit bonis ac prudentibus viris lenitas judicis, poteſtatem ſuam parcendo oſtentantis in eo maleficiorum genere, quæ non niſi magnitudine ſupplicii expiantur. Facinus immane, barbarum , inauditum! puella, & uxor, & amans, & fortunam mariti, haud ſane lætam, tum maxime ſequens, inter ipſa obſequia, ab eo perditur, quem ſervatum ibat. Quid iram obtendis ? in lædentem, in adverſarium iratos furere videmus. hæc una adverſus omnes inimicos amica, ſocia, comes non modo nulla re læſerat interfectorem ſuum, ſed ad id , ne à quoquam ultra lædi poſſet, ſumma ope contendebat. At enim amor, at zelotypia manum ad ſceleſta vulnera impetu deflexit ? Cujus feræ rabiem tam infeſtus amor non niſi cognato ſanguine placat ? Inſanus verò hominis timor , ne alius potiretur tam fida conjuge; quam paulo poſt à parentibus judicio recepturus erat, niſi inſanio-

ſaniore timoris remedio effeciſſet, ut marito prius quàm aliis periret. Ad maxima quæque facinorum quadam animi agitatione, & quodam quaſi motu æſtuque rapiuntur homines. Male utique cum civili ageretur ſocietate, ſi truces & turbidos affectus venia proſequi fas eſſet. Non erunt homicidæ, non damnabuntur capitis infeſta tranquillitati publicæ & importuna hominum genera, ceſſabunt leges, ſi immanis & præfervida ira, ſi cupiditas, ſi perturbati labes animi aliæ, inter patrociniorum nomina ſceleribus præſcribentur. Atque hic non de cæde, ſed de parricidio, nondum ſatis dixi, de parricidio novi & inauditi generis agitur. Occidit aliquis uxorem, ne vim & contumeliam hoſtium barbarorum, aut infandi ſtupratoris perferre cogeretur. ſubvenit præoptanti mortem, & remedium credidit, mutare genus exitii. Nihil miſera iſta & infanda audacia, quod cum hujus parricidæ immanitate comparetur, habet. Nullum infelici fœminæ periculum, ſi manum mariti latronis exciperes, aliunde imminebat. Quare non ipſa ſibi, non vulneri, non ſanguini ſuo credidit, cum parricidali ictu ſaucia, adhuc tanquam mariti amplexu refoveri cuperet, neque amare priusquàm vivere deſineret. Horrendum dictu! ad geminandum ſcelus duravit crudelitas in talem & fœminam, & uxorem, & ſervatricem. Hæc eſt, quæ amatorem pæne depereuntem ſuo matrimonio in vitam revocavit: hæc parentum injurias primum cum ipſo, poſtea pro ipſo toleravit: hæc non inopia mariti, ad faſtidium; non abſentia exuendam ad fidem, non periculo ad ſegreganda conſilia compelli potuit, quin quod ſemel facere cœperat, pertenderet, & mala perpetua, ingentia, pervicacia in ſalutem converteret. In his occupatæ operibus mors pro gratia redditur. Hoc ipſum inquis, amentis eſt. nemo ſanus occidit fœminam: quid uxorem? quid tam præclare meritam? Mentem labefactaverat homini jam olim caſus, imminuerat miſeria, exturbaverat deſperatio. Ecquæ potuit eſſe in animo tot curis, ærumnis, minis, clamoribus perturbato ſanitas? Tempori miſerrimi hujus mortalis, quod excelſos etiam & intactos valetudine frangere animos poteſt, non conſilio quod nullum fuit, tribui debet, quicquid hoc eſt infortunii. Audio equidem iſta jactari: & memini,

non

non excuſari tam facile parricidium, quàm fieri. Si in flagitiorum ultimis rhetoricari ſcilicet fas eſt, omne verum de rebus judicium & diſcrimen tolletur: neque quiſquam atrocia peccaſſe, niſi per amentiam, videbitur. Apud judicem gravem & ſanctum alleganti dementiam non poſſunt prodeſſe declamatorum floſculi, ſed incorrupta rerum fide nixa teſtimonia. Quinam ſpectati uſu & ſcientia medici parricidam hunc in furioſorum & veſanorum cenſum retulerunt? Fuerit ille non ſapientiſſimus. qui enim homo ſegne otium ſpecioſo ſtudiorum nomine velare aſſuetus, & in Academiis Bacchanalia ſæpius, quàm Quinquatrua celebrare doctus, repente Thales aut Bias evaderet? Pro ſtulto quidem à nemine unquam habitus eſt. Non latent autem ejuſmodi labes animorum, ſed rumore vulgi & fama publica inſigniuntur. Magnum ad veri falſive fidem in ſilentio famæ argumentum eſt: quæ tantum abeſt, ut manifeſta diſſimulet, ne ambigua quidem ingenii & morum interpretari veretur. Unde ergo repente, præter omnium opinionem, tanquam Ajax lorarius in ſcenam, furioſus parricida inducitur? Solet pro tribunali etiam de mente captis merito quæri, utrum perpetuum ſit malum, an abſcedat, & intervallo redeat: utrum eo temporis momento compos mentis fuerit, an impos, quo facinus admiſit, qui cauſſam dicit. Fingeres, hunc hominem aliquando inſaniſſe, quod nemo tamen antea quiſquam ſuſpicatus eſt: ad uxoris quidem cædem etiam argumentando deſcendit. Rationem ſceleris exponit, antequam faceret. Occidam te, inquit, ne, ſi mihi in hac concertatione aliquid accidat, incomitatus moriar: ægre faciam illis, qui inter nos diſſidium volunt: ne decedam de poſſeſſione mihi debita, efficiam, ne ſit, quod poſſideri queat: ne alius meos amores invadat, mea opera nihil erit, quod ametur. Nemo furioſus de eo, quod facturus eſt, tam ſolicite, tam ſedulo ratiocinatur: impetu ad facinus feruntur, quod quale ſit, nec ante intelligunt, nec poſtea æſtimant. Clementem vero judicem, cui reus, peracto ſcelere ipſe juſtiſſima ſententia ſe capitis damnans, conſervandus videri potuit. Magna ſcilicet vis eſt conſcientiæ, id eſt, divinæ legis in animo hominum peracto ſcelere loquentis. non enim uni populo, ſed humano

mano generi præceptum meminerat parricida, ut ſanguis interfecti hominis (quid proximâ neceſſitudine juncti?) ſanguine interfectoris expiaretur. Mihi non tam miſericordia in judice, quàm miſericordiæ ratio probanda videtur. Veniam dare miſeris, parcere infelicibus, liberare ſupplicio noxios, tum demum humanitas eſt, quando & in quantum publica juſtitiæ ratio non repugnat. Si omnino clementiæ laudem tantopere adamavit hic judex, una ipſi, qua eo tenderet, relinquebatur via, ut parricidii quidem pœnam reo donaret, homicidii irrogaret. Satis leniter gladio perit, qui culeo aut rota interire debuerat. Excitavit hæc oratio virum in illo conſeſſu & condendi & reddendi juris peritiſſimum, ut pro judice in hanc ſententiam diſſereret: Præclarè dicunt ſapiuntque, qui civilem hominum ſocietatem ſeveritate legum judiciorumque undique muniendam ſtatuunt; & atrocitati facinorum pœnæ magnitudinem adæquari oportere contendunt. Cædem quoque non niſi cæde penſari, cauſſas habent ingentes, cur decernant. Verum enimvero nullum eſt delicti genus, in quo non poſſint aliqua occurrere, quæ pœnæ modum & judicis æquitatem deſiderent. Tam eſt variis caſibus expoſita hominum vita, tam aſſiduis agitatur erroribus, vexatur perturbationibus, ut ſolitudo futura ſit & vaſtitas in civitate, niſi moderatio Principis prudenti factorum æſtimatione & diſcrimine diræ neceſſitatis incommodis medeatur. Peroratum eſt hactenus ut in parricidam: neque quiſquam abnuat, horrendi generis infortunium verſari in hoc caſu. Sed ſi unquam conſiderari meruerunt incitamenta & ſtimuli, quibus humanum pectus extra ſe rapi poteſt, hic profecto locus fuit diligentiæ judicis & æquanimitati. Fuerit ille non ſtultus. ſed, quo in tranſverſum actus eſt, impetum omni ſtultitia concitatiorem dixeris. Diuturno lentoque malorum auctu, veluti per gradus ad præcipitium propulſus eſt miſerrimus mortalium. Quàm inhumana ſoceri & ſocrus feritas fuerit, non opus eſt argumentis oſtendere, ſi unum illud cogites: filiæ adoleſcentulæ & pulcerrimæ, & tam triſti fato extinctæ parentes (ſi modo hoc nomine appellari debent) ſiccis oculis exequias iviſſe. Horum mores & domi, & domo expulſus pertulit: ſupervenientibus aliis

ex alia calamitatibus. Carendum erat uxore tanto ambitu expetita: nullum in judice, ſæpe interpellato, auxilium aut ſerum, ſpe totiens fruſtrata, oſtendebatur: defecerant familiares opes, partim apud ſocrum retentæ; & ille nuper divitiis inclytus, ſqualore & mœſtitia ad ſimilem fortunæ ſuæ habitum redactus, digito prætereuntium notabatur. Adverſus tot contumelias, angores, neceſſitates, quod potuit remedium juſtius minuſque invidioſum excogitare, quàm fugam cum uxore, divino humanoque jure ſibi debita, ſummamque per injuriam intercepta? Ab ultimo hoc conatu dejectus, fœdo præterea lictorum agmine circumventus inter vim & verbera, inter amittendi & habendi acerrimos metus, quid conſilii, quid animi retineret, & juvenis, & amans, & tot rerum verborumque acerbitatibus diu exagitatus, & tum maxime ira, zelotypia, deſperatione irritatus? una eſt, quæ præſentioribus ſtimulis in rabiem verſa, naturæ & rationi exitium affert ira: quid tot tantique motus in uno pectore, uno tempore, ſociatis irritamentis & turbamentis, non miſcerent, concuterent, everterent? Quoquo ſe verteret, offuſa undique caſuum ingentium caligo, horror, nox mera, cum mentem animi eripuiſſet, pro remediis exitium invenit: & in fatorum ultima, non auribus, oculis, ratione aut ſenſu jam competens præcipitat. Nullum eſt tam immotum adverſus humanos caſus clauſumque pectus, quin conſilium abfuiſſe facto, nec ratiocinantis verba, ſed delirantis exerrantem linguam ſonuiſſe intelligat, & quodam modo ſentiat. Hunc pro parricida judex damnaret? hunc illis afficeret ſuppliciis, quæ cogitatum meditatumque ſcelus manent? At vero immanis caſus novitas, nova prudentiæ & æquitatis conſilia non ſuadebat modo, ſed expoſtulabat. Igitur cui ex fatali conſternatione redeunti, &, ut ſic dixerim, reviviſcenti factum ſuum cœco impetu patratum, in ſupplicium ingens morteque atrocius verterat, hunc judex primo capitalis judicii horrore perfuſum mox ad id munus deſtinavit, cui ſuſtinendo etiam ex vinculis capitalium rerum conſilio deliberato perpetratarum damnatos ſolvi, apud pleroſque populos mos eſt. Nam de parricidii quidem pœna nihil attinet verba facere: cum Romanis etiam, unde

exem-

exempla ſeveritatis ejus petuntur, ea moderatio placuerit, ut quamvis manifeſti parricidii reum, culeo tamen non niſi confeſſum inſuerent. Addebantur alia hujus generis ad commendandam judicis prudentiam & æquitatem: pleriſque qui aderant cum aſſenſu hæc talia audientibus. quamquam unus & alter, miſerum quidem illum, ſed manifeſtæ & atrocis cædis reum ſola judicis clementia ſupplicium meritum evaſiſſe, cum illo, qui ante peroraverat, hactenus diſſerebant, ut judicem tamen eo nomine reprehendere non auderent.

Modeſto perinſignem ad cogitandum locum demonſtravit poſtea, cui ſe tanquam magiſtro & duci adjunxerat, de omni Æquitatis ratione, præſertim in judice ſumma poteſtate prædito. Sunt quidem, inquiebat, æquitatis ſpeciminibus & imitamentis pleniſſimæ Romani juris reliquiæ, partemque laudis haud poſtremam huic nomini debent: ſed qui ejus argumenti aliqua perſecuti ſunt (nominatim hos percurrebat) egregii operis gloriam reliquerunt vel tibi, vel qui alius palmam in medio poſitam auferre properaverit. Neque enim ſufficit, æquitatem judicis per obvia quædam locorum communium vocabula laudare, ſed partite & ſubtiliter ſcientiam æqui bonique eo conſtituere loco oportet, unde judici in promtu ſit animadvertere, quouſque bonis moderationis & clementiæ rationibus præter legum imperia auſcultare, & neceſſitatem ſive temperare, ſive evadere fas ſit. Primam & præcipuam hujus diſciplinæ partem Divinis tradita literis monumenta inſtruent: multum deinde omnis antiquitatis ſapientia erudietur, qui ex Poëtarum, Oratorum, Philoſophorum, Hiſtoricorum, Jureconſultorum ſcriptis abdita eruere, utilia ſeligere & componere didicerit. Reperiet etiam, nec dubito, inexplicabiles quoſdam nodos in hoc genere: quibus inſpiciendis non inutilem, diſſolvendis irritam collocari operam, vir prudens forte exiſtimaverit. Alte deſcendit hæc oratio in animum Modeſti, quantumque eſſet in tali argumento conſilii ac doctrinæ, ſignatis quaſi veſtigiis, apud memorem & cupidum rariorum literarum repræſentavit.

Igitur, cum in Muſeo, ubi jam omnes amare ejus indolem cœperant, humanitate colloquentium provocatus, ſermo-

nem ordiretur, non alia fuit ejus oratio, quàm quæ de interiore ſtudiorum liberalium ratione dubitaret, aut requireret. Cumque videam, inquit, inanibus vulgo vocibus jactari vana ſapientiæ ſimulacra, pæne adducor, ut exiſtimem, vere prudentis viri, & rempublicam litterarum ſubſidio recte geſturi, exempla non magis hodie reperiri, quàm Stoicorum olim, tot diſputationibus in umbra adornatum ſapientem, in luce atque oculis civitatis conſpicere licuit. Bona verba, Modeſte: excepit è Muſeo vir & natalium honeſtate, & omni liberali dignaque homine nobili doctrina percepta, maximis rebus tractandis aptiſſimus, niſi conſilio quodam altiore, ſe à republica gerenda removiſſet. Minuent & evellent tibi hanc opinionem commentarii Muſei noſtri, in quibus ad inſtituendam hujus temporis hiſtoriam, nihil rerum aut hominum præſtantium præteritur, quin incorrupta teſtium aut monumentorum fide in apparatum quendam cogatur. Dabo tibi è Germanis tuis tres viros, non ad ſui tantum, ſed omnis ævi exemplum & memoriam illuſtres. Sunt equidem, nec ignoro, & alii, in aulis Principum, in Curiis Rerumpublicarum, nulla bona arte ad ornandum, quem tenent, locum deſtituti. Sed quid attinet, omnes enumerare? Dicam de illis, quorum in ſinu & familiaritate, cum peregrinationibus operam darem, ea potui animadvertere & cognoſcere, quæ in inſtrumento Muſei noſtri, quo de cœperã loqui, pulcerrimũ locum ſuo merito obtinerent. Incipiam ſigna & notas ponere: non latebunt te nomina, quæ iſtis meritis debeant aſſignari. Princeps eſt nemini in Germania ſecundus auctoritate, multo rerum uſu, ſummâ prudentiâ, morum commodiſſimorum ſuavitate: &, ne laudum majorum parum videar meminiſſe, Germanicæ pacis ac tranquillitatis ſolicita, conſtanti, fidelique tutela. Jam bello omnia apud vos arderent, puto, quod mota iiſdem ominibus, quibus paulo ante, ſidera manifeſtiſſimis tempeſtatis luctuoſæ indiciis ſignificabant: niſi Deus hunc ſæculi ſui Neſtorem, hunc Quietis publicæ cuſtodem ac genium ſalutarem, ad providendum, ne quid reſpublica detrimenti caperet, auſpiciis altioribus, exemplo ſingulari excitaſſet. Apud tanti Herois latus vidi verſari miniſtrum, ad ſuſtinendas maximarum rerum curas omnibus

omnibus ingenii animique dotibus inſtructiſſimum. Porrecta in abditos negotiorum receſſus ſollertia, expeditum in impeditis judicium, proviſio extemporalis futuri; conſultatio inter prærupta & mollia, recte deſtinata, mature librata, cordate expromta: cuncta hæc, inquam, non communibus enuntianda vocabulis nomina, literis exquiſitis & interioribus, tanquam ſpiritu & anima ad felicitatem & decus noſtræ ætatis temperantur. In hujus vita atque actibus, Modeſte, melius quàm in ullis libris ac ſermonibus eruditorum, ſemel ac penitus licet perſpicere, quænam ſit illa civilis prudentia, quam cùm veteres omnibus & hominibus & negotiis moderari dixerunt, eadem opera de ingenii & doctrinæ tali gravitate, qualem tibi demonſtro, cogitarunt. Animus ſine faſtu alte ſitus, magnitudinem ſuam candore, naturæ bonitate tuetur: omnibuſque tricis aulicis, & diſſidendi concertandique libidine ſuperior, facile nubeculas minutiarum & argutiarum, quæ nonnullis pro ſapientia ſunt, vel illuſtrat, vel diſſipat. Quicquid præclari in omnis ſapientiæ monumentis occurrit, ſtatim ſcholam & umbram exuit, ſtatim uſui & decori publico ſacrum eſt, ubi in hujus viri ſtudia incidit, aut ſub ejus manum ſuccedit. Sæpe animadverti, viros varia eruditione celebres, quibus impenſe favet, obſtupeſcere illis ſermonibus, qui vel ignota patefacerent, vel notis exploratiſque novam & civilem formam darent; ipſumque animum vigore quodam & lætioris genii luce perfunderent. Adeo & doctiores, & ad ſua quiſque munia alacriores ab eo diſcedebant. Neque enim privatim ſui diſſimilis eſſe poteſt, qui in publico ſui Principis ampliſſimoque patriæ negotio peritorum actiones accurata norma dirigit; induſtriorum labores certis diſponit partibus, idoneis deſcribit limitibus; doctorum placita ad præſentes vitæ uſus, prudentum ſententias ad ſalutis publicæ modulos exigit. Hunc non ingenium modo ſuum, ut nonnemo veterum loqui inſtituit, ſed naturam univerſam, ſed ſcientiam omnem, in promtu habere dixeris. Magna ſunt, quæ ſuſtinet, ſed majoribus par eſt. Imo in pauciſſimis illis, quorum vix ſingulis ætatibus, ſingulis populis unum contingere videmus, ingeniis, hoc reponi debere, nunquam dubitavi: cum

ſic opera ejus conſiliaque, & quicquid ſupra fortunam eſt, ſuſpexi, ut plerique ſplendorem generis, muneris dignitatem, formæ auctoritatem mirabantur. Nulla erat mora, quin agnoſceret ex templo his indiciis, hilarique animo & ore prædicaret Modeſtus, ſummi Principis ſummum miniſtrum, Eminentiſſimi Electoris Moguntini Boineburgium. Hic eſt ille, ajebat, quem non viſum equidem ſed fama hactenus illuſtrisſimi nominis cognitum, toto animo venerandum, omnique ſtudio intelligendum propoſui. quo in genere, viam diſciplinæ nunc tam exacto ſermone ſignatam, libenter meritoque perſequar: atque adeo ad reliqua etiam duo exempla, quorum ſpes facta eſt, cognoſcenda me comparabo. Tum ille, qui Modeſti ſermone ſuam interjungi orationem voluerat, Forſtneri nomen ſine ambagibus profeſſus, hunc ego, inquit, virum inter rariſſima ejus generis, quod quærimus, exempla nominandum ſemper judicavi. Eruditio ejus, mira judicii felicitate, quantum à ſterilitate, tantum ab oſtentatione ſejuncta, habilem ad civiles uſus & promtam dexteritatem in media publicarum curarum penetralia, nunquam intempeſtive, nunquam invalide aut ineleganter profert. Senſus viri, ad recondita acer; ad cotidiana, communis. Vitæ, cultus, ſermonis, conſuetudinis ea moderatio, quæ niſi T. Pomponii Attici elegantiæ comparetur, æſtimatione parum æqua penſabitur. Cumque ſummos apud Principes honorum opumque ampliſſimas ſpes occaſio non ſemel offerret, maluit, quod eſt ſapientiæ ultimum, ex fortuna modum retinere; & Principis ſui felicitati, quàm ſuis incrementis operam dare. Quo factum eſt, ut præter morem & fas ſæculi, & ſentire de præcipuis rebus, quæ vellet, & quæ ſentiebat, expromere poſſet. Novum & decorum ingenuæ libertatis genus: quod & illi arguere verentur, qui quædam indicta mallent. De iis, quæ ad Tacitum retulit, loquor. Obſervaſti ne, Modeſte, quàm feliciter in iis etiam, quæ adoleſcentior ſcripſit, nova cum antiquis contulerit, quantum ille ab obſcura vetuſtate petitæ lucis in abſtruſam novitatem intulerit? ceteros, quid Tacitus ſuo fuiſſet ſæculo; hunc, quid omnibus eſſet ſæculis, ſtatim pervidiſſe credideris. Nam quæ ab undecimo Annalium libro perſecu-

ſecutus eſt, provectioris jam multoque rerum uſu eruditæ ætatis exquiſita ſpecimina ſunt.. De quibus nemo, niſi peritia interiore rerum hominumque Europæ imbutus, idoneum tulerit judicium. Ingeniorum ad lucem & res gerendas natorum hæc palæſtra eſt: in quam parum feliciter deſcendit vir eruditus ille quidem multis literis, & Forſtnero amicus, ſed bibliothecarum umbraculis aptior, quando Forſtnerum & Gruterum plus ad Tacitum eruditionis, quàm decet, attuliſſe in cenſura librorum civilium, arbitratus eſt. Quid omnino Gruteri diffuſæ & ad locos communes implendos factæ diſſertationes, cum politulis Forſtneri & limatulis animadverſionibus commune habent? Alteræ quid in eruditionis apparatu copioſum; alteræ quid in uſu eruditionis electum ſit ac civile, oſtendunt. Id debebat vir candidus, ſi ſatis indolem vel Taciti vel Forſtneri cepiſſet, dicere: unum eſſe Forſtnerum, qui ſuper ſapientiam experientiamque, etiam id genus eruditionis ad graviſſimum ſcriptorem attulerit, quod & decere & valere ſolum hic debeat poſſitque. Id quod amplius apparebit iis, qui magni æſtimatas & ineditas Boccalini in Tacitum curas contendere inſtituerit cum Forſtnerianis. Illæ ſane proficiſci videbuntur ab homine acuto & im̃enſum curioſo, ſed per errorem aut abuſum judicii nonnunquam ad declinanda elabente: harũ auctor recto tramite, gradu indeflexo, per veſtigia magni cordatiq; conſilii, ad reipublicæ intima quæque graſſatur. Abunde id declarant etiam epiſtolæ ſingularis itidem exempli de rebus maximis ſcriptæ: quarum aliquæ olim non inconſulto auctore in publicum exierunt: qui autem noviſſimas, nulla reverentia tanti nominis, nullo juris humani reſpectu temere vulgavit, is non eo tantum facinore ſe obſtrinxit, quod ipſæ Forſtneri literæ ad Bœclerum ſcriptæ editæque demonſtrant, ſed effecit inſuper, ut huiuſmodi literarum commercii fructu, in rebus ad rempublicam pertinentibus, amici carere hactenus cogantur. Annuit huic orationi, qui ad Muſeum nuper advectus, ex itinere Forſtnerum ſalutaverat, homo ad demerendam & ambiendam magnorum virorum amicitiam, quodammodo genitus. O prandium, aiebat, ſupra omnes Platonis cœnas, lautum delicatumque, quo tot electæ comitatis, prudentiæ, doctrinæ ſpecimina degu-

guſta-

guſtare licuit! Ruſticabatur in Dambenoiano ſuo optimus dulciſſimuſque ſenex, & ab influentibus aulæ negotiis perbreves neque eas bona fide continentes inducias impetraverat: cum improviſus ſalutator manum ejus oſculo contigi, literaſque Fratris, non ſanguinis magis quàm laudis memoratæ civiliumque artium germanitate conjunctiſſimi reverenter tradidi. Quibus ille perlectis, humaniſſime me complexus, plenam requirendi, quæ ex eo audire deſideraveram, audaciam fecit. Quos in Gallia, quos in Italia, viros adire, qua ope illis inſinuari, quid à ſingulis optare aut ſperare deberem, memoriter deſignavit. Quæ præſidia noſcendæ reipublicæ Chriſtianæ univerſæ, quibus extarent aut laterent locis, quæ rebus patriis apud exteros ſubſidia comparare fas eſſet, quantæ ſuavitatis genio, quanta judicii gravitate ediſſeruit? Cum de arte rem faciendi publice, deque augendis civitatum copiis & cuſtodiendis, ſermo incidiſſet, quàm ille in numerato habuit omnium hodie gentium inventa, artes, adminicula, non apertis modo viribus, ſed ex parvo ad magnum profectura? De ſcriptoribus ſuperioris & hujus ſæculi, quàm rara, & pulcra, ipſiſque qui familiari uſu aut lectione illos noverant inobſervata, ex ampliſſimo memoriæ ac ſapientiæ penu perliberaliter & benigne depromebat? omnis ejus ſermo quibuſdam civilis uſus notis inſignis, mihi oculum quendam mentis acuere, rerumque veluti præſentem formam commonſtrare videbatur. in menſa quoque non tam elegantiſſima munditiès, quàm plena ſeriis diſciplinis colloquia, & mixtiſſima virtutis indole familiaritas, me juverunt: eminente, inter lectiſſimorum trium filiorum obſequia, & ſubſidiariæ comitatis officia patriæ auctoritatis decore. Sed felicitatem ejus diei, aliis debeo monumentis conſecrare, quàm brevi iſta narratione, cujus interjectu orationem veſtram differri hactenus, ne ægre feratis, oro quæſoque. Revertebatur ergo ad tertium illuſtris & ſpectatæ in republica tractanda eruditionis ſpecimen oratio. ubi auctor ſuſcepti ejus ſermonis, neſcio, inquit, an velit occultari ſuum nomen, quem nunc deſignabo; ſi modo latere tanta virtus poteſt in conſpicuo poſita etiam ſine titulis monumento. Vidi aulam Principis, ſanctiſſimis moribus, & probatiſſimis agendi imperii rationibus inſtitutam, ut

Xeno-

Xenophontis Cyrum non ad fidem ſcilicet hiſtoriæ, ſed ad imaginem boni Principatus ſcriptum, aut Plinii Traianum, oratorio potius quàm hiſtorico opere adornatum, memorari & extolli cenſerem, ſi alieno iſta notitia teſtimonio niteretur. Hic inter proſpera ſua numerat, quem nactus eſt, conſiliorum operumque miniſtrum, quo meliorem nemo Principum optaverit. Summi, & Heroibus tantum conceſſi inſtituti eſt, ex rebus parvis induſtria & prudentia magnas facere. Ejus artis ſcientiſſimus ea Principi ſuo officia præſtat, quæ hactenus, puto, in illis terris exemplo carent. Cumque laborum tolerantiſſimus Princeps, haud mollibus imperiis tempora & negotia ſingulis miniſtrorum partiatur, unus ille non raro plurium vicé ſuſtinet ſuppletque: reſpondendo, conſultando, voce, calamo promtus ac indefeſſus; neq; extemporali facilitate de gravitate loci, aut ſubtilitate curarũ quicquã diminuere ſolitus. In jure dicundo vel præſentis Principis, vel in com̃uni pluribus tribunali abſentium Principũ auctoritaté religione & doctrina pulcre tuetur. Dicam vobis rarum, & vulgaribus ingeniis inacceſſum ſapientiæ genus. Solicite accuratus eſt in cognoſcendis & definiendis cauſis Princeps: neque ſatis habet, audiſſe aliquam legem, aut nomina ac ſententias eorum, qui in ſimili cauſa pronuntiarunt, percepiſſe: quid judicandum omnino ex rationis bene informatæ præſcripto ſit, declaratum oſtenſumque dari poſtulat. Hic vero ille, quem dixi, optimi Principis præſtantiſſimus amicus, jure conſultum agit non ex eorũ genere, qui ſapienter aliis reperta quædam pro modulo ſuarum anguſtiarum annumerantes, in cetera ſuperbiam pro ſapientia habent: ſed ex ipſis fontibus omnem illam nobilioris philoſophiæ ratioñe ita probe ſubductã expenſamque promit, ſicut ii ſolent, qui leges condere, aut condentibus ſuadere, aut nondum inventa conſtituere aggreſſi, intelligendi prius quàm decernendi copiam ſibi aliiſque præbent. Nihil ſanctius illo conſilio, in quo non valet juris auctoritas, niſi valuerit ante juris ratio. Hæc enim Deo debetur, & æterna eſt: illa hominum eſt, diviná quidem vice, ſed non recte, niſi ad hujus normam fungentium. illam imperiti poſſunt jactare: hanc explicare, & ſuis momentis conſerere, ſapientis eſt. Non mirum ergo, ſi exemplum etiam abſentis Principis in par-

tem rationis venit diverſa apud tribunalia. In quibus boni etiam viri haud raro conſuetudini obſequuntur, niſi ſit, qui excuſſis & in lucem datis omnibus ad recte ſentiendum judicandumque præſidiis, ad altas illas & nobili officio dignas curas, judicum animos erigat & traducat. Non autem in hoc tantum genere præcellit vir ille vere civiliter doctus, ſed omnium rerum artiumque ad reipublicæ uſus attemperandarum mirus eſt architectus atque machinator. Cum enim ad ſecreta ſcientiarum, quatenus & uni & negotiorum conficientiſſimo homini fas eſt, penetraverit, quæ illi laus cum paucis aliis communis eſt, proprio quodam ingenii bono, eruditorum ſingulis, quid in eruditione ad uſus vitæ neceſſarios melius, quid ad ſpeciem pulcrius ſit, demonſtrare poteſt & ſolet. Talis enim & tantus in rempublicam labor, aſſiduitas, contentio, non extinguit familiaritatem cum Muſis tam ſeverioribus, quàm manſuetioribus, ad quas ſe decora ſedulitate ſæpius refert. Quibus etiam debet, ut arbitror, quietæ illud induſtriæ ſpecimen in primis elegans: quanquam naturæ excellentis quodam habitu eximie temperatum id exiſtimes informatumque. Non potuit obſcurum eſſe deſignari hac oratione Principum decus Erneſtum Saxonicũ & præcipuum è generoſis Miniſtris V. L. S. quem & in Muſeo plerique noverant, & Modeſtus, ſuffragatione ejus Muſei conſeſſoribus traditus, eximia caritate diligebat. Quin & de ingenii ejus monumentis aliqua attulerat, in iis deſcriptionem aulæ & Principis, quem dixi, quæ Bibliothecæ ſecretioris inſtrumento acceſſerant.

Magnus in Muſeo modus eſt eximiorum ſcriptorum: quæ auctores vel nunquam vel nondum vulgari cupientes, partem ut xenia illuc miſerunt, partem apud fidas manus in uſum poſteritatis deponere aut cenſuræ collegii ſubjicere conſueverunt. Diſtinguuntur argumento, lingua, nationibus. Multa ad rempublicam, ejuſque ſtatum pertinent: alia exquiſitiores literas & myſteria reconditiorum doctrinarum ſpectant. In quibus nomen trium, qui hactenus in argumentum ſermonis venerant, ſuis alieniſque indiciis ac operibus bonam partem facit. Modeſtus tam lætam ſibi ſurrexiſſe eam lucem, plurimum gaviſus, jam ſcienter & erudite venerari videbatur,

quibus

quibus hactenus vel occulto quodam inſtinctu, vel demonſtrato quod ambiverat patrocinio, ſua obſequia & amores dicaverat, auſpicata & illuſtria ad omne laudum & ſæculi decus nomina. Et contraxerat jam cum V. L. S. fratre in itinere Britannico amicitiam, communibus ſtudiis & propoſitis egregiè fundatam: quam ſibi tum ad alia multa egregia, tum ad hoc ipſum inſtitutum profuturam non dubitabat.

Et forte ita acciderat, ut Muſei conſortibus, memorabilium rerum cupidis, exhibere poſſet perſcriptam ex ea aula, & ab ea manu, rem in magnis & raris hujus ſæculi caſibus ponendam. Ecce, inquiebat, viri generoſi & ſtrenui, non ſteriles amicorum literas, aut inanibus verborum lenociniis refertas; ſed quales vobis probare queant, earum rerum, quæ vel exemplo vel ſcientia juvare lectorem ſolent, nuntias ac interpretes. Simul his, non ſua oratione exequebatur argumentum epiſtolarum, ſed ipſa verba recitabat in hanc ſententiam: *Johannes Comes Witgenſtenius clarum bello paceque nomen adeptus eſt. Obiit ante annos tres, Coloniæ ad Sprevam, ubi Sereniſſimi Electoris Brandeburgici provinciis ſummo cum imperio praeerat, dum ille in Polonia & Dania bellum gereret. Huic Comiti plures ex una uxore liberi fuerunt; viginti quatuor, ni fallor, eorumque multi ſuperſtites ſunt utriuſque ſexus. Filius natu maximus Comitatum Honſteinenſem obtinet, habitatque in arce Lora, ad Thuringiæ fines haud procul Hercynia ſylva ſita. Apud hunc, ut fieri ſolet, innuptæ ſorores habentur. Inter eas fuit Eliſabetha Carlota annos ſeptendecim nata, virgo omnibus virtutibus, quæ ſexum ejus & genus decerent, ornatiſſima, neque forma indecora: Fratri uxorique ejus, totique familiæ apprime chara. Admirabile imprimis erat pietatis & religionis in illa ſtudium, quo ad ſacras meditationes ultra juvenilis ætatis morem ferebatur; indeque fiebat, ut etſi nihil ex officiis amicaque converſatione, qua ſuos coleret, remittere ſoleret, neque ei quidquam ad commodam honeſtamque vitam deeſſet, nihilominus tamen quotidianis fere ſermonibus, deſiderium æternæ felicitatis, ad quam per beatam mortem tranſimus Chriſtiani, teſtaretur. Tali cum eſſet animo, ſed firma valetudine, nulla ægritudine, aut atræ bilis intemperie agitata, qua multi ad fanatica*

dicta & facta moventur, accidit, ut menſe Januario hujus anni Fratrem, nihil tale expectantem, in cubiculo ſuo inviſeret, placidiſque verbis, nec ſine lacrymis, de obitu ſuo dicere ordiretur, proxime eum inſtare dictitans. neque ſe propinqui fati contemplatione contriſtari ajebat: nihil enim homini deſiderabilius, meliuſque eſſe: ſed commiſeratione humanæ ſortis, & amoris, quo ſuos complecteretur, motam, rogare fratrem, ut quoniam breve ſibi, imo omnibus vitæ tempus eſſet, eo impenſius de duratura felicitate porro cogitaret, itaque viveret, ut futuræ potius, quàm præſentis vitæ rationem habere videretur. Addidit, ſe quadam ſcripto comprehendiſſe, quod ſimul obſignatum porrexit; id poſtquam fato functa eſſet, ut legeret, obnixe oravit (continebat autem, ut poſtmodum apparuit, tria ad Fratrem monita, corporis animæque ſalutem ſpectantia) ceterum ſe optare, ut in cœleſtis illius vitæ, quam unicè deſideraret, conſortio quamprimum conjungerentur. Mœſtus ad hæc frater, turbatuſque inopinatis cariſſimæ Sororis ſermonibus, revocare eam tentabat ab ejuſmodi cogitationibus, bono lætoque animo eſſe jubens, conquiſitis qua poterat, ad perſuadendum argumentis. Verum illa in ſententia perſtitit, nihil tamen mutato cultu, aut neglecta comitate, reliquaque vitæ more. Vxori tamen fratris, ſororibuſq; ſuis & familiaribus fere omnibus, ſingillatim valedicens omnibus confirmavit, ſe haud diu ſuperfuturam, ideo illos illaſve Deo commendare, tum veniam orare, ſi quid feciſſet, quo offendi aliquis potuiſſet. Aderant per eos dies Socer Comitis & Socrus, aliiq; è neceſſariis, cum quibus humaniſſime converſabatur virgo, nihil palam dicens facienſve, quod ad illam mortis meditationem pertineret: obſervantibus tamen paulo accuratius, plus ſolito cogitabunda videbatur, & tacita. Quintus decimus dies erat poſt primum illud cum Fratre de morte ſua colloquium, abibantque mane, quos diximus, neceſſarii Comitis, cum virgo ad ſalutandos illos mane ſurgens, oblata ſibi per quietem dixit, quibus in ea quam de obitu ſuo hactenus habuiſſet opinione, mirifice confirmaretur. Viſam enim ſibi in ſomnis flagrare arcem quandam, maternæ olim habitationi deſtinatam, neque reſtingui à ſe, quamvis laboraret, incendium potuiſſe: inter illam vero conſternationem atq; moleſtiam, ſubito ſe in egregium quoddam templum eſſe delatam, eoque affectam gaudio,

ut

ut prioris metus prorſus fuerit oblita. Suggerebant amici aliam interpretationem, mutationemque conditionis, cœlibis nempe vitæ, portendi, aiebant; ſed eludere hac illa, ſuaque tenax ſententiæ ſcire ſe dixit, quid ſibi ſignificaretur. Poſtquam inter hæc diſceſſere hoſpites, eaque nocte nivibus, quæ hyeme præterita rariſſimæ fuerunt, contecta eſſet humus, Comes, ut tempus falleret, an ut Sororem à triſti illa meditatione abſtraheret, traha vehi voluit, ad quod delectamenti genus cum & ipſa invitata deſcenderet, ſtaretque in impluvio juxta fratrem, uxorem, alioſque è ſuis, dum ſedem quiſque circumſpicit aut capit; ecce equus traham vecturus, neque malus neque à quoquam incitatus, ſubito erectis calcibus ita adſtantem à latere virginem in cervice percuſſit, ut ſtatim moribunda in terram procideret, obiretque extemplo nullum verbum prolocuta. Videant, quibus in fabulis ſunt, quæ de vita hanc noſtram ſecutura Deus revelavit, quàm illuſtri exemplo refutentur, agnoſcantque ipſius Dei vocem, & divinatricem animæ divinitus motæ vim, qua virgo eximiæ pietatis fata ſua prævidit, præſenſit, atque prædixit. In eo tamen non vulgariter felix, quod etſi inſolito, minime tamen acerbo mortis genere, unico momento dolores angoreſque morientium ſuperavit, ſuique voti, quod ſemper in animo habebat, eo tamen temporis articulo compos facta eſt, cum ſe ad ludos atque recreationem pararet.

Hæc cum eſſent lecta, nec ſine admiratione ſingularis caſus audita, ſtatim ex Muſeo ad Theologum quendam mittebantur: cui præ manibus erat diſputatio de Divinatione; in qua totius antiquitatis ethnicæ & Chriſtianæ ſententias examinare, conducere exempli raritate notabilia, partiri quæſtiones, finire limites, coërcere evagationes deſtinaverat. Quidam autem ex confeſſoribus, ſubito impetu effuſa veluti funebri laudatione memoriam virginis in hunc fere modum honeſtabat.

BEATA ANIMA
INTER MORTALES ARTVS
NIL MORTALE SPIRANS,
COELI IN TERRIS CONSCIA,
DIVINATRIX SINE SVPERSTITIONE,
FATILOQVA SINE FVRORE,
MEDITATRIX FINIS SINE PLATONE,
ANTE OBITVM BEATA CONTRA SOLONEM,
QVÆ TE VIS RAPIT BLANDA,
FORTIS, SANCTA,
E CADVCIS AD ÆTERNA,
E PEREGRINIS AD COGNATA,
VIRGINEM TERRIS,
SPONSAM CÆLO?
QVO TIBI CVRA TVORVM ABSCESSIT
QVOS TAM CVPIDE DESERIS?
NON DESERVNTVR, QVOS SEQVERIS:
NON DESERVNTVR, QVOS ANTECEDIS:
SEQVERIS BEATA BEATOS,
ANTECEDIS VICTRIX TRIVMPHATVROS:
INIS VIAM STRENVE,
PRÆIS VIAM, MONSTRAS VIAM,
COMITER, BENIGNE, AMICE.
ERVNT TECVM, VIVENT TECVM,
SI NON SPERNENT MONITA,
QVÆ CECINISTI PIA SOROR,
VATES IMMORTALITATIS,
CASTA DEI NVNTIA.

BEATA ANIMA,
QVÆ TE VIS SVBITA,
ATROX, HORRIDA
EXPELLIT PVLCRO
CORPORIS DOMICILIO?

NON

NON EST VIS, QVÆ ME CONTINGAT,
NON EST VIS, QVÆ ME COMPELLAT,
AVT EXPELLAT, AVT PROFLIGET,
EVOLARE CVPIENTI,
IMO JAM JAM EVOLANTI,
VEL RVINA OSTIVM EST.

BEATA ANIMA,
AMATRIX PACIS ET QVIETIS,
NEMINI MOLESTA AVT INFESTA,
QVIS TE FVROR EQVI FEROCIS,
QVÆ PLAGA
QVOD SÆVVM VVLNVS
DOMI TVÆ INQVIETAT?
QVIES MIHI PARTA ERAT,
PACEM POSSIDEBAM LÆTA,
PACEM NVNQVAM FINIENDAM,
QVIETEM NON INQVIETANDAM,
NIL NISI DOMICILIUM MVTANTI
NON INTERFVIT QVA OPE MVTARETVR,
DVM MODO CITO ET STRENVE MVTARETVR,
MORBI TELO AVT ANIMALIS CALCE
CORRVAT, QVOD RVITVRVM EST,
NIL ATTINET AD PACEM,
NIL ATTINET AD QVIETEM,
QVÆ RVERE NEQVIT.

BEATA ANIMA.
QVÆ DEVM AMASTI SEMPER,
QVAM DEVS SEMPER AMAVIT,
QVOD TE FATVM,
QVÆ FORTVNA
IMPLACIDO EXITV
FVNGI VOLVIT?

FATVM MIHI ET FORTVNA
NON EST, NISI DEI VOLVNTAS,
DEI SEMPER PLACIDI,
SEMPER MIHI PROPITII.
AB HOC NIHIL IMPLACIDVM
VEL SENSI, VEL TIMVI.
BENE NON MINVS
EXIT VINCVLIS,
QVI RVPTIS QVAM QVI
SOLVTIS EXIT.
FATVM OPTABILE,
FORTVNA SECVNDA EST,
EVOCANTI IMPERATORI SVO,
CITRA DVBITATIONEM DE IMPERII
ORDINE ET MODO,
QVIETO OBSEQVIO PARVISSE.

BEATA ANIMA.

CORPORE MORTALI LIBERA,
CORPORI IMMORTALI IVGANDA,
VALE ET SALVE, VT VOLVISTI.
NOMEN TVVM, MEMORIA VIRTVTVM,
SPLENDORE GENERIS,
HONORE NECESSITVDINVM
OMNI ÆVO CELEBRABITVR.
PROPRIA TAMEN CLARITVDINE
PRÆFVLGEBIT
VIRGO WITGENSTENIA
FVNERIS SVI PRÆSAGIO,
BEATITVDINIS PRÆGVSTV,
VTRIVSQVE PRÆCONIO EXEMPLOQVE
VENERANDA.

ITERVM

ITERUM VALE, ITERUM SALVE,
INTER HEROIDAS
ILLUSTRISSIMA,
INTER HOMINES DIVINA,
INTER FELICES BEATA.

De hoc epitaphio, non eodem modo ſentiebant conſeſſores Muſei. Erat, qui hoc genus ſcripturæ, quaſi ad veterum inſcriptionum exemplar effictum, prorſus damnaret. Ignavorum id inventum eſſe, ajebat: qui cum pangere " carmen deſperarent, genus carminis commentitium, veluti " partum aliunde mutuatum ſupponerent. Hinc illam luxu- " riem, quam genius & lex poëmatis coërcere poterat, prono " alveo ferri, neque adeo finem verborum, nec modum eſſe. " Veterum quoque imitationem jactantius quàm verius præ- " ſcribi. Si vaſtum illud inſcriptionum corpus, quod Smetio, " Scaligero, Grutero tantum debet, & paulo poſt Reineſio " amplificatori & interpreti debebit, excutiatur; nullum ta- " lis licentiæ exemplum repertum iri. Modeſtius ibi rem " geri; ſignari rerum memoriam; adjici nonnunquam ſenten- " tias negotiis ultro inſitas aut familiares; emicare in loco " ſapientiæ lumina: nunquam animadverti illam acuminum, " veluti ex ſcholis declamatorum ſententioſe ineptientium, " prodigentiam. Imitationis eruditæ decus non concludi ca- " ptu vulgi: ingenio ſingulari & judicio, cujus vel comes " eſt vel proles moderatio & temperata decori finibus venu- " ſtas peropus eſſe. Quo longius ab exemplo & licentius " diſcedatur, eo ad monſtroſas formas accedi propius. Atque " adeo jam hac evagandi importunitate factum eſſe, ut pa- " negyricos, ſi diis placet, aut neſcio quod mixtum ex hiſto- " ria & laudatione chaos, in hunc habitum adornare, mo- " menta & apices negotiorum talibus metiri modulis non- " nulli artem fecerint. Callide illos quidem, quod ſani co- " loris oratione aut facundia nunquam exprimere queant, " tam inopinabili ſermonis habitu induiſſe; ut ſicut nonnul- " lis veſtium generibus corporis vitia artificioſe diſſimulan- " tur, ita ſub novitatis improviſæ larva ſcriptioni inducta, "

„ ſcriptoris infantia convelaretur. Sicuti non fruſtra hæc dici, neque cacozeliam vanitatis manifeſtam ferri inter eruditos poſſe, in aperto erat: ita non defuit, qui regi oportere decoris doctrinæ & modeſtiæ artibus, non tolli, hoc imitan-
„ darum inſcriptionum ſtudium, contendebat. Movet me, in-
„ quiebat, magnorum virorum auctoritas: movet non levis
„ nec una ratio. Et ſepulcrorum quidem lapidibus, aut tabulis
„ mortuorum elogia complectentibus, cur denegare aliquis
„ hoc genus memoriæ velit, non intelligo. Præſertim in ca-
„ ſibus & funeribus noſtri ſæculi. Nam antiquis, poſt tot
„ ſæcula hoc ritu parentare, vel ad excitationem ingenii,
„ vel ad condimenta majoris operis ac diverticula, quæ ne-
„ mo moroſe abnuat, pertinuerit. Abſit modo affectatio fri-
„ gida ac puerilis, quæ virorum doctorum perſonas nunquam
„ decet. Sane niſi genius inſit, cuicunque demum argumen-
„ to aptatis ejusmodi inſcriptionibus, non gratiam modo,
„ ſed omnem æſtimationem perdunt. Tantum abeſt, ut cre-
„ dam, bonæ inſcriptionis auctorem eſſe poſſe, qui poëticæ
„ peritiam deſperat. Quo occultior, minusque deſcripta le-
„ gibus eſt hæc ratio, eo magis ingenium & indolem ſuo
„ jure decoram referre debet: neque numeroſa non eſt, li-
„ cet carminum vinculis exemta. Gravitatis intimæ ſine arte
„ pondera, arti æmula; ſimplicitas cultu validior, forma ſper-
„ ni indigna, ſpiritus expediti vigor, vel trahunt, vel tenent
„ animum. Ipſe locus, quem inter Poëtæ & Oratoris con-
„ finia occupat, medius, & aliquid de utroque mutuata af-
„ finitas, non cujusvis eſſe hominis id opus oſtendunt. De-
„ nique, quem ſcio non infeliciter poëtari, aut dicendi pe-
„ ritum eſſe, cur ſuſpectum de aſtu faciam, ſi bonam inſcri-
„ ptionem pangit? neque ab eorum cauſa ſegregem, qui
„ aliunde non immeritam in ſe ſuſpicionem concitarunt? niſi
„ quod tibi aſtutiam audeo exprobrare, ſed innoxiam (ad eum
„ ſermo vertebatur, qui modo miraculum virginis extem-
„ porali epitaphio celebraverat) quando nunc pæne humi re-
„ pere, nunc aſſurgere ſplendidius; modo Hildeberti cano-
„ ram pietatem, modo Hieronymi grandem ſpiritum, æmu-
„ lari; jam tempora, jam genios miſcere; nec agnoſci deni-
que

que prorſus, nec ignorari penitus velle videbare. Tu vero, « reſpondebat ille, longe melius de fortuita mea garrulitate ſentis, quàm ego: qui nec ex tempore, vix à cura, commendari mea poſſe ſcio; & nihil aliud à vobis, quàm veniam colloquiis familiaribus familiarem ſperare, in animum induxi. Modeſtus autem in lucro deputabat, per occaſionem literarum in conſeſſu prolatarum, ea audiviſſe,quibus doctiorem ſe fieri perſentiſceret. Accedebat ſecreta & familiaris diſciplina ejus, cui ſe Modeſtus applicuerat. Is diverſos ætatum genios in veterum inſcriptionibus, is de Laurentii Pignorii, Jacobi Saliani, Emanuelis Theſauri, Octavii Ferrarii Inſcriptionibus exquiſita judicia, non modeſtia minore quàm eruditione promebat.

Et quandoquidem Modeſto ſaluberrima amatiſſimi loci otia relinquenda erant, non exigui pretii duxit, quod impetraverat hoſpitale donum. Deſcribenda enim non unius è Muſeo opuſcula, ſuo forte tempore, ſed non ſtatim exitura in publicum, acceperat. Quorum indicem amico in hunc modum conſignavit. Ex iis, quæ ad rempublicam pertinent iſta: REGINA ABDICANS. Continebat ille liber, primo varias variorum, ipſiusque Reginæ, de negotio inopinabili epiſtolas: deinde cenſuram curioſorum & temerariorum judiciorum; cauſarumque unde proceſſerunt: denique apologiam & deſcriptionem animi extra regnum regii. LEOPOLDUS CÆSAR. Quo volumine ante omnia deſignabantur, rerum animorumque per Interregnum habitus; variaque domi foriſque conſilia, ſpes, metuſque: ſubinde Electorum expedita ex impeditis gravitas, conſtantia, ſolertia, par tempori, hominibus, negotiis, merita laude colebatur: hinc ad Electi Imperatoris virtutum proceſſu facto, Domus jam diu Auguſtæ à Rodulpho ad hoc temporis, neceſſitudo cum Republica demonſtrabatur: ſequebatur votum Imperatoris; & ad extremum Acclamatio civis Germani. MINISTER REGIUS. Sub exemplo —— —— ita deſcriptus, ut magna & ſingularia viri conſilia & opera, vulgo incognita, eadem opera referantur. MEMORIÆ AULICÆ. Duplici ſcriptura; Res veras, ſub involucro Poëticorum nominum, tum ad jo-

cos & ludicra, tum ad ſeria ſpectantes; & privato ſchemate, reipublicæ immixtas, complexæ. GERMANIA CONCORS. Ubi de impedimentis concordiæ indomitis, tum ſuperabilibus; de cauſis male cohærentis concordiæ & diſcordiæ erumpentis; de remediis, quæ optari, quæ ſperari, quæ nec ſperari poſſunt, agitur: ex annalibus patriis, & ſæculorum ſerie. Ad literas pertinebant iſta: PANEGYRISTES. Ubi de uſu & abuſu panegyricorum agebatur: genus orationis epidicticæ juxta diverſos ſingulorum ſæculorum genios ſignabatur: Germanorum natio adverſus conviciatorem, qui in Octavii Ferrarii epiſtolis citra diſcrimen pronuntiavit, vindicabatur, &, vel unum Freinshemii Panegyricum omnes exterorum conatus longo poſt ſe intervallo reliquiſſe, oſtendebatur. DECLAMATOR ACADEMICUS; ſive de priſca declamandi conſuetudine in Academiis inſtaurata; tum de more argumenta in perſonas ſpargendi, quo maximi viri adoleſcentum ætatem excitarunt, & deſiderio indulſerunt. Qua occaſione etiam reſpondetur nonnemini, qui ſtoico ſupercilio & cynica verborum intemperie, rem ſibi quondam ſtrenue factitatam, in aliis obtrectaverat. MYSTAGOGUS. ſive Dux ad ſecreta naturæ, vel eruenda, vel explicanda: qua rerum hominumque communicatione, quibus auxiliis, ſubſidiis, artibus conjuncta mutuaque ope, aliquid novi magnique operis, poſt hactenus elaborata ſperari poſſit. Explet nobiliſſimam partem deſcriptio *Societatis Regiæ* in Britannia, quæ naturæ indagatores habet ingenio, experientia, induſtria ſummos, & ad ſumma ipſo auſpicii Regii omine animatos. DUELLUM LITERARIUM, in cauſa publica, privatis ſtudiis vacare debet, non permittendum quibusvis. Idonei non deligendi modo, ſed inſtruendi. Exempla & errores. Cæci & temerarii certaminis, quod domo inſtrui poterat & debebat. Mandata ſeria, & ad rei momentum, publice faciendum; tum ſuaſoriæ, fortuitæ & obliquæ, ad frontem ſcenæ ſuſtinendam, & mimum ornandum. Ch. & Bl. pugnæ: utriusque in iis habitus animi, artes, profectus defectusque. Judicium de ſumma. Erant & plura hujus generis, quæ Modeſti ſarcinis jucundo munere accedebant: cui hac vice de Muſei notitia gratulari, & proſperum ad penates reditum precari fas eſt.

Te

Te autem, Amicorum jucundiſſime, ut ab initio cœpi, magnopere rogatum velim, ut Modeſti epiſtolas, quas ex promiſſo ad Muſeum deinde miſſitabat, in publicum edere ne graveris. Quod ſi mavis *Liberium* ordiri, quem ſuo tempore *Honoratus* excipiet, perinde de me, deque aliis bene mereberis, vicesque officiorum, quæ à gratis hominibus expectari poſſunt, experieris. *Scr. M. DC. LXIII.*

III.

DE STVDIO POLITICO BENE INSTITUENDO.

DISSERTATIO EPISTOLICA.

REm facis præclaram, Illuſtri Familia Tua dignam, quod ingenium acre & decorum liberalibus ſtudiis non excolere modò, ſed ad uſus etiam Reip. contendis inſtruere ac firmare. Itaque non contentus nobiſcum hactenus, quotidiano penè commercio meliores literas tractaſſe, etiam ſub diſceſſu ex hac Academia, quem meditaris, à me poſtulas, ut de ratione ſtudiorum, in poſterum ineunda, meam Tibi explicem ſententiam. Et perfecerunt ſane virtutes tuæ, ut nemo bonorum doctorumque hominum quicquam Tibi debeat negare. Me autem peculiari, de quo cœpi dicere, nexu obſtrictum Tibi, nunquam diffitebor. Poteram quidem majores Tibi talis conſilii Auctores demonſtrare. Exſtant enim præter *Caſelii*, *Sturmii*, *Coleri*, *Clapmarii*, *Scioppii*, eruditas de omni, ſtudiorum præſertim civilium, ratione conſultationes, etiam aliorum virorum inſignium Diſſertationes, pro conditione eorum, quibus ſuadetur, variis ætatibus, ſtudiis, propoſitis, accommodatæ: quas non ita pridem in unum volumen congregarunt *Amſtelodamenſes Editores*; ſed ne viderer tantillum operæ ſubterfugere, qui Tibi nihil non debeo, malui utique ſupervacuæ diligentiæ, quam detrectati officii ſuſpicionem incurrere. Agam autem breviter

de iis, quæ ſpei & fortunæ tuæ maximè videbuntur conſentire, relictis communibus, quibus hoc argumentum paſſim inſtruitur. Ita natus es, ut bona malaque tua non poſſint non ad Rempublicam pertinere. Cum nemo prudentum dubitet, prout nobiliſſimarum familiarum mores ſe habent; ita firmas ac dubias eſſe Rerumpublicarum ſpes opesque. Communi certè Patriæ noſtræ Germaniæ ſolenne quodammodo eſt, illuſtrium Domuum vel robore niti, vel onere premi, ſicut è præteriti temporis memoria facilè fuerit repetere. Præſertim autem hoc eſt illud tempus, quo clariſſimæ quæque familiæ conferre debent omnia præſidia, ſummaque ope providere, non dicam, ne quid Respublica detrimenti capiat, (ſita enim eſt in extremo) ſed ut ex ſummis detrimentis, ipſoque penè interitu paulatim retrahatur atque eripiatur. Id quod *DEI Ter-Opt. Max.* ope, generoſâ animi rectitudine & induſtriâ civilis actûs, ni fallor, impetrandum eſt. Utriusque rei adjumenta natura Tibi ingeneravit, quæ haud dubiè pulcherrimo profectu adoleſcent, ſi ſtudiorum publicè utilium ſubſidio ſtrenuè uti perſeveraveris. Quamvis autem generoſas mentes nullum ſcientiæ genus dedeceat, tenendus tamen eſt homini, in Republ. verſaturo, ex ſapientia modus, quod in *Agricola Tacitus* laudat. Quare non alius nobis, quam de Politico ſtudio, adeoque de Tuo propoſito argumentoque ſermo erit.

Scientiam civilem tribus oportere rebus cenſeri, exiſtimat *Carolus Paſchalius*: Cognitione Juris, Peritiâ Hiſtoriarum, Eloquentiâ. Quæ ſententia ipſam vitæ conſuetudinem & actionum civilium uſum reſpicit, atque ſub Peritia Hiſtoriarum Civilem doctrinam, quæ aliàs ſeorſim ita dicitur, & morum ſapientiam complectitur. Clarius fortè dixeris Politicam (ſub qua more Ariſtotelico ſemper exaudimus & Ethicam) peritiâ Hiſtoriarum præcipuè perfici. Opus autem habere in ipſa rerum tractatione tùm Juris Cognitione, tùm Eloquentiâ. Nam & utilitas, quam nonnulli ſolam Politici actus normam ponunt, jure certo niti debet: & negotiorum tùm dignitas, tùm difficultas orationem deſiderat commodam & expeditam, quæ ſocietatis civilis vel promulgeat placita,

vel diſquirat cauſas, vel conſilia expendat. De ipſa Politica doctrina eo brevior ero, quod ſatis adhuc memoraſti, Nobiliſſime Domine, duas ejus comparandæ rationes ſemper à Nobis eſſe præpoſitas: Præcepta & Exempla. Qui Præcepta ſcripſerunt, ex iis optimos putabis, ut quisque *Ariſtotelem* ſequetur & interpretabitur. Tales in Politicis cenſentur *Arniſaus*, *Keckermannus*, *Timplerus*. In Ethicis omnium cæterorum ſtudium vicit *Hornejus*. *Lipſii Præcepta Politica & Exempla* ipſa ad alteram, & quidem veræ Prudentiæ parandæ, palæſtram, Hiſtoriam, viam præeunt. Qua de re & de legendis cum fructu Hiſtoricis aliàs diximus ſcripſimusque. Ne tamen aliquid poſſit deſiderari, repetenda quædam erunt paulò altiùs: ſi prius monuero, Politica Ethicaque ſtudia minimè omnia Præceptis abſolvi poſſe, ſed excoli debere & ad profectûs quandam ubertatem perduci, tum Hiſtoriarum tractatione, de qua mox dicendum, tùm diſputationibus graviſſimis ſummorum Philoſophorum, quales Tibi, velut per compendium, ſignabo.

E Græcis *Plutarchus*, facili quadam copiâ & varietate multâ de moribus & Rep. accuratè explicat. Quo nomine Gallis æſtimatum noſti, qui in vernaculam translatum ſtudioſius ſolent legere. *Xenophon*, quàm præclarè deſcribit nobiliſſimas Græcorum Reſpublicas? In Oeconomicis porrò quis illo diligentior & ſuavior? jam oratorum quoque faciliores, ut *Dio Chryſoſtomus*, *Themiſtius*, quomodo de moribus & Republica ſit philoſophandum, claris ſub exemplis oſtendent. Nam *Demoſthenem* & *Iſocratem* altiori profectui ſepono. Et ille quidem olim placebit, hic etiam nunc placere poterit, ſi noluerimus ſapientiam ejus deguſtare; vel in Parænesi ad *Demonicum & Nicoclem*; vel in oratione de pace, ubi videbis omnia, quæ ille tum de cauſis bellorum exſcindendis dixit, ad noſtra tempora omnino apprimè congruere.

De Poëtis Græcorum nihil dicam, cum vix mihi perſuadeam, fieri poſſe, ut Græcæ Linguæ expers aliquam ex translatis verſibus voluptatem capiat. De cætero non ignoras, quid de *Homero Alexander Magnus*, item de aliis alii judicaverint. Platonis quoque lectionem vix audeo Tibi commendare, requirit enim, ni fallor, hominem, qui ſcholarum Philoſo-

loſophicarum diſciplinis ſtudioſius innutritus ſit, quàm neceſſe eſt, ei, qui vitæ & Reipublicæ diſcit.

Ad Latinos veniamus, quos ſuavius jam, quippe ſuâ Tibi linguâ loquentes, percipies. Hic familiam ducunt Diſputationes *Ciceronis* Ethicæ de finibus bonorum & malorum: Academicæ & Tuſculanæ quæſtiones: in quibus tamen ſunt quædam ſtudioſius diſquiſita, quàm ad uſum vitæ opus eſt. Officia ejus quo ſint habenda loco, ſtrictim attigi, in præfatione ad *Officia Ambroſii:* Opus aureum eſt, ipſosque fontes practicæ vitæ ſapientiæque recludit; ſed judicio opus eſt, & diligentia, ut penetres. Epiſtolas ejus tum quatenus familiaria tractant, tum quatenus politica, provectiori ætate plus æſtimabis. Philippicas pro ſingulari monumento prudentiæ civilis fac amplectaris. De reliquis orationibus non fuerit opus dicere, quarum uſus tot elogiis decantatus eſt. Alter tibi talium ſtudiorum Magiſter *Seneca* eſto, qui generoſam animi tui indolem valde excitabit & attollet, ut eximia & decora ſentire & agere concupiſcas. Scis, quàm ille auctor ſummis Regnorum Moderatoribus & Adminiſtris, etiam noſtro ævo, commendatus fuerit. Quorum exempla ratione vacare nequeunt. Non ibo per cæteros auctores, de quibus in diſſertatione de Politicis Lipſianis quædam monui. E junioribus Johannis Sarisberienſis, Franciſci Petrarchæ, Antonii Gvevarræ, Auguſtini Niphi, itemque Eraſmi Moralia & Politica opuſcula utiliter & jucundè leges: quippe Præcepta per ſe jejuna & tenuia ſunt, lineas ducunt, non corpus exhibent. Itaque de ſingulis argumentis quid præſtantiſſimi quique ſenſerint amplius, expoſuerintque diſtinctius, non ignorandum. Virtutum, ut exempli loquar gratia, quæ in convictione hominum cernuntur, quæ vis ſit, nullis Præceptis ſatis expoſitum reperitur. Itaque Guazzus non parum laudis meruit, quod commentario ſuo de civili converſatione, id argumentum ſibi illuſtrandum ſumpſit. Vehementer tamen falleretur, qui eam ſibi explicationem ſufficere ad plenam hujus argumenti notitiam crederet. Advertat animum, qui volet, reperiet multa in Seneca, in Plutarcho, in Hiſtoricis, quæ fruſtra aliunde exſpectaſſet. De viro aulico eruditè ſcripſerunt

Augu-

Auguſtinus Niphus, & Antonius Guevarra. Sed neſcio, quomodo interiora ſunt non pauca, quæ ex Barclaji Argenide, itemque ex Hiſtoricis de hac materia obſervantur: eadem in reliquis ratio eſt.

Admonuit me Barclajus, ut ejus Iconèm Animorum vel præcipuè Tibi commendarem. Cui ſi addideris Edonis Neuhuſii Theatrum ingeniorum, non magnopere deſiderabis, quæ cæteri in hoc genere diſquiſiverunt. Certum enim habeas velim, notitiam ingeniorum inter præcipua & quodammodo arcana ſubſidia Studii Politici numerari debere. Cujus rei guſtum quendam dedi in characteribus Politicis Vellejanis. Porrò inter ea, quibus imperfectio Præceptorum ſuppletur, ſunt etiam peculiares commentationes de ſingulis argumentis Politicis. Sicut e. gr. de conſiliario ſcripſerunt Hippolytus à Collibus, Perculius, Ceriolanus. De Legatis Albericus Gentilis, Carolus Paſchalius, & qui inſtar omnium Tibi laudandus eſt, Fridericus Marſaloer. De Cenſu Hermannus Latherus, & ante eum Georgius Obrechtus noſter. De Ratione Statûs Bonaventura, Scipio Claramontius, Septalius: de aliis alii. In Ethicis quoque libri ſingulares de certis argumentis editi reperiuntur, qui veluti per locos communes notandi, &, quoties opus eſt, inſpiciendi ſunt. Quæ res etiam ad Conſilium ordinandæ Bibliothecæ portatilis, qualem cujusque ratio vitæ & ſtudiorum requirit, pertinere cenſenda eſt. Conſulatur, ſi lubet, hoc loco Bibliographia Politica Gabrielis Naudæi de quibusdam Scriptoribus Politicis. Profuerit etiam habere aliquem uberiorem Politicorum Scriptorum quaſi theſaurum, unde, tanquam ex locis communibus copioſioris apparatûs materies, quoties lubet, depromi poſſet. In quo genere præfero Conzenium, & Bodinum; ac de illo quidem nil attinet dicere; Bodinus non lectorem modò, ſed & judicem requiret.

Hiſtoria nos vocat, quæ maximè propria eſt ſtudii Politici palæſtra, & cujus tractatio Tibi unicè cordi eſſe debet, Nobiliſſime Domine. Ante omnia autem Hiſtoriæ Oecumenicæ, ſeu univerſalis, quam vocant, cognitio acquirenda eſt. Hujus multa hactenus prodierunt Compendia, & ſcis, quanto

ſtudio alii Johannis Cluverii ſequantur; nonnulli & Micrælii commendent. Mihi nondum idonea viſa eſt ratio, cur Philippi Melanchthonis Chronico, quod Carionis vocant, præferrem alios, niſi quod majorem in eo chronologiæ lucem poſſumus requirere. Sed ſuppleri aliunde id poteſt, (ſicut paulò poſt dicemus.) Et ſatis conſtat, nihil hactenus perfectum in hoc genere elaboratum eſſe. Non abs re fuerit addere Sleidanum de quatuor Monarchiis: cujus viri omnia ſcripta plus ingenii & eruditionis recondunt, quàm oſtentant. Univerſali Hiſtoriæ proximi ſunt Juſtinus & Diodorus Siculus, è quibus, præſertim Juſtinus, viam præibit tibi ad ſingularem Gentium Hiſtorias, quas particulares nominare ſolent. Videtur etiam non nihil ad famam ea res pertinere, cum vix ſine nota negligentiæ audiatur, ſi quis Juſtinum non legiſſe compertus fuit. Circa particularem Hiſtoriam (utemur nunc receptis appellationibus) duo potiſſimum moneri debent, primo de ipſis Gentibus, Hiſtoriæque circa eas delectu: deinde de Scriptorum prærogativa, quoad artem ſcribendi & dexteritatem inſtitutionis Politicæ.

Ex omnibus Gentibus antiquiſſima Ebræorum Hiſtoria partim ex ſacris literis, partim ex Joſepho haurienda, eò magis tractari debet, quo vulgatior eſt apud pleroſque earum rerum ignorantia atque negligentia. Jucundum præterea erit obſervare poſtea in aliarum Gentium rebus, quid ex Ebræorum moribus, inſtitutis, legibus, ſumpſerint, imitati ſint, depravarint. Et neſcio quo pacto majoris animi ſpeciem habere videtur, ſi quis à veris rerum primordiis ad inſequentia progreditur.

Poſt Ebræos Græci Romanique rerum cognitu dignarum copiâ & memoriâ præcellunt, quorum Hiſtoriæ propterea potiſſimum à pleriſque leguntur, ſuntque nomina Scriptorum notiora, quam ut ſtylo egeant ſignari. A tempore Conſtantini M. Orientalis Imperii Hiſtoria peculiarem animadverſionem meretur. A Carolo M. uſque in hunc diem certarum Gentium res præcipuam obſervationis materiam ſubminiſtrant, ut Gallorum, Germanorum, Italorum, Hiſpanorum, Anglorum, quorum per humeros ſubinde fata Europæ jactata ſunt.

Et quanquam omnis Hiſtoria perito Lectori poſſit eſſe Schola Prudentiæ, Tibi tamen homini Germano, ubi generalem rerum, toto orbe geſtarum, notitiam adeptus fueris: nihil æque curæ eſſe debet, quàm Germanicarum rerum cognitio, itaque maturè noſcenda erunt, quæ Freherus, Schardius, Goldaſtus aliique, edidere rerum Germanicarum monumenta; & quicquid uſpiam eo pertinens, undecunque poterit erui. Tum ut quidque cum rebus Germanicis maximè cohæret, cognoſcendum eſt: Tales ſunt, res Gallorum, Hiſpanorum, Belgarum, Anglorum, Hungarorum, atque ut cujusque Patria fert, Danorum Suecorumque. Etiam Turcicæ militiæ Hiſtoria noſtris rebus plurimum immixta eſt. Catalogum Hiſtoricorum cujusque generis è proximo ſubminiſtrare poterit Philippus Glaſerus noſter, cujus Syntagma Hiſtoricum hanc habet appendicem. Seorſim ſi quid de rebus patriæ tuæ, vel ex vicinarum Rerumpubl. aut alia Hiſtoria, vel ex Tabulariis & Archivis, aut privatorum Muſeis colligere poteris, aut relatu ſeniorum ac peritorum Virorum cognoſcere, nulla talis occaſio prætermittenda eſt.

Memineris autem inter ſelectas Hiſtorici ſtudii curas ſemper vitam Imperatorum Romanorum, & deſcriptiones variarum per Orbem Rerumpublicarum, poni debere. Ac Cæſares quidem Cuſpinianus per compendium memorat: Respublicas autem variis expoſitas Elzevirii compluſculos ante annos edidere. In quibus tamen hoc eſt incommodi, quod nonnullæ diligenter, & à doctis Viris, aliæ ſecus deſcriptæ ſunt.

Eſt enim ratio delectûs inſtituenda in ipſa temporum conditione, & ſolennibus, ut ſic dicam, fati publici momentis, e.g. inter tempora bellorum civilium, quæ Sulla, Julius Cæſar, & poſtea Octavius Auguſtus geſſere, immenſa rerum multitudo, de fatorum publicorum corruptione & reſtitutione, de Pacis Bellique artibus, velut in unum congregatur. Sunt, qui hodie etiam Hiſtoriam Belgicam eo nomine diligentius legunt, quam in tam celebri tranſitu rerum, quo nova emerſit Respublica, maxima plurimarum rerum momenta congruunt. Quæ hactenus diximus, ad Hiſtoriæ ipſius delectum pertinent,

Nunc de Scriptorum quorundam delectu agendum eſt. Sunt vero quidam Hiſtorici, tum in antiquis tùm in junioribus, qui genere ſcribendi tam accurato, tantoque pragmaticæ expoſitionis diſciplina referto utuntur, ut ſingulares ad civilem prudentiam Duces & Magiſtri haberi & dici mereantur. Talium enumerationem in Notis ad lib. I. Polit. poſuit Lipſius. Illic quinam adjici debeant, adnotavimus. Ex iſtis unum atque alterum tibi deligas, quem majori cum cura & ſæpe cum quadam quaſi obſervationis mora legas. Denique qui familiariter tecum, cum quo Tu familiariter converſeris, ac unde Tibi quandam ſentiendi loquendique de ſingulis rebus normam exſtruas. Et quos potero Tibi meliores nominare, quàm Curtium, quem hactenus amare cœpiſti, itemque Tacitum & Livium.

Curtius Tibi omnem aulæ ſolertiam & elegantiam, omnia Regiæ fortunæ decora & præſidia demonſtrabit, & qui vel ſeculi cauſa addendus eſt, Tacitus, qui ambages aularum, arcana dominationis, commenta & flagitia Tyrannidis, quibus nil frequentius, multâ diligentiâ reducit, & ex latebris ſuis in lucem, non ſine gravi tamen judicio; proſtituit. Ex Livio autem liberæ Reipublicæ genium & fortunam, populi mores & ſtudia, Optimatum conſilia & artes ubertim cognoſces.

De cætero quid ſeorſim quisque habeat eximium, alibi expoſitum reperitur, ſi in militaribus volueris adjicere Julii Cæſaris commentarios, prudenter feceris. Quâ ſit autem ratione in his auctoribus verſandum, ipſa Tibi repetitio lectionis utiliſſimam ad interiora viam muniet. Dedi tamen operam in commentario ad primordia Taciti, ut exemplum inde capere poſſint, qui de intelligendo tanto autore ſunt ſoliciti.

Quanquam ſanè, ſi tempus tuliſſet, longè penitiori diſciplinâ fueram Tibi oſtenſurus, quanta tum ſtyli, tum prudentiæ Taciti eſſet profunditas. Nam qui dicta quædam & loca excerpunt, de quibus diſſerant illi Auditoribus ſuis, non explicant Tacitum, ſed generatim ſub hoc prætextu materias & locos communes pertractant.

Recentiorum Tibi præcipuus Thuanus eſto, quem non modo

modo argumenti dignitas, ſed ſcriptionis inſuper & judicii gravitas Politicis hominibus commendat. Huic Sleidanum, Comineum, aliosque adjunges. Famiani quoque Stradæ hiſtoria Tibi multum proderit. Si obſervaveris tamen & diſtinxeris, quæ artificiosè & ſub diverſiſſima ſpecie miſcuit ſubinde ſtudia partium, & ſchemata Hiſpanicis artibus velandis ingeniosè reperta. Et quidem Bartholomæum Gramondum, Gallicarum rerum ſcriptorem Tibi commendem. Ex illuſtri argumento maxima quæque delegit, hiſtoriamque ſuam Gallico quodam lepore tinxit: cui niſi obſtaret novitas & invidia, fortè inter magnos ſcriptores numeraretur. Vellem & Franciſci Baconis Verulamii Heinricum VII. Tibi familiarem fieri. Scriptio enim talis, quæ excitare poſſet acutas mentes ad veſtiganda rerum Politicarum cubilia & myſteria. De quibus abſque ejusmodi judiciis plerique raró aut ſeró cogitant.

Et quoniam Prudentiæ deſtinatur, quicquid in Hiſtoria ponendum eſt operæ, ecce Tibi ſolidam dignitatisque & profectûs plenam Prudentiæ Exercitationem. Conferas inter ſe ejusdem argumenti Scriptores. Nemo enim hominum ita exuit affectus, ut omnia eodem veritatis tenore incorruptè tradat. Diſſimulantur ſæpius, quàm abdicantur ſtudia partium. Qua de re diſſeruimus in Oratione de Hiſtoria Velleji. Igitur in rebus e. g. Belgicis ab una parte cum legeris Meteranum, Douſam, Meurſium, adjunges etiam alterius partis Scriptores Nicolaum Burgundum, Stradam &c. Videbis eadem, ſed non iisdem judiciis & ſententiis memorari, quæ ipſa Tibi diverſitas ad veritatem judicandam adjumento erit, multumque intelligentiam acuet.

Hactenus de Hiſtoria ipſa locuti ſumus. Nunc de adminiculis Hiſtoriæ quiddam ſcribendum erit. Eo nomine cenſeri debent Geographia, Chronologia, Genealogia, quorum à Te, Nobiliſſime Domine, nil præteriri debet.

Geographiam auſpicari poteris ab Introductione Philippi Cluverii, cui non inutiliter addideris, quæ Guilielmus Blaeu de Globis cœleſtibus & terreſtribus per compendium tradidit. Proximum eſt, ut optimas cujusque regionis deſcriptiones ſeu Tabulas compares, qualem induſtriam Atlantis Editores profitentur,

 In

In Chronologicis Auctorem poteris ſequi Dionyſium Petavium, cujus Rationarium temporum in octavo Pariſiis Anno 1641. recuſum extat. Genealogicus Tibi Auctor Henninges erit, cui commodè adjeceris ſtemmata Principum Albizii Argentorati excuſa.

Deſignavimus ſtrictim, quæ Politices ſtudioſo, præſertim circa Hiſtorias, maxime videbantur neceſſaria. Sed quoniam actionem Viri civilis absque juris cognitione & Eloquentiæ facultate minùs expeditam eſſe, antea monuimus, de utroque ſubtexendum aliquid eſt.

Cum de juris cognitione loquimur, ſatis vel ex clariſſimo doctiſſimoque Viro Ephoro Tuo didiciſti, non intelligi unicè Juris Civilis Romani peritiam, ex quo ſolo ſi quis mihi vult Politicam facultatem exſculpere, eum, ego fatebor, ex quovis ligno Mercurium facere poſſe. In Politico igitur propriè requiritur illud Jus, ex quo Jus civile Romanum & omnia Jura orta ſunt, quod ſi originem ſpectamus, Lex & Vox DEI in hominum mentibus eſt. Si uſum quærimus, omnium Imperatorum, omnium Rerumpubl. norma ac regula eſt. Jus, inquam, illud, quod Cicero Jus Belli & Pacis dixit; de quo admirabile Hugonis Grotii opus exſtat, quod qui perdidicerit, illi viſam pedum viam dixeris, qua ſit incedendum in graviſſimis quibusq; quæſtionibus de jure ortis. Reprehenduntur in eo novæ & meræ locorum ſcripturæ explicationes, itemque ſingulares quædam ſententiæ, qualia facile declinabit peritus Lector. Neque propter aliquem nævum totius corporis pulchritudinem deſpiciet.

Supereſt Eloquentia, verum Politici inſtrumentum, cujus parandæ gratiâ perges, quâ cœpiſti, viâ decurrere. Ita Te feliciter ad metam ducet crebra bonorum Auctorum lectio & imitatio. Quia verò Politicum hominem ſtylus vel maximè apertus & planus, non vulgaris tamen aut vilis decet, nemo Tibi potior erit, quem ſequere, Auctor, quàm Julius Cæſar, Cornelius Nepos, & qui jam antea Tibi Hiſtoriæ Prudentiæque nomine commendandus fuit, Suetonius. Quorum nativa & ſimplex venuſtas Curtianâ elegantiâ & lepore commodum temperabitur. De Cicerone & Livio antea dictum. Nam ex talibus Scriptoribus Eloquentia ſimul cum prudentia acquiritur. Equidem non repetam hîc varia exercitationũ genera, antiquis & recentio-

centioribus Magiſtris deſcripta, cum præſertim etiam in ſcholis Florianis ſpecimina complura ſuppeditaverim. Illud ſaltem monuerim, ad ſcribendum ſemper Te debere accedere, cum inſtructu rerum verborumque hunc in modum.

Exempli gratia: De boni principatus formula & regimine ſummatim tractavit Lipſius lib. II. Polit. Hujus præceptionis uſum ſi quis volet in exercitatione ſtyli experiri, reperiet, triplicem potiſſimum de hoc argumento ſuſcipi in vita tractationem.

(I.) Per modum deſcriptionis & commemorationis, ſicut apud Tacitum IV. Annal. 6. & 7. Principatus Tiberii, Annal. XIII. 4. Primordia Neronis deſcribuntur. Conferri poſſunt loca Velleji II. 89. & 126. ubi de Auguſti & Tiberii Imperio ſermo eſt. Tales deſcriptiones etiam ſubtilitatem judicandi admittunt, ſicut ſpecimen ejus rei reddit Baconus, qui Hiſtoriam Heinr. VII. acutâ deſcriptione claudit.

(II.) Per modum adhortationis. Sicut apud Tacitum XII. Annal. II. Claudius Meherdatem præceptis bene gerendi Imperii inſtruit. Itemque Galba Piſonem I. Hiſt. 15.16. Cyrus filios apud Xenophontem IIX. Cyropæd. Apud recentiores exſtat Caroli V. abdicantis ſe Imperio ad Filium oratio, deſcripta Thuano Lib. XVI. & Stradæ Hiſt. Belg. I.

(III.) Per modum deliberationis & conſilii. Qualis oratio Mæcenatis ad Auguſtum exſtat apud Dionem Lib. II. Inſpiciatur oratio Cancellarii Gallici apud Thuan. initio Libri XXVII. Talibus exemplis lectis inſtituatur oratio ſub perſona Auguſti, Tiberio Succeſſori præcepta boni Imperii inſtillantis. Memorat enim Suetonius Tiber. cap. XXI. fuiſſe eum una cum Auguſto in ſecretis colloquiis totum diem.

Sic in cæteris omnibus materia vel ex Lipſii Politicis, (ſunt enim huc valde accommodata) vel aliunde cognita, facile in ſcriptionis argumentum abit, ſic præſertim lecta boni Auctoris tractatione neque de verbis cunctandum, neque de perſonarum decoro ambigendum erit. Verùm hac de re multum alibi diximus, ut hic merito poſſimus eſſe breviores.

Quod ſupereſt, Theologiæ gravioris ſtudium inter veræ Politicæ gradus memorandum eſt. Nam hinc vera animi magnitudo, virtutis politicæ apex, conciliatur, actusq; humani gravitas felicius extenditur. Sed ea res peculiari Diſſertatione digna eſt.

Sicut

Sicut & de cæteris ſtudiis, in quæ nobiles animi vel remiſſionis gratiâ, vel pro conditione uſuque temporis egrediuntur, longum foret, nunc orationem ordiri: cum de tota Polymathiæ ratione, etiam quatenus civilem Virum decet, tum quos ab initio nominavi ſcriptores, tum alii copiosè expoſuerint.

Nihil ergo adjiciam, præter votum, quo Tuam ſalutem, ſtudia, propoſita felicitati & honeſtati publicè conſecranda, DEO Optimo Maximo diligentiſſimè commendo. Vive & vale, Nobiliſſime Domine, Mihique, qui Tuas virtutes aſſiduo colam officio, Tuam benevolentiam ſemper conſerva. Argentorati.

Generoſæ Familiæ Tuæ Tibique omni cultu atque
ſtudio deditus

J. H. B.

IV.

DISSERTATIO
DE
POLITICIS LIPSIANIS.

VIRO Ampliſſimo Prudentiſſimoque
DN. JOHANNI WENCKERO,
Inclytæ Reipublicæ Argentoratenſis
TREDECIMVIRO ET SCHOLARCHÆ,
Illuſtribus in Patriam meritis longe Eminenti,
Patrono cum obſervantia & fide perpetua colendo,
S. P. D.
JOH. HENRICUS BOECLERUS.

AMPLISSIME VIR. Præcipitur inter Leges Academicas profeſſionis Hiſtoricæ, *ut ſtudioſa Juventuti, in Hiſtoriarum* *enarra-*

enarratione, diligenter commonſtrentur fontes civilis prudentiæ, & quæcunque dexteritatem actus publici informare poſſunt, perpetua obſervationis ac declarationis luce illuſtrentur. Graviter nimirum conſilii publici ſapientia exiſtimavit, eruditionis Academicæ & vim præcipuam & decus, ad utilitates vitæ, nec privatæ modo, ſed inprimis publicæ, in cujus ſinu & tutela privata latent omnia, referri debere. Cum præſertim non alio inſtituto ſuſceperint laborem Viri ſummi, qui annalibus condendis, apud veteres, exercitam gerenda præclare repub. mentem, denique adverterunt. Certe minus ſcienter otio utatur, neceſſe eſt, qui in tanta tam illuſtrium rerum luce, in tanta Pragmatici Scriptoris (nam tales pleroſque, quos miramur, priſcorum haberi par eſt) ſolertia, delicias tantum ſectari verborum, aut flores delibare ſententiarum, in animum induxerit. Longe altioribus gerenda eſt auſpiciis res tam varie ſubtilis, tam ſinuoſe profunda, tam diffuſa ampliter; qualem verſabile civilis actus ingenium, Prudentiam vel facere vel requirere ſolet. Commendavi non raro cupidis diſcendi juvenibus *Salluſtii* exemplum: qui in omni vita, inde ab adoleſcentia, quæcunque legerat, audiverat, ad meditationem civilis ſcientiæ, reique publicæ intellectum ſe contuliſſe, aliquoties ſignanter teſtatur. Eximius eſt & ſatis notus ille in Catilina locus: *Mihi multa legenti, multa audienti, quæ populus Rom. domi militiaque, mari atque terra præclara facinora fecit, forte lubuit attendere, quæ res maxime tanta negotia ſuſtinuiſſet.* Memorabilis *attentio*: quæ & copiam diſciplinæ, & aſſiduitatem diſcentis, & judicium obſervantis, & uſum argumenti cum ſcopo totius, quæ hic ponitur, operæ complectitur. Ac videre quidem, quo ſint omnia referenda, haud paulo facilius fuerit, quam referendi artes, ut ita dicam, & vias accuratius cognoſcere. Qua in parte tum ampliſſima, quotquot ſunt eruntque, doctis ac prudentibus induſtriæ occaſio patet; tum *inſignis manuductionis* ſpecimen *Juſto Lipſio* debetur. Cujus *Politica* veriſſimo, hoc, nec alio, nomine judicioque appellitaveris. Nihil aliud, inquam, in animo habuit Vir Doctiſſimus, cum Civilis Doctrinæ deſcriptionem, nova illa forma adornaret, quam *ut per deſignata magni itineris ſpatia in Hiſtoriæ potiſſimum*

meditationem, *adeoque in ipſa prudentiæ actuque civilis penetralia*, *veluti manu capaces diſcipulos perduceret fontibusque rerum recluſis*, *dimanantis in rempubl. diſciplinæ alveum*, *intra ripas quaſi quasdam Uſus & Actionis*, *concluderet.* Sed enim conſilii ſolertia, compendii concinnitas, diſpoſitionis cura ac delectus minus facilem eam ſcriptionem reddunt Lectoribus, in Hiſtoria optimorumque auctorum ſeria tractatione non admodum exercitatis. Sicut nec occupationes quorundam ferre videntur, ut altius veſtigent ſingulare Auctoris inſtitutum. Quocirca ex officio me facturum arbitratus ſum, ſi induſtriæ Lectiſſimorum Juvenum non ſemel id à me requirentium qualicunque ſtudio & admonitione obtemperarem, *Lipſianæque in Hiſtorias, prudentiæ parandæ ergo cognoſcendas*, *introductionis rationem*, breviter & rudi delineatione conſignarem.

Quod equidem diſſertationis meæ propoſitum, ſicut facile bonis omnibus approbari poteſt, ita, cur Nobiliſſimo nomini Tuo, *Vir Ampliſſime*, inſcripſerim tam tenue opuſculum, declaratione potius videtur indigere. Nam ſi dignitatem, ſi curas Tuas, ſi prudentiam doctrinamque ſpecto: nihil hic prorſus Te dignum adfertur aut deſcribitur. Sed nimirum obſervantia, qua Tuas Virtutes colo; & Patrocinium, quod ex muneris pariter ac humanitatis Tuæ comitate ſpero ambioque, non difficulter me impulerunt, ut qualicunque indicio, non tam quid Tuæ celebritati debeatur, quam quid dicatæ Tibi mentis gratitudo poſtulet, attenderem. Cum præſertim ipſa temporis conſideratio, maturationem hujus officii ultro ſuadere videretur. Erit enim forte, ut inter eximias gratulantium *Novo Scholarchæ* voces, mea quoque pietas admittatur: ſinceritatem votorum, ſpei, cultusque ſine adulatione & fuco profeſſa. Laudes Tuas nec paginæ hujus modus, nec ſtili hujus ſimplicitas capit. Quæ, ut ajebam, nihil aliud ſibi propoſuit, quam teſtationem ejus lætitiæ ac expectationis, quam cum univerſa Academia de favore in rem ſcholaſticam Tuo ingentem concepi: & nuncupationem voti pro rep. ad cujus emolumenta Tuam incolumitatem, vitam, ſalutem pertinere, ſerio reputamus. Præter illa, eſſes mihi ſeorſim exorandus, *Patrone Magne*, ut mea quoque ſtudia & labores, non ſpecioſos illos quidem, ſed

cum

cum fide & cura in rempublicam conjunctos, reſpiceres ac adverſum caſus temporum defenſares: niſi compertum haberem, nullum eſſe literarum genus, quod ab amore Tuo tutelaque alienum credere ſuſtineas. Deus Te conſervet, SCHOLARCHA BENIGNE, FELIX, GLORIOSE. Scribebam Argentorati cIↄ Iↄc XLII. menſ. Maii. d. VII.

CAPUT PRIMUM

Continet hujus ſcriptionis occaſionem, & Lipſiani operis commendationem.

QUæſiverunt ſæpe ex me amici & bonarum artium ſtudioſi Juvenes, *quemnam è Politica doctrinæ ſcriptoribus, amandum potiſſimum ejus ſcientiæ cupido, verſandumque arbitrarer?* Commendavi ſemper è Veteribus, *Ariſtotelem*; inter recentiora nomina, *Lipſium* dixi eminere. Utrumque enim opus ſingulare haberi & incomparabile debere, videor mihi (ſicut ex dicendis poſtea patebit) confirmare poſſe. Atque hæc ita ſunt à me tum exiſtimata, tum dicta, ut ſedulo interim admonerem: *perfectionem civilis prudentiæ atque fundamenta abſque vera religionis Chriſtianæque pietatis auſpicio obtineri nunquam poſſe*; ſed poſt altiorem illam hujus ſtudii regulam, *neminem accuratius naturæ, rationis, diſciplinæ fontes, quatenus huc pertingunt, recluſiſſe, Ariſtotele; nec Lipſio alium eſſe potiorem, qui in veram actionis humanæ palæſtram agendorumque penetralia, Hiſtoriarum ambitu concluſa, rite perduceret.* Addebam ſubinde aliqua, quæ profundioris inſtituti Lipſiani quaſi quendam guſtum cupientibus præberent.

Quo factum eſt, ut pridem efflagitaretur à me, planior totius rei expoſitio, difficilioriſque diſciplinæ prævia deſignatio. nec enim cuivis facile erat, reperire, ad quæ digitum intenderam: nec defuere paſſim, qui alia hic potius omnia admirarentur, quam quæ unice videntur admiranda. Placuit ergo, Nobiliſſimorum ac florentiſſimorum quorundam Juvenum honeſtæ voluntati aliquot horas dicare: eademque opera illis etiam reſpondere, qui Lipſiana Politica laudari ægre ferunt & tantum non indignantur.

Equidem *nævos ejus corporis* nec ignoro, nec excuſo. fortaſſe & quædam animadverti poſſunt, quæ ſeveri cenſores, ſed parum attenti, præterierant. qua de re infra, ſuo loco, agetur. Eſſet tamen haud dubie ituri in latam noxiam exempli res, propter quædam male dicta, etiam bene dicta damnare: & ob aliquam vafritiei mixturam (quæ à plerorumque ſyſtematibus abeſſe interim creditur potius quam demonſtratur) rejicere omnem eam inſtitutionis artem, quam apud alios fruſtra quæras.

Id quod in anteceſſum hic & univerſim affirmatum, ſigillatim deinceps ac per partes declarabitur: ratione ſcriptionis ita diſpoſita, ut & brevitati ſtudeamus argumentorum, nec latere tamen in profundo momenta incomparabilis illius gravitatis patiamur majeſtatisque, quam ſolam, cum cetera pleraque in ſuum opus tranſcriberet, intactam auctori reliquit inobſervatamque Hiſpanus *Chokier*.

Diligenter autem rogatos volo, quicunque hæc legent, ne prius meam de Lipſiano Politicorum opere ſententiam ſuæ cenſuræ occaſionem faciant, quam totam hanc diſſertationem, ad finem usque, cognoverint. Æqua me opinor poſtulare, & ab æquis lectoribus facile impetranda.

CAPUT SECUNDUM.

Singularis Lipſii Dexteritas in conſtituendis veræ prudentiæ fundamentis, deſtinandoque conſtanter ſcopo commendatur: interjecta Methodi laudatione.

PEr tinet ad intelligentiam & ordinem noſtræ diſſertationis, ut à quibusdam, minus profundæ obſervationis annotationibus, ad cætera viam auſpicemur. Non itaque præteriri debet *illud Politicæ Lipſianæ robur, quo & fundamenta civilis prudentiæ valide communivit, & metam veram directamque ſemper in oculis habuit.* Eundum nobis eſt per ſingula hujus propoſiti conſilia, ut, quod dixi, recte arbitremur.

Diſtinguenda ſunt, ante omnia, *quæ ad civitatis rerumq́ civilium hiſtoriam & cognitionem pertinent*, ab iis, *quæ ad Civitatis gubernationem, civilisque actus prudentiam ſpectant.* Ibi quædam peri-

peritia & *cognitio* rei politicæ : hic *conſilium & prudentia*, vere ſic dicta, locum habet. Si quæras, *quodnam ex his in Politico viro, in ſcriptore item aut actore civili emineat?* reſpondebo : utrumque requiri, ſed longe facilius & tradi & diſci, quæ ſunt γνώσεως πολιτικῆς ſive *Cognitionis politicæ*; quam illa, quæ ſunt φρονήσεως πολιτικῆς, id eſt, *ubi non tam eſt res cognitionis & memoriæ, quam judicij, ſolertiæ, induſtriæ, adeoque prudentiæ illius, quæ & ſubtiliſſima & profundiſſima omnibus ſui partibus merito habetur.* Exemplum nobis præbeant *illi Scriptores Civilis Doctrinæ, qui ſyſtemata ſua, ad jus publicum ſtatumque imperij, notitiam conſuetudinum, ſcientiam Ordinum*, ut ipſi profitentur, *dirigunt.* Ex his plerique, *ad cognitionem politicam & hiſtoriam illam exteriorem* multa, ad *prudentiam & artem imperandi penitiorem* pauca tradunt. Neminem eo nomine nunc reprehendimus : ſed Juventus utique ſcire debebat, quid *juvaret* quomodocunque prudentiam civilem, quid *doceret* : quantum item *ipſa prudentiæ occupatio* diſtaret *ab eo, circa quod occupatur, & in quo ſuas artes explicat.* Atque, niſi vehementer fallor, *aliud utiq; eſt*, hiſtoriam rerump. notitiam morum & legum. deſcriptionem regnorum profiteri; *& aliud*, regendæ tractandæque reipub. prudentiam polliceri. quod poſtremum qui faciunt, debent profecto *ipſa potius prudentiæ fundamenta, ſcopum, rationes ſequi*, quam cognitione alia quavis animum diſcentis perturbare, aut à directo conſtantique metæ intuitu diſtinere. Non id volo, quaſi præcepta prudentiæ, ejusmodi exemplis illuſtrare nefas eſſet : ſed *exempla præceptis competere, cognitionem quarumvis rerum cum diſciplina prudentiæ non confundi*, & *hanc præcipue ſpectari poſtulo*, idque in iis operibus, quæ *inſtitutionem civilis doctrinæ* promittunt. Quo nomine *Lipſius* palmam haud dubie meretur, qui *regiam illam Prudentiæ viam*, dimiſſis vulgarium confuſionum ſemitis, *firmo gradu decurrit*, vereque ſe *intra orbitas uſus & Actionis* (quod in præfat. pollicetur) *continet.* Non monerem tam diligenter rem obviæ arbitrationis, niſi perſæpe obſervaſſem, miſerrime falli plurimos adoleſcentum : qui farragine ſyſtematibus illis familiari abrepti politicum ſtudium ad meras temporis delicias, & inaniſſimam linguæ volubilitatem referebant.

Cui errori en firmum à Lipſio remedium : *Ille ad ipſa rei-*

pub. noſcendæ pariter ac gerendæ penetralia iter emunit ; *prudentiæ auſpicia, fontes, adminicula ſedulo demonſtrat* ; *actus civilis connexionem in rep. conſequentiam in eventu, amplitudinem in contextu, ſubtilitatem in circumſtantia, artem in exemplo, partim figurat, partim inſinuat.* Idque ea *Methodi* (quæ & ipſa cum elogio excellentiæ hic memoranda eſt) *gravitate ac commoditate* ; quæ naturam argumenti & ſequitur intime, & exacte decet. *Structura totius operis* talis eſt, ut agnoſcas *ſolide conſtitutum, nec anguſte eductum, apte ordinatum* (ornatui enim nihil hoc reſpectu tribuerim, niſi quod ex facie tam elaborata ſponte emergit) *ædificium. Diſtributio partium magnifica, plena* ; *ſed eadem ut minime conciſa in minutias, ſic ampliſſimi complexus ſpatia ſerie exquiſita diſtinguens. Nova plerumque arte, magnaque cogitandi ſolertia, plurima, quibus vix locus videbatur in hoc opere patere, tam idoneam ſedem nacta ſunt, ut nata ibi potius, quam accita videantur, neque ut furtim introducta latent* ; *aut tanquam vi obtruſa, indecore eminent* : *quinimo prorſum ita videbatur judicium viri prudentis in docendo poſtulaſſe, & memoria ſtudioſi prudentiæ ad diſcendum optaviſſe. Filum aliquando ſubtile & veluti arcano textu per latentes vias proficiens* maximam attentionem deſiderat ut obſerves, *quam opportune te à theſi* (ut nunc ita loquamur) *ad hypotheſin non tam perducat quam invitet* ; ut intelligas, *qua cognatione, originisque aut uſus neceſſitudine, ordinariam actus civilis rationem* vel *prudentia* πειςατικὴ *temperet, ſublevet, ſuppleat, comitetur* ; vel κακοπραγμοσύνη *inſidioſe ſubeat, fallaciter pingat, improbe corrumpat.* Quo factum eſt, ut profecto vix quiſquam Doctorum civilis diſciplinæ plura maximis etiam voluminibus tradiderit: modicoque libello, & in ſyſtematis modum adornato, non ſyſtematicæ modo præceptionis copia, ſed applicationis practicæ dexteritas, una eademque opera exhibeatur. ſcilicet didicerat hanc ſcribendi profunditatem *Lipſius* partim ab *Ariſtotele*, qui in Politicis ita præcipit, ut præceptionis uſum, in ipſo præceptionis genio, quodammodo oſtendat; partim à *Tacito* ſuo, qui ἀκρίβειαν τῆς ἐπιςάσεως ϗ κρίσεως *ſubtilitatem*, inquam, *obſervationis ac judicii*, quamvis in diverſiſſima ſcribendi ratione, perito imitatori tamen commodare potuit. Addantur cetera, quæ brevitatis ſtudio, nunc non amplius

quam

quam nominamus : *Deſcriptionum ſuccincta & ad actus civilis indolem animoſe cordateque accommodata gravitas expoſitionis contracta amplitudo; materiarum in pertinentia extenſio; limitationum, diſtinctionum, ſententiarum perpetua ſpecimina, fundamenta, inſtrumenta :* quæque ad hanc formam plura, obſervatio attenti & inquirentis induſtria complectetur.

Atque hæc ipſa methodi præſtantia pertinet vel maxime ad *intentam directamque ſcopi nobilioris deſtinationem*, de qua paulo ante diximus : ſed nec parum reſpondet *fundamentis*, de *quorum conſtitutione* pauca nunc dicemus. *Totus liber primus Lipſiani operis* eſt προπαρασκευαστικὸς, *præmoliendis vitæ pariter ac prudentiæ civilis fundamentis occupatus.* In quo labore, non quæcunque poterant expendi, ſed quæ noſtro inſtituto videntur proxima, conſiderabimus.

Occurrit nobis ergo inter prima, *ſingulare architecti*, ut ita loquar, *circa fundamenta conſilium. Virtute & prudentia, niti omnia & ſingula in actu vitaque civili*, ait. Neminem habebit in eo manifeſte diſſentientem : quin apud pleroſque talia videas jactari. Ita eſt omnino : ſed obſerva quæſo, quo diſcrimine aliorum philoſophia hic in diverſum abeat. *Quidam* de virtute ita loquuntur, ut, omiſſo *pietatis* reſpectu, *probitatem* ſolam, ſæpe nec integram attendant : *quidam* de alterutra, aut utraque aliquid mentionis injiciunt, ſed perfunctorie, aut confuſe, aut inepte. *Perfunctorie* nimirum, cum ut de re aliquam ſui utilitatem præbente, non expreſſo utilitatis modo aut neceſſitate, ſed inumbrata potius vi præcipua, verba fiunt. *Confuſe*, cum ſine ordinis aut applicationis dexteritate modo disjungitur prudentia à virtute, modo univerſim aliquid & adeo in vanum jacitur, ut ab Ethico etiam, (cujus hic θετικὴ videtur opera eſſe, cum Politici ſit ὑποθετικὴ) propiorem virtutis prudentiæque ad actum & negotia accommodationem, expectare poſſis. *Inepte* autem, vel maxime ideo, quia loco minime digno, uſuque plane alieno inculcantur iſta. Non, inquam, *ut Fundamenta* conſtituuntur vitæ Imperiique civilis, *Virtus & Prudentia*, ſed ut qualiacunque adminicula memorantur. Certe quod Juventus civili vitæ ſtudioque

que conſecrata, multum ſibi ſapere in Politicis ſæpe videbatur, cum interim virtutis raro in hos uſus meminiſſet; quod in ipſo rerum actu poſtea vix adm[illegible] nonnunquam, & irriſa virtus eſt; quod ſuperbæ & ſegregis à virtute Prudentiæ ſimulacrum ſive idolum in auguſtale rerumpubl. ut in delubrum ſeſe collocavit: ejus ego rei tum alias cauſſas ſcio, tum hanc non in poſtremis numero, *quod ſcriptores & Doctores rerum Politicarum alia omnia validius à viro civili requirebant, aut in eo commendabant, quam virtutis rectitudinem Religionis gravitatem, conſcientiæ innocentiam.* Non dico, plane præterita hæc talia eſſe: interim quantum hic differt, prætermiſiſſe, aut loco non ſuo conſtituiſſe? Itaque *Lipſius* ſingularem mihi ſemper laudem videbatur mereri, quod contra ſæculum ſapere auſus, Vitæ Civili *Duos* non qualescunque adjurores, ſed RECTORES dedit *Prudentiam & Virtutem*: *Illam ex plurium mente* (qui tamen neque hic ſemper ὀρθοποδοῦσι) *ſed & hanc* Ex SUA. vide 1. pol. c. 1. n. 4. ubi aureum iſtud & vere fundamentale dogma jacit: *Civem vere bonum nullum arbitror, niſi & virum.* Nam quod *Ariſtoteles 3. pol. 3. diverſam eſſe viri boni & civis boni virtutem*, aſſerit; de diſtinctione rei, non de mutilatione actus capiendum eſt. in quo cum amice & intime conſpirent civis boni & viri boni artes, reipubl. robur diſſolvat neceſſe eſt, quisquis diſſidio aut ſeparationi hic locum relinquit.

Sicut autem prima Architecti cura in eo verſatur, ut eligat, *quid fundamenti ſolidioris loco conſtituat*: ita proxima occupatio, *in ipſa jaciendi conſtituendique ratione, ſpatio, menſura* cernitur. Non ſufficiebat hic *virtutem* nominaſſe, in *Pietatem & Probitatem* diſtinxiſſe, Pietatem *in Senſu & Cultu* commendaſſe: ſed ut victuro robore hæc civilem actum ſuſtinerent, *Fatum & Conſcientia* merebantur inſeri, quorum reſpectu ac veneratione Pietas hic eſt Pietas, ut ſic dicam; id eſt, in civilem vitam valet transferturque. O quantum nervorum, quantum vigoris haberet Civilis adminiſtratio, ſi reverentiæ fati, ſi ſtudio conſcientiæ conſtanter & bona fide, quod hic voluit *Lipſius*, inniteretur! Licet enim de religione Lipſii nil cauſæ eſt

eſt cur magnifice ſentiamus; licet in hac ipſa de Pietate fatoque tractatione quid deſiderari merito poſſit, non ignoremus (ſicut infra monebitur) tamen plurimos profecto in ruborem dedit, qui Politicæ informationis ergo, parum ſibi huc reſpiciendum autumarunt; ſimulque oſtendit, tantam eſſe hujus præceptionis neceſſitatem, ut eorum etiam animos, qui ad veram Pietatis uſurpandæ rationem cæcutiunt (à gentilibus enim ſumſit, cum quibus & caligat alibi) convincat arguatque. *Prudentiam* quoque, non ut plerique magnifici nominis elogio advocare ſatis habet, ſed indolem geniumque ejus ex ipſo natalium honore ad fulciendum opus adhibet. Qua occaſione, non vulgaria ſunt, quæ de *Uſu rerum*, de *Hiſtoria*, de *Doctrina*, diſputat: adeo ut nemo illam materiem πολιτικώτερον & πραγματικώτερον deſignaſſe, videri poſſit; plerisque inter nimium & parum obhærentibus.

Jactis ad hunc modum ſolide, ſolidis fundamentis, conſequens eſt, *ut proxima, quæ è fundamentis ſurgunt, apte cohæreant, & univerſa quæ inædificantur, firmiter ſuſtententur.* Virtuti & Prudentiæ omnia ſuperſtruxit: ante omnia ergo quibus viribus artibusque potiſſimum hic uteretur Virtus, *libro ſecundo* monſtravit: nec minus Prudentiæ actum civilem ſuſtinentis ſeriem, qua ſuſtinet, partim *libri Tertii*, partim *libri Quarti initio*, deſcripſit: poſteaque *duobus*, *quos modo dixi*, *libris*, *Quintoque* inſuper & *ſexto*, occupationem & diſpoſitiones prudentis in Rep. Principis, per omnes civilis negotii ac imperatorii conſilii partes, ita pertractavit, ut ſtatim apparere poſſit, unde ſingula, quæ præcipiuntur, prodeant; quam valide, fundamentis ab initio jactis incumbant; ubi novo & è cæteris nato fulcimento communiantur.

CAPUT TERTIUM.

De Notitia Animorum, inter fundamentalia præſidia à Lipſio relata: politicisque characteribus in toto paſſim opere ſubtiliter expreſſis.

DUm in Fundamentorum conſideratione verſamur, non omittendum eſt illud, quod fundamentalibus hujus ſtudii præſidiis merito accenſeri debet; eoque reſpectu, paulo accuratius & rarioris induſtriæ exemplo in Politicis Lipſianis tractatum reperitur. *Notitia enim animorum, ingeniorum, morum* eſt, cui præcipuos prudentiæ nervos debemus. Actiones ex ingenio emergunt; actionum forma ſimilitudine ingenii agentis imbuitur; actionum conſilia pariter & eventa juxta conditionem ingenii ſtant caduntque. Ex varietate non ingeniorum modo ſed ingenii, varietas maxima naſcitur actionum & difformitas. Denique quidquid in actione cognoſcitur, ad ſimulacra potius actionis pertinet, niſi ex agentis animo tanquam è fonte penitiorem rerum naturam derivaveris.

Id cum probe intelligeret *Lipſius*, ſingulari ſtudio, arteque mirifica, de qua nemo eorum, qui ſyſtemata ſcripſere, cogitaverat unquam, toto paſſim opere *Animorum ſecreta* recluſit. Perſpicuitatis cauſa in *duo membra* partiemur illius curæ exemplum. Poteſt alia *Notitia animorum* vocari *Generalior*, ſicut de *Vulgi ingenio*, itemque *Regum ac regni indole l. 4. cap. 5. & 6.* differitur: alia *ſpecialior* eſt, patetque in immenſam illam ſtudiorum propenſionumque, quibus ingenia in diverſum abeunt, varietatem; cujus declaratione nulla operis pars vacat.

De illa, non opus eſt, ut multa dicamus; cum *Lipſius* ipſe utrumque, quod præcipuæ hoc loco conſiderationis eſſe debet, diſerte complexus ſit: *Quantum nempe in ea cognitione ſit momenti*: &, *Quomodo Præcepta inde univerſim ſigillatimq; ſint petenda.* Gravia ſunt, multumque in receſſu habentia, ideoque paucorum captui expoſita verba, ubi cum Duos Prudentiæ in Humanis fontes tribuiſſet, *Naturam populi*, & *Naturam regni*, addit: *Sane cum omnia diſpexeris, nihil reperies perite ad gubernandum olim aut nunc monitum, cui non hinc ſcaturigo.* Veriſſime. neque dixit modo, ſed probavit. Lege, quæ per totum deinceps opus præcipiuntur; & de cauſis præceptorum ac monitorum cogita: ſtatim redibis ad duo illa capita (*lib. 4. c. 5. & 6.*) ubi Duo fontes, quos dixi, ſe explicant. Etiam quæ præceſſerunt, *in primo & ſecundo libro de*

Virtute,

Virtute, in *Tertio*, *de conſiliandi arte*, *prudentiaque*, profundius meditata, inde ſuas quasdam rationes & illuſtrationes mutuabuntur.

Illud non præterierim: *In cap. ſexto l.* 4. *quadam tradi, quæ non tam Regi ex natura regni, quam tyranno ex dominationis indole competere, ideoque arcanis dominationis* addenda, videntur. Quo conſilio id factum ſit, non indiget admodum dubitatione. *Lipſius* ea reſpexit, *quæ in regnis ferme omnibus fiunt*. Sicut autem *Tyrannides* propterea vocare omnia, inhumanum & temerarium fuerit: ita hebetudinem judicii prodet, qui non obſervabit; *Regna & Principatus præſertim abſolutiores trahere aliquid ex confinio tyrannidis*. Seu humani ingenii ea imbecillitas eſt, ut infinitam poteſtatem inæqualius aut inconſtantius ferat; ſive conſultorum adjutorumque ſtudia, negotiorum caſus, curarum moles tale aliquid bonis etiam Principatibus aſpergunt; ſive denique uſitata magnæ fortunæ pericula & frequentiſſima in inclinandis moribus poteſtas, cum exceptione altioris & adverſus illam poteſtatem cauti animi, accipi debet. Lucem capient, quæ diximus, ſi conſideretur amplius, *Lipſium hic de regnis non in Idea quadam loqui, aut quatenus laudabilia tantum in iis ſpectamus, ſed exempla omnis ævi ſatumque, adeoque imperfectiones, quæ ubique adhærent, indeque exorientia odiorum & inſidiarum* (quæ diſerte tangit) *pericula, in animo habere*. Cum præſertim totus hic locus non ſit *approbationis* ſed *deſcriptionis*.

Characteres Politicos quod attinet, id eſt, *ſpecialem iſtam animorum notitiam*, quæ & late patet, & in omni prudentiæ argumento inſignem uſum præbet, ita hic verſatur *Lipſius*, ut & *multitudinem* in tam modico volumine; & *contextum*, in tam adſtricta forma; & *vim* in alia & plura, quam videtur contextus præferre, valentem admirari liceat.

Producam aliqua è multis exempla *Libro* 1. *cap.* 6. ubi de virtutis altera parte, ſive *Probitate* agit, exempla è medio Civilis vitæ actu maxime inſignia petit, eaque χαρακτηριστικῶς à magnis ſcriptoribus expreſſa. *Probitatis nomine, titulo, ſpecie omnia plena plerumque in rep. eſſe*, vult dicere: ſed hic diſcernendos & veluti nota quadam ſignandos, *quos ambitio falſos fieri ſubegit, magisque vultum quam ingenium bonum habere* (vide hunc characterem apud *Salluſt. Catil.* 10. & ſimul deprehendes,

hanc probitatis ſimulationem, vitæ ſocietatisque civilis, adeoque ſtatus publici felicitatem ac rectitudinem corrupiſſe) eſſe alios qui, pecuniæ præſertim ſubſidio, potentiam & dignitatem, & per hæc famam virtutis adepti, *Clari* tamen *magis quam boni* mereantur haberi (vide quo ſenſu ac fine *Tacitus* 2. H. 10. *Vibium Chriſpum* ita deſignet, & ſimul conſtabit: tales homines virtuti & probitati conſentanea aliquando in rep. ſuſcipere, verum non virtutis & probitatis ſtudio, ſed affectu & privatis ſtimulis, quibus dum obſequuntur, interim publici decoris gloriam affectant) viri autem vere ac civiliter boni, probitatisque publice utilis ſtudioſi longe aliam eſſe notam, qua nimirum apud *Salluſtium* Cato inſignitur, *qui eſſe quam videri bonus malebat*, ſive, ut *Vellejus* vim hujus notæ evolvit. *qui nunquam recte fecit, ut feciſſe* videretur, & quæ plura reperies in tam memorabili charactere, omnino enim adeundus eſt uterque locus, quorum *ille* quidem ipſa comparationis evidentia laudem, quam diximus, illuſtrabit; *hic* gravitate expreſſionis & ubertate, profunditatem ejus commendationis declarabit: utrobique vero, id quod proprie huc pertinet, cognoſcetur; *quantum civilis vita, publicaque ſalus & gloria, præſidii in talibus viris repoſitum habeat.* Nondum ſufficit iſta obſervaſſe: per partes & quaſi ſpecimina probitatis ſignandus eſt actus virorum tam publice utilium. Itaque, ne de ceteris nunc dicam, quam illuſtris eſt character, quo *Tacitus* 4. H. 5. eodem, quo ceteri Catonem, propoſito, *Helvidium Priſcum*, *cunctis vitæ officiis æquabilem*, *opum contemtorem*, *recti pervicacem*, *conſtantem adverſus metum* memoravit. Hæc loca dum adducit *Lipſius*, habemus probitatis civilis non deſcriptionem qualemcunque, ſed evidentem notationem, illuſtribus exemplis nixam, operibus præcipuis fœcundam, comparatione diverſitatis diſtinctam, uſu publico nobilitatam.

Plane ad hanc formam, *caput* 10. *lib.* 1. *ubi de Doctrina, quatenus ea civili prudentia ſervit, agitur*, ſuppeditabit tibi characterem *hominum inutiliter doctorum*, in Græcorum exemplo *ex Salluſtio* (n. 8.) *cum improbitate & ſimulatione doctorum*, ſive *nequitereruditorum*, in Egnatio & ſecundo Carinate *Taciti* (n. 9, 10, 11.) & ex diverſa parte, *viri graviter & efficaciter docti* in *Helvidio* (n. 12.)

(n. 12.) *temperanter & caute docti* in Agricola (n.16.) ut eadem opera nimirum *tum noxa*, quæ ex affectatione doctrinæ & inani ſpecie, *tum utilitas*, quæ ex cordato ſapientiæ ſtudio, denique *utilitatis iſtius varietas*, quæ ex diverſis laudibus, æquali emolumento, in rempublicam redundat, claris ſub exemplis deſignetur.

In *ſecundo Libro*, *Virtutes Principis*, ita conſiderantur, ut ſubinde *practicæ quædam ex ſcriptoribus notæ* vel profundiorem aliquam ὑπόθεσιν indicent, vel conſilii in agendo viciſſitudinem demonſtrent, vel directam vim oſtendant, vel obliquam artem inſinuent, vel apparatum commendent.

Quam eximii ſunt characteres, quibus in *Tertio libr. homines ad aulæ negotia*, *ad aulæ ingenium*, *ad aulæ pompam*, *ad aulæ ſimulationem*, *ad aulæ calliditatem*, *ad aulæ varietatem*, *caſusque*, *diverſis quiſque animorum dotibus aut vitiis idonei*, ſub vetuſtis nominibus deſcribuntur! Nam ad ſingula nunc ire non licet.

Multum poteſt in commutandis hominum voluntatibus & ad ſingularem ſtudii propenſionisque notam reformandis *ætas*, *conditio*, *fortuna*, *tempus*, *locus*, *vitæ genus*, & ſimilia. Itaque cum expreſſione characteriſtica accipi debent illa: cum e. g. *Curtius* Ægyptios *vanam gentem & novandis quam gerendis rebus aptiorem* dicit; cum *Græcorum temporaria ingenia*, *Inſularium improbior animus* paſſim ſcriptoribus memoratur; cum *Juvenes fluxi & dolis capi faciles* Salluſtio exiſtimantur; cum idem Auctor *ſemper tenuiores opulentioribus invidere*, obſervat; cum, *apud victos plus querimoniarum quam animorum eſſe*, item, *per victoriam & res ſecundas etiam egregios duces inſoleſcere*, Tacitus monet; cum illa paſſim ſuggerit (nam abundat hac notationum philoſophia) *tyrannorum animos ad omnes ſuſpiciones pavidos*, *dominationis cupiditatem cunctis affectibus flagrantiorem*, *diſſociabilia eſſe Libertatem & Principatum*, *vernaculam multitudinem laſciviæ ſuetam*, *laborum intolerantem*; quæque id genus plurima occurrunt. Talia, inquam, ſicut apud ſcriptores, præſertim Hiſtoricos, χαρακτηριστικῶς, adeoque, cum fundamento judicii & philoſophiæ politicæ uſurpantur; ita Lipſiano operi tam copioſe, tam opportune, tam ſignanter inſerta, plurimum prudentiæ ſolidioris nervis concinnandis ſuſtinendoque actus civilis ingenio, ea inſervire intelligendum eſt. Eat cordatus Lector per Lib. IV. V. VI.

& obſervet diligenter, *quæ præceptiones generales ex his fontibus deſcendant; quæ præceptiones ſingulares, id eſt, cautiones è profundo, obſervationes ex abdito, limitationes è contiguo, emergant ac exoriantur, nonnunquam & cooriantur.* Videbit, alios complures incidiſſe in hæc talia, Lipſium intraſſe, & ad intrandum amplius (in Lectione puta ſcriptorum) iter emuniviſſe.

CAPUT QUARTUM.

Quo Præcipua Lipſiani operis præſtantia, in delectu Auctorum & Lectorum, particulatim expenditur.

PRogredimur ad primariam & fortaſſe pauciſſimis perſpectam ſatis *Lipſiani* operis commendationem. Scripſit Politica ſua *Forma inuſitata & nova: ita ut è Scriptoribus antiquis verba pariter mutuaretur, & rem ipſam, velut è patria quadam nobiliore arceſſeret.*

Hoc ego inſtitutum ita à plerisque Lectoribus animadvertebam æſtimari, ut jucunditatem ſequerentur verborum, graves ſuavesque ſententias, velut in brevi florum corpuſculo, arridere ſibi paterentur, amarent figuras & illam ſtili Lipſiani καινοπρέπειαν, quam neque hoc ſcribendi genus plane excluſerat. Denique ſumma judicii affectusque in eo ſtabat, ſi Auctoritatem Illuſtrium Scriptorum, in hoc opere, ut in conſpicuo monumento, propoſitam generatim admirarentur.

Verumenimvero, illius *Auctoritatis rationes*, longe altius ſunt repetendæ illis, qui vel *uſum hujus operis*, vel *excellentiam gravitatemque*, quam Lipſius ipſe aliquoties prædicat, penetrare cupiunt. Id quod nemini factu erit facile, niſi qui cum ipſis, ex quibus ſumuntur hæc Politica, ſcriptoribus arctiorem familiaritatem habuerit. Quam ſane multi jactitant, prorſus autem pauciſſimi intelligunt.

Non morabimur in veſtibulo, ſed ingrediemur in domum. Alias vel *Syllabus ille Auctorum ſive index*, quem præmiſit operi Lipſius, poſſet nos admonere, de non temnenda felicis conſilii ratione. *Ipſum totius Græcæ Romanæque antiquitatis nucleum*, ſive *quendam gravioris ſapientiæ veteris Senatum* ibi videbimus,

bimus, *digniſſimaque Prudentiæ Studioſi cognitione nomina, ſelectiore cœtu coacta* recenſebimus, ſimulque illud addiſcemus: *Hiſtoricorum quidem primam in hoc ſtudio ſortem, indeque ut è vero fonte prudentiam civilem hauriendam eſſe* (ſicut in præfatione operis monuit Noſter, & nos alibi demonſtravimus) *ſed tamen reperiri in ceteris quoque vetuſtioris Doctrinæ monumentis plurima, vel ad robur, vel ad ſubſidium adjumentumque, vel ad ornatum civilis diſciplinæ pertinentia.* Sic *illos, qui de variis vitæ officiis diſſertando, conſulendo, hortando ſcribunt, exemplorum explicationibus, & applicationibus, rationum examinationi & declarationi, obſervationum ſubtilitati, fundamentorum profunditati eximie ſtudere*: Sic *Oratorum figuras, ſententias, inventiones ex intimis ſæpe penetralibus civilis prudentiæ promanare*; Sic, *Poetarum nobiliorum curas præcipuum ſui decoris robur reipubl. notitia inſtauraſſe*; ſic *apud alios, quorum ſcriptio longius à propoſito civilis vitæ receſſiſſe videtur, ea ſæpe occurrere monita, quæ non melius præceperint, qui id unum egere*; Sic *privatæ inſtitutionem vitæ aut communem morum diſciplinam, propter arctam cum publico actu communionem, aliquando in declarationis partem vocari poſſe & debere.* Quid multa? *Virum civiliter prudentem & eruditum, ad conſilia arteſque ſuas vel animo meditandas, vel ſermone ornandas, vel actu nobilitandas, ampliſſimo penu inſtructuque indigere.*

Quo fine, *præſertim potiora ex omni antiquitate monumenta Politica, quæ propter formam operis, aut occaſionem tractationis nimis alias noteſcerent*, memoravit, & *crebriori laudatione, tanquam indicio* (quod bene obſervandum) *oſtenſa voluit.* Talia ſunt: *Epiſtolæ Ciceronis ad Quintum Fratrem & Atticum*, *πολιτικώτατον opus.* Sicut & ad *Familiares perſcriptæ* plurimæ, ea civilis prudentiæ ſtudioſo ſuppeditant, quæ tam accurata ὑποθέσεως tractatione alibi fruſtra quæras. Novi virum præcipuæ quondam dignationis, doctrina, rerumque graviſſimarum tractatione juxta exercitum, qui poſt tantam experientiam, peragratamque ſtudiorum amplitudinem, nulla lectione libentius ſenilem prudentiam oblectavit, quam epiſtolarum Ciceronis. In quibus profecto, ut hoc obiter dicam, ex intimo reip. & Prudentiæ Romanæ ſinu multa evolvuntur, quæ præter Ciceronem ſcire aut judicare pauci potuere? Igitur, quæ ad hominum voluntates, conſiliorum propoſita, occultas reipublicæ

labes

labes, converſionis publicæ momenta pertinent, nemo ſolertius in literas retulit. Adde, quæ *Corn. Nepos in vita Attic.* 16, 3. *&* 4. *habet.*

Poſt *Ciceronis epiſtolas*, *Plinii*; poſt hujus, *Senecæ*, Politico valde commendandas & à *Lipſio* jam commendatas exiſtimaverim. Apparebit ita, *in illa ſimplicitate epiſtolari* (quamquam de Seneca aliter hic judicandum eſt) *gravitatem maximam Politicorum dogmatum latere.*

Sic *Rhetorica Ariſtotelis* cur toties hic laudentur, nemo facile conjiciat, niſi qui animadvertit: *Maximum Philoſophum in Alexandri præſertim inſtitutione, totam eam præceptionem ad ſcopum civilis actus direxiſſe, ideoque exemplis maxime Politicis uſum eſſe.* Quod & alii imitati ſunt. certe in *Ciceronis & Quintiliani* oratoriis commentationibus exactiſſima φιλοσοφίας πολιτικῆς placita paſſim occurrunt, quæ vel verborum rotunditate, vel vi præcipiendi non mereantur à Politices ſtudioſo ignorari, cui Lipſius ſubinde per occaſionem ea ſuppeditat. [Hoc loco non pigebit me, ſtudioſos Juvenes monuiſſe; *Rhetoricorum Ariſtotelis librum è tribus Secundum, in quo exquiſitiſſima de habitu, ſtudiis, affectu, varietate animorum & ingeniorum tractatio, alio quidem fine, ſuſcipitur, plurimum ad reconditorem Prudentiam civilem, cujus magnam partem in notitia animorum contineri ſupra diximus, momenti adferre poſſe*, qua de re fors alibi copioſius dicetur.]

Stobæi ſententiis quis in hoc opere & ſtudio locus eſſe poſſit & debeat, facile judicabit, qui *Titulos ad Remp. ſpectantes, locosque communes Politicos* in ea χρηστομαθείᾳ cogitabit. Juvabitur profundioris cognitionis ſolertia in hoc argumento, lectis *Hugonis Grotii adverſus Poëtarum, Stobæo collectos, Prolegomenis.*

Nominavi quædam ex iis monumentis, quæ cum revera Civili prudentia abundent, à paucis eo nomine æſtimantur, ideoque Lipſiano judicio in lucem protrahuntur. De ſimilibus ſimili utatur exiſtimandi ratione, cui *Lipſii politica* penitius introſpicere commodum erit. Nam cetera ſe ultro clarius oſtentant. *Orationes Ciceronis eæ, quas ipſe alibi* πολιτικὰς *vocat*; *Plinii Panegyricus*, *Salluſtii de republ. ordinanda epiſtolæ*, *Mithridatis ad Arſacen literæ*; *Agrippæ & Mæcenatis orationes apud Dionem*,

nem, *Claudiani Panegyrici*, & ſi quæ talia longe lateque diffuſam civilis inſtitutionis tractationem profitentur.

Nobis enim ad rem ipſam propius accedendum, *intimiorque delectus Lipſiani ratio* eſt ſcrutanda. Quam ut in ſuis quaſi cubilibus deprehendat Lector, *inquirat neceſſe eſt & conſideret in ipſis ſcriptoribus loca, quæ à Lipſio adducuntur.* Tenendum enim ante omnia eſt: *Præcipue id ei propoſitum fuiſſe, ut in ſcholas profundiores politicas introduceret his indiciis ſuum Lectorem.* Quare minimum eſt, quod apparet: nobiliſſima quæque è fontibus, quos hi rivi oſtendunt, ſunt petenda. Utitur autem, ut hoc clarius dicam, Lipſius duplici locorum genere: *quædam* πρώτως *& proprie ad informationem politicam pertinent, ſtructuramque hujus operis totam conſtituunt*; *quædam* κατὰ δεύτερον λόγον *& ſubſidiario uſu, potius vinciendæ ſententiæ, nectendoque ornatius corpori, adhibentur.* *Hæc* (ſunt autem pauciora) licet nec ipſa fortuito arrepta, ſed cum delectu huc accommodata ſint, nunc non attendimus: *Illa* vero *plerumque hujus operis* implent, adeoque pleraque omnia hujus laudis vim ſuſtinere poſſunt. Itaque cum pauca de argumento e. g. aliquo verba è ſcriptore antiquo hic legis, adi ſcriptorem ipſum, *invenies eo indicio*, *vel totum communem locum de illo argumento*, *totam diſſertationem & tractationem*; *vel nobiliſſimum exemplum tanquam in re præſenti intuebere*, *vel praxin doctrinæ & applicationem rationemque ipſo prudentiæ conſilio*, *aut prudentis opere*, *operis dexteritate*, *circumſtantibus caſibus*, *indeque emergentibus cautionibus*, *judiciis*, *limitationibus deprehendes.* Talia enim, ex infinita multitudine locorum, quibus eundem ſenſum exprimere potuiſſet Vir πολυμαθέστατος, ſumma delectus induſtria huc conduxit. Sufficere poteſt monuiſſe ſtudioſorum diligentiam, ut hoc præcipue attendant ſequanturque, ſine quo *& obſcura ſæpe*, *& nonnunquam imperfecta*, *ſemper autem minus vivida & valida* erit præceptio Lipſiana. Exempla quid congeramus, & chartam nil niſi εἰσαγωγὴν profeſſam, oneremus mole non neceſſaria? Loquantur pro nobis ipſi Scriptores, ut quemque pagina Lipſiana monſtraverit.

Dicat *Tacitus*, quid ingenii ad aulam, quid moris ad vitam, quid conſilii ad prudentiam, in *Piſone*, in *Lepido* fuerit; quos Lipſius cum reſpectu & parte verborum Taciti,

citi, in *ſingulare exemplum & monitum Modeſtiæ Conſiliario & Aulico neceſſariæ*, advocat 3, 5, 12. & 13. *Hunc ego Lepidum* (inquit Hiſtoricus) *temporibus illis gravem & ſapientem fuiſſe virum comperio.* Agnoſcas ex ipſo tam ſignanter conſtituto principio memorabilis loci & obſervationis conſilium. Et jam exemplum ejus moderationis præceſſerat, quam ſub rariſſimæ artis elogio commendant, quæ ſequuntur. *Nam pleraque ab ſævis adulationibus aliorum in melius flexit: neque tamen temperamenti egebat, cum æquabili auctoritate & gratia apud Tiberium perviguerit.* Remotus ab adulatione & contumacia aut contumaciæ ſpecie (quæ & ipſa tum cum periculo certiſſimo conjuncta erat) nec ſubrepebat crudelibus ſententiis ſævitiæ Principis, quod plerique tum calliditate & obſequio temporum, ut exiſtimabant, ſibi faciendum ſtatuerant; nec contradictionibus tamen audacius utendo Principem ſuſpicacem & libertatis oſorem irritabat. Quæ res admirabili mentis, conſilii, actus temperamento conſtat: cum nihil difficilius ſit, quam apud talem principem gratia ſimul & auctoritate, præſertim diu, valere. Quocirca ſingularis conſiderationis eſſe exemplum Lepidi, amplius oſtendit Tacitus, ſubjecta diſſertatione, qua judicium & approbationem ſuam, veluti per modum *παιδεύσεως πολιτικῆς de illa moderationis arte* declarat. *Unde dubitare cogor*, inquit, *fato & ſorte naſcendi, ut cetera ita Principum inclinatio in hos, offenſio in illos: an ſit aliquid in noſtris conſiliis liceatque inter abruptam contumaciam & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum.* Quo eodem nimirum itinere, pari conſilio temperamenti, decurſo, L. Piſo, cum auctoritate, & citra periculum in magnis dignitatibus perviguit, quodque *in tanta claritudine rarum* erat, non ſævitia Principis, claros viros intercipere ſoliti, ſed *fato obiit.* Sicut amplius videre eſt apud Tacitum, qui, *non ſine emphaſi characteris politici, cum mora & cura obſervationis, exempla tam illuſtria* commentatur. Ad quorum vim nunquam penetrabit, qui adducta tantum à Lipſio verba, relicta totius loci inſpectione, cognoverit.

Ita non ſufficit (3, 6, 8.) legiſſe *de conſultantibus* adducta ex *Salluſtio* verba: *omnes qui de rebus dubiis conſultant*, affectibus *vacuos eſſe decet, haud facile animus verum providet, ubi illi offi-*

officiunt. Adeundus eſt ipſe locus, noſcendumque τηλαυγὲς illud πρόσωπον & vere πραγματικὸν, quod ſuæ orationi præſtruit *Cæſar*: ubi, *veluti per locum communem, cum gravitate ſententiarum, exemplorum momentis, applicatione callida, hoc argumentum ita tractat, ut & Majeſtati curiæ, & decoro ſenatoris egregie ſerviat.*

Ecce de *ſpectaculis & ludicris populo præbendis*, nonne (4, 8, 33, &c.) ea *Taciti* verba attulit, quæ nos deducunt ad *integram tractationem hujus argumenti, duabus contrariis orationibus conſtantem, exemplo illuſtratam, variiſque cautionibus & deciſionibus, ut vocant, politicis interſtinctam*? 14. A. 20. & 21.

Et quod hac occaſione interſerit *dominationis arcanum* ex *Agric. Tac.* 21. nonne *præter utentis conſilium, ipſam utendi artem exemplumque, cum ſucceſſu uſus eventuque eximie & ſigillatim declarata* ab Hiſtorico, ſuppeditat?

Cum (4, 10, 37.) è *Seneca* 1. *de clem.* 9. admonitio mitigandæ conſpiratorum pœnæ aut donandæ petitur, nonne deducimur, *ad integram orationem*, qua in Cinnana conſpiratione, Auguſto *prudentiſſime & accurate* ſuadet *Livia* id, cujus hic ſumma tangebatur?

De *tributorum neceſſitate*, quid potuit illuſtrius indicari (4. 11, 55.) quam *caput* 50. *l.* 13. *Annal. Taciti*, ubi ipſi quodammodo ſinus hujus argumenti excutiuntur?

De *noſcendo Ducis ingenio* (4, 16, 34.) quam gravis & eximia eſt diſſertatio, & admonitio pragmatica *Polybii*, cujus particulam *Lipſius* excerpſit?

Conſidera quæ in *lib.* 6. *c.* 4. habentur *de ſeditionibus*: pervenies eadem opera ad exempla maximarum antiquis deſcriptarum ſeditionum, indeque tanquam ex uberrimo fonte copioſiſſime ea hauries, quorum hic nonnulli obſervantur rivuli.

Sed quid unum & alterum ex immenſa multitudine commemoro? Ubique hæc delectus prudentia occurret, capacem ad hanc diſciplinam animum adferentibus: quippe quæ utramque Lipſiani operis paginam facit, & præcipuum informationis politicæ robur conſtituit.

Illud forte non tempeſtive adjecero, de *Valerio Maximo*, quem *eodem conſilio*, i. e. ut ad totum caput & plura unius argumenti exempla Lectorem invitet, ſæpius laudat Lipſius:

Eſſe illum Scriptorem longe majoris præſtantiæ ; quam vulgo cenſetur. Ac cetera quidem nunc nihil attinet prædicare: illa autem, quæ *Lipſius* hic in animo habuit, & quæ propterea Lectorem Politicorum oportet reſpicere, diligenter cognoſcenda ſunt. Collegit velut in locos communes, exempla dictorum factorumque memorabilium, ſed ſcopo longe certiori quam plerique Eclogarii : *omnia enim ad reip. uſum & peritiam retulit* ; adeoq; (ſicut conſentaneum erat huic propoſito) *ipſo etiam dicendi genere* χαρακτῆρα πολιτικὸν *potius quam* ἠθικὸν *expreſſit, neque qualescunque aut fortuitas ſententias politicas, ſed ipſa fundamenta actus civilis, prudentiæque philoſophiam intimiorem paſſim inſinuavit.*

Priusquam plane hinc abeamus, obſervandum eſt: *omnem hanc Lipſianæ* ἐκλογῆς *ſummam, diligentiſſimique delectus artem* referri potiſſimum ad τὸ παραδειγματῶδες τῆς φιλοσοφίας πολιτικῆς, ſive ad *viam ſtudij politici exemplarem.* Cujus rei ratio longe eſt evidentiſſima. *Civilis Prudentia actum reſpicit, actu conſtat, actu determinatur, actu exſplendeſcit : Actus non niſi in re præſenti æſtimatur, pervidetur, judicatur : Quocirca exempla actus ſunt proponenda, ut prudentiæ præceptio procedat; exempla actus ſunt ſequenda, ut uſus prudentiæ obtineatur.* Exemplorum ratio hic ea nobis intelligitur, *ut conſiliorum optimorum vivam praxin cognoſcamus, quomodo applicata reipublicæ, tractata in negotiis, temperata in eventibus ſint: quid à tractante artis, à tempore momenti, à fato diſpenſationis acceſſerit, & ſimilia.*

Atque id egit præclare *Lipſius*, ut in curias & ſenatorum conſeſſus, in caſtra & Imperatorum conſilia, in militiam & militares artes, munia caſus, indicio locorum è ſcriptoribus nominatorum, provecti, in ipſa rerum luce præſentiſſimæ inſtitutionis diſciplinam ſectaremur. Scilicet hoc pacto Civilis prudentiæ Doctrina *ad ſua incunabula primasque & veras origines* exacte revocatur. Exempla enim actus & ſpecimina, prima capit & indicat obſervatio : obſervatio continuata in regulam proficit : ordinata regularum collectio artem ſuppeditat. Sed quoniam nulla prorſus diſciplina tot à regula exceptiones agnoſcit, ſicut Politica : igitur τὸ πειρατικὸν hujus ſtudii, i. e. ipſa prudentis actus anima non includi præceptis, ſed inveniri in exemplis poteſt, ad quæ *Lipſiana* inſtitutio tam ſingulari artificio ubique deducit.

Cujus

Cujus curæ robur non poſtremum eſt, quod *nobiliſſima quæque argumenta*, *locis non præſtantiam modo ſed eminentiam exempli habentibus, & velut* INCOMPARABILIBUS *inſtruxit*. De *conjurationibus & conſpirationibus earumque eventibus ac judiciis* apud veteres Scriptores nuſquam majori gravitate, copia, expoſitione agitur, quam apud *Curtium* & *in Salluſtij Catilina*. Igitur Lipſ. Polit. 4, 10. hinc inſtituitur dicam, an huc dirigitur? De *Cenſura morum* nemo ſeverius ac intentius tractavit *Salluſtio*, tum paſſim, tum præſertim *duabus orationibus ſive epiſtolis de rep. ordinanda*. Ergo eas *Lipſius* 4, 11. crebro & quaſi ordinarie (ut vel hinc eminentiam interpretari poſſis) in hoc argumento laudat. *Contemtibilis Principis* non majus exemplum antiquitas memorat, quam *Vitellium*. Cujus degenerem animum & maculatiſſimos mores, quibus denique regnum & vitam amiſit, *Tacitus* tam notanter deſcribit, ut Satyrica exagitatio videri poſſit, quæ hiſtorica narratio eſt. Ergo *Lipſius* non modo 4, 12. ubi *de contemtu everſore regnorum* agitur, ſed ubicunque occaſio fert, ignaviæ & ſtuporis hinc exempla & judicia petit. De *bonis malisque, duratione & conſervatione rerump.* frequenter & μάλα πραγματικῶς differit *Polybius*, cujus præſertim *lib. 6.* id argum. fuſe tractat: ſignanter propterea laudatus *Lipſio* 2, 8, 4. *& in not. ad eum l.* De *Neutralitate* (ut conſuetudini largiar nunc vocabulum minime Latinum) *in bellis non civilibus*, quam ſingularis eſt oratio & conſultatio *Liviana lib. 32. & epiſtola Mithridatis apud Salluſt. In bellis vero civilibus*, eſtne ſuper hoc argumento amplius uſpiam diſquiſitum, quam in *epiſtolis Ciceronis, præſertim ad Atticum*; qui ipſe exemplum hominis *feliciter medii quietique* incomparabile haberi debet? Ergo *Lipſius* 4, 9. & 6, 6. non omiſit iſta indicare. Vide, quæ de *Electione* 2, 4. de *Clementia* 2, 12. (ubi præſertim graviſſima conſilia magnis Principibus à magnis conſultoribus ſuggeſta eminent) & 13. de *Tributis* 4, 11. adducuntur Auctorum loca: deprehendes, quod commendavimus modo, conſilium. Atque hæc talia facilius in Hiſtorico aut aliis ſcriptoribus, quam in Poëtis quæruntur. Qui & ipſi tamen interim ſingulari gravitate & expreſſione nonnulla argumenta Politica tractarunt. Pertinet huc *Lucani de*

cauſis Civilis belli remotioribus & propioribus eximia diſſertatio, qua Pharſaliam ſuam exorſus, Hiſtorici diligentiam & Politici prudentiam tam illuſtri exemplo conjunxit, ut rotunditate comprehenſionis, copiaque argumenti merito præferendus ſit aliis, id quod *Lipſ. Polit.* 6, 2. oſtenſum voluit.

Solent, qui Bonos Auctores comparandæ cauſa prudentiæ tractant, quæ *conſultationum deſcriptiones, quæ orationes conſultantium graviſſimæ ſunt optimisque rationibus pleniſſimæ*, notare & inter præſidia ſui inſtrumenti quaſi conſtituere. Tales in Tacito ſunt *incomparabilis illa Tiberii ad Senatum epiſtola* 3. A. 53. & 54. *oratio Caſſii* 14. A. 43. & 44. *Galbæ* 1. H. 15. & 16. *Piſonis* 1. H. 29, 30. *Othonis* 1. H. 83, 84. *Cerialis* 4. H. 73. & 74. *Galgaci in vit. Agric.* 30, & 31, 32. In *Livio, oratio Fabii Maximi ad Æmil. lib.* 22. *Scipionis ad ſeditioſos milites l.* 28. *Hannibalis ad Scipionem l.* 30. quam pæne totam deſcripſit in Politica ſua *Lipſius*. Qui hoc indicio (frequentioris citationis, quam vocant) etiam *Thucydidis, Salluſtii, Curtii*, & aliorum ſcriptorum tam orationes excellentiſſimas, quam eminentiſſima cetera, conſpectius innoteſcere Politicarum rerum ſtudioſis voluit.

Non prætereundæ eſt & illud diligentiæ, *cum ex ipſa Auctorum* ὑποθέσει *propoſitoque judicium delectus ita diſpenſat, ut, exempli cauſa, in rebus virtutem moresque concernentibus, libentius Salluſtium & Senecam Philoſophum, in Aulicis Tragicum Senecam*, ſcriptorem vere Aulicum, *nominet*. Qui nimirum ſingulari ſtudio, in omni ſua ſcriptione characterem ejus argumenti præferunt.

Jam cum totum hoc negotium conſtet partim quidem *præcipiendi gravitate*, partim *applicandi dexteritate*, ſicut antea innuimus, *Illi præcipue, Ariſtotelis Politica & Ciceronis officia* cum *Platone* (licet enim is θεωρητικώτερον ſæpe in materia practica verſetur, magnam tamen in communibus placitis, & quoties cum Ariſtotele congruit, auctoritatem obtinet) *graviores regulas & veluti decreta* ſuppeditant: *huic* vero, *illa exemplorum, cujus fontes prædiximus, ſelectio, copiam & artem ſubminiſtrat*.

Leve videri poteſt & ad decus potius quam ad vim politicæ informationis pertinens, quod dicam, de *exquiſitiſſimo & valde notabili genere paralleliſmi*, cujus exempla ſæpiuſcule occur-

occurrunt, 3, 2, 2. *&c.* *Heſiodi* nobiliſſimum dictum, *cum interpretatione duplici*, *Ciceronis & Livii* adfertur. Mirum hoc in eo ſcribendi genere, ubi tantopere brevitati ſtudetur: eundem ſenſum triplici Auctoritate muniri. Sed nimirum aliud habuit in animo *Lipſius*, quam alias à Philologis in comparatione talium locorum ſpectari ſolet, qui conſilium imitationis, ſimplicitatem interpretationis, gravitatem expreſſionis hic attendunt. Inquire enim *quam inſigni momento applicationis & exempli ſuo argumento Cicero*, *ſuo Livius accommodet Heſiodeam ſententiam*; & apparebit, *ipſa penetralia dicti tam ſecundi lateque patentis recluſa*, *uſusque amplitudinem in re præſenti oſtenſam*. Idem opinari licebit *de* 4, 9, 37, *&* 38. *ſimilibusque*. Affinis eſt parallelismi inſtituto, *explicatio locorum paraphraſtica*. E. g. quid *Tacitus* intelligat, cum Auguſtum *paulatim inſurrexiſſe* memorat, *Dionis* verbis de eadem Auguſti arte loquentis, velut paraphraſi quadam (nam ea aptitudine huc congruunt) *Lipſius* declaratum voluit 4, 9, 33, *&* 34.

Huic ſcrutinio, ut ſic loquar, Lipſiani operis ſi quis amplius inſiſtat, ſubtiliora etiam & plura inveniet, quam nunc tetigimus. Sufficit enim noſtro propoſito, ſi oſtendamus: *Lipſii Conſilium fuiſſe*, *hoc Politicorum opere Lectorem ad penetralia ſtudii civilis ipſaque cubilia non qualiscunque cognitionis ſed veræ ſolidæque prudentiæ deducere. Itaque*, *ut iter recte & ordine emuniretur*, *magiſtros præcipui nominis artisque tanquam duces conductos*, *diſciplinam compoſitiſſimo ordine conſtitutam*, *exempla omnis ævi nobiliſſima delecta*, *præſidia uſus ac ſubſidia proviſa eſſe*: *ea quidem diligentia judicioque*, *cujus hactenus exemplum non habemus*. Licet enim *formam hujus ſcriptionis* concinnandis centonibus nonnulli æmulati ſint, tamen plerique nil cauſæ habuerunt (ut in diverſo inſtituto) cur tam ſolicite hic & accurate verſarentur. Centonem namque adornanti ſatis eſſe poteſt, ſi commoda & præclara loca, exprimendis quæ voluit, adhibeat. Cum præſertim non cauſa & arte docendi res geritur, ſed alia potius ſpectantur. Niſi quod eo conſilio, utilem ſane profectibus diſcentium, *Ethicam* nuper adornavit *Vir Doctus*. An vero ille aſſecutus ſit Lipſianum inſtitutum, quod

quod imitari voluiſſe videtur, nihil attinet nunc diſquirere.

De cetero obiter, & ſtudioſæ juventutis cauſa, idque hac occaſione monemus, *caute & prudenter accedendum eſſe ad ſcribendos centones.* Quorum forte aliquis uſus eſſe poteſt, *in argumentis pragmaticis, quibus vel Auctoritas vel ſecuritas quæritur*, ſicut exemplo magnorum Virorum ſatis conſtat; aut *in ludicris*, ubi ſola delectatio ſpectatur, ſed tum arte & facilitate condecentiaque contextus opus eſt, ſine quibus frigida ac pæne inepta erunt, quæcunque molieris. Certe in vaſto illo *Garciæ Barrionuevo* Panegyrico, quem *Pro-Regi Neapolit. Petr. Ferd. à Caſtro* ſcripſit, nihil inveniat aliquis, quod tanto hiatu dignum ſit, cum præſertim ab Oratoris conſilio, plurimum aliena videatur talis ſcriptio: cujus conatu potius, quam effectu non video cur aliquis celebrari optet. Volo tamen hæc de illis dicta exiſtimari, qui cum faſtu & jactatione variæ Lectionis huc deſcendunt. Nam alias inter eos eſſe & haberi volo, qui *æquam innocua ſcribentibus Libertatem* ſartam tectam cupiunt: nec cenſuris vexanda autumo, quæ cujusvis ingenio arbitrioque condonari poſſunt.

CAPUT QUINTUM.

De Nævis Lipſiani operis.

Diſſeruimus hactenus de præſtantia Politicorum Lipſianorum ſingulari: quæ tamen, ut nihil eſt in humanis operibus perfectum, cum exceptione *Nævorum quorundam* debet intelligi. De quibus nunc aliquid erit dicendum: abſurdum enim foret, diſſimulando iſta prætervehi, quæ jampridem Magnorum Virorum reprehenſionem incurrerunt: nec mihi ſane, aut cuiquam juventutis inſtitutionem profeſſo decorum duxerim, admiratione Auctoris, defectum operis involvere, atque ita latentibus ſcopulis curſum incautorum impingere.

Ante omnia, *quæ Religionem concernunt*, hic notanda veniunt.

niunt. Cum enim (rectiſſime illud quidem) *Pietatem* in ipſis fundamentis civilis vitæ actusque collocaſſet, *frigidius* tamen & *incertius* de re, quæ non poteſt aut debet eſſe niſi certiſſima, poſtea diſſerit, quoties Religionis auctoritate, ſubſidioque opus eſt. Non agam ſcrupuloſius, nec *ſecundum tertiumque caput libri* 1. ultra quam ipſe voluit, examinandum ſumam. Loquitur partim ore gentilium (in quantum ſcilicet ipſi de Religione cognoverunt) partim cauta exceptione facile excuſantur, ſi quæ minus profunde dicta videntur. At vero cui ſatisfaciant, quæ *de Fato* tradit *cap.* 4? Certe qui non aliter *fatum* cognoverit, nihilo plus ſciet quam Stoici veteres, quorum dictis nimis religioſe & *ἀβασανίστως* attendit *Lipſius*. Et quam cæca eſt illa *Patientia*, quæ ut fructus Notitiæ fati ab ipſo ponitur? quam hebes illa *Scientia*, qua obſervari jubet, *quemadmodum omnia ſurſum ac deorſum ferantur*. Qua occaſione, *cum Hiſpanis Monarchiam polliceretur*, ſtatim monet, *quo fatorum inclinet ſavor & potentia rerum tranſeat, eodem animos eſſe inclinandos cum conſiliis & obſequiis* (vid. *Not.* ad 1, 4, 33. & 1. *de Conſt.* 16.) Hic mihi idem videtur dicere, quod apud *Lucanum Photinus*:

Tu cole felices, miſeros fuge.

niſi quod *ille* de negotio certo & præſenti, callide; *Lipſius* de re, quam futuram eſſe, neſcio in quibus fati tabulis legerit, temerarie etiam pronunciat. quid pronunciat? imo vero, palam poſtea deſerit priores partes, & ad novum illum Solem orientem, quem ſpeculatione fati augurabatur, animo, moribus, religione deſciſcit (vide *Petr. Denaiſii diſſert. de Idol. Hall.*) non jam memor fati, quod temporarios homines averſatur & punit. Equidem hujus magiſtri vocem & exemplum ſi attenderent homines, mora nulla eſt, quin fidem erga ſuperiores multi paſſim exuerent, verſoque ad increſcentem alterius potentiam affectu, egregia ſcilicet pietate, fatum ſequerentur.

Non poſſum, quin hoc loco diligentiſſime moneam Civilis Prudentiæ Studioſos, ut *Doctrinam Fati* ſibi quam commendatiſſimam eſſe patiantur. Vere *fundamentalis* eſt, reſpectu totius Prudentiæ, illa cognitio. Quæ conſiliis profunditatem, actui rectitudinem ſuppeditat. Certe in Majoribus

illis, quæ ſtatum publicum concernunt proviſionibus, niſi hanc normam ſingula ſequantur, univerſa vacillabunt. Sed petenda eſt ea informatio, *non è gentilium ſcriptis*, quæ tenebris & ambiguitate omnem hanc philoſophiam implicant: *Sed è puriſſimis clariſſimisque oraculis divinis, graviſſimorumque Theologorum declarationibus*; quæ non patientur quenquam hæſitare ad ſcopulos *neceſſitatis*, aut cæcutire ad tam perſpicuam ſeriem cauſarum eventuumque, quibus ordinarie ſuprema illa vis non intercedit cogendo, ſed diſponendo intervenit. Sunt quidem (nec diffiteor) multa in hoc argumento, quæ nec poſſunt captu humano comprehendi, nec debent curioſitate humana inveſtigari. Sed hoc prætextu ignaviam velare nefas fuerit, ad ea etiam ignoranda, quæ cognitioni noſtræ Divina Bonitas expoſita pariter & commendata voluit. Qua in parte, forſan erit, ut & nos aliquid elaboremus: qui pridem *Theatrum Fati* delineavimus.

Pergendum eſt ad cetera, quæ *de una Religione*, *de puniendis aut tolerandis diverſa ſentientibus*, lib. 4. cap. 2. & 3. & 4. tum *in lib. adverſus dialogiſtam* diſputat *Lipſius*. Non fuerit autem operæ pretium ſingula examinare, cum potius univerſim monendi ſint Juvenes Studioſi, *ne tales quæſtiones Lipſio velint magiſtro diſcere.* qui ubique ſibi ſimilis eſt, id eſt, *in Re Theologica aut quocunque modo ad Religionem pertinente lubricus, anceps, vagus, in omnes formas mutabilis*: qui modo aliquid largiri, modo adimere rurſum cupiat. id quod neceſſe eſt accidere homini vera religione ſerio nunquam imbuto, Sacrarumque literarum penitus experti. Sequamur ergo firmiores in hoc argumento Doctores: quales è Theologis & JCtis, maximi quique ſolidioribus nixam fundamentis doctrinam expromunt ac explanant. Illud non omittendum eſt, quo ſeipſum prodit damnatque Lipſius; æterno cum dedecore famæ, quam unam videtur in omni vita quæſiviſſe. Cum enim *in prioribus Politicorum ſuorum editionibus lib. 4. cap. 4.* pro libertate religionis, *adverſus Pontificiam crudelitatem & Hiſpanicam inquiſitionem* (quam nemo bonus unquam probavit) quædam ſcripſiſſet: in poſterioribus editionibus, tanquam non à religione modo ſed

à ſana

à ſana ſimul mente defeciſſet, partim *omiſit ea* (ſcilicet quæ in *Fremsbemiana editione* reponuntur n. 7. 9. 12.) partim *ſimpliciter & ingenue dicta mutavit*. A principio cum propoſita eſſet quæſtio, *an quietus puniendus?* Statim ſubjicitur in prioribus ed. *Non videtur. Tacere liceat*, &c. in poſterioribus interjungitur cautio, ne magiſtrorum crudelitatis Papalis aures offenderentur: *De quietis temporibus non diſputo: de turbidis ambigo. & interdum illa valeant, Tacere liceat* &c. Ecce qui antea ſimpliciter pepercerat, nunc tempora diſtinguit, & quietis temporibus diverſæ religionis homines quamvis quietos puniri vult; turbatis, differt pænam, ſed interdum; per rationem ſtatus, cujus pæne addidiſſem dignum epitheton. Ita cum *n.* 10. legitur; *Vide ne in ſtatu ſimili, tutior via altera docendi ac dubitandi*: Priores editiones longe cordatius; *quanto mitior & tutior via altera d.* cum dicto Bernhardi: *Fides ſuadenda eſt, non imperanda.* Denique ut agnoſcas plane mutatam in aſperiora omnia mentem, *recentiores editiones* n. 16. cruentum iſtud pro Hiſpanica inquiſitione inferciunt, quod *Priores* non habebant. Præceſſerat ex Lactantio: *Multo firmior eſt fides, quam reponit pœnitentia*, atque id ex Lipſii adhuc ſani mente. poſtea *ſemi-Jeſuita*, ut ipſe ſe vocat, ex novæ ſacramento diſciplinæ addit: *Etſi pœna etiam ſæpe repoſuit &* lentis tepidisque animis quod cohortatio quieta non ſuaſit, minax ſubito terror extorſit. quod *Proſperi* dictum ſcilicet in fucum & ſpeciem huc advocandum erat. Credidiſſem aliorum potius, quam ipſius ingenio tantam μεταμόρφωσιν in eodem libro accidiſſe: niſi ſimilibus indiciis pluribus, poſt defectionem ſuam, hujus quoque vanitatis fidem affirmaſſet.

Supereſt, ut de κακοπραγμοσύνη illa aliquid dicamus: quam per occaſionem, nimium facile admiſit in ſua Politica *Lipſius*. Eſt alias inter elogia ejus operis, quod *Arcanorum Doctrina*, quam alii peculiaribus libellis in ſpeciem novæ commendationis adornarunt, *hic paſſim & copioſe traditur.* Sunt autem *arcana Politica*, ut omnes norunt, non uniusmodi. *Quædam* enim *bonis & licitis imperij artibus* accenſeri debent: *quædam ambiguæ æſtimationis* ex conſilio utentis ac προαιρέσει, modo in artibus

gerendæ reipub. modo in flagitiis dominationis numerantur: *quædam prorſus & manifeſte flagitioſa ſunt*; quæ ut ab omni civili actu penitus diſcludantur, jubet Religio, jubet Honeſtas, jubet ipſa Salus Publica; cujus magnifico nomine velare iſthæc talia, receptæ paſſim artis eſt. Ita dico, receptum paſſim eſſe hunc morem non in actu modo, ſed in ſcriptis etiam Politicorum. Utinam enim ſolus hic peccaſſet *Lipſius*: de quo ſolo interim nunc ratione inſtituti noſtri eſt agendum. *Maculam enim graviſſimi operis non levem duco, confuſa cum artibus licitis flagitia dominationis & ſcelera: quæ aliquando admittit, aliquando ſuadet, aliquando commendat.*

Non dicemus nunc, *quod* 3. 10. 17. & 18. Tiberii conſuetudinem, *eminentia ingenia ſuſpectantis, mediocria tantum quærentis & promoventis* (quæ haud dubie tyrannicam ὑπόθεσιν habet) commendat; *quod* 3. 11. 5. *Seneca ex Hippolyto* dictum (*Malus eſt miniſter regii imperii pudor*) aulicis miniſtris ſuggerit, cum tamen à peſſima muliere, peſſimo propoſito, in re peſſima uſurpatum ſit, & ἀμέσως præceſſerit: *verum juſta, qui Reges timet, Deponat; omne pellat ex animo decus*: *quod Severi* adhortationem ad filios 4. 7. 12. inter conſilia firmandi principatus referre dignatur: *quod* illam Auguſti artem primariam, qui *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit*, 4. 8. 20. & 21. ſine ἐπιπλήξει & cautione, quam locus Taciti deſiderare videbatur, ſuadet: ſicut & illud alterum 4. 9. 34. *Inſurgere paulatim, munia legum & magiſtratuum in ſe trahere*, quæ quaſi regia ad tyrannidem via eſt. Talia, inquam, plura paſſim occurrent, quæ licet opprimendæ libertati, aut firmandæ tyrannidi adhibita legantur iis locis, quæ à Lipſio adducuntur, *poteſt tamen, derelicto uſurpantis conſilio exemploque, res ipſa nuda, ad puritatem quandam redigi; poteſt verborum τὸ γνωμικὸν potius quam νοηματικὸν ſpectari; poteſt diverſa ad diverſum argumentum accommodatio intervenire; poteſt inflecti ſenſus & in meliorem partem inclinari*, cum præſertim pars diſciplinæ politicæ ſit, *in legendis auctoribus diſcernere quidem diligenter, qua quidque mente factum ſit, quo facientis conſilio gubernatum; interim tamen non negligere ea, quæ ſiniſtro propoſito ſane, ſed bonis ſenten-*

tiis

tiis ac rationibus geruntur : quas ſegregata perſonæ hypotheſi, recte nimirum licet ac ordine rebus accommodare.

Illa vero ſine dubio *flagitiis dominationis* accenſeri, neque ullo pacto commendari à Lipſio merebantur : *voluptatibus enervare bellicoſorum ſubditorum animos* (4. 8. 34. *&c.*) *ſua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem ducere* (4. 9. 57.) *ad quietem domi conſervandam bella inferre aliis* (4. 9. 62.) *ſocietatem alterius palam induere, ad alterum per occulta & magis fida inclinare* (4. 9. 83.) cumprimis vero atrociſſima illa & ſceleſta mihi ſemper viſa ſunt, quæ habentur 4. 11. 41. usque ad 45. eodem *cap.* (n. 59. 60. 61.) *prætextus tributorum & magiſtri exactionum, cum avaris adulationibus,* quas Plinius vocat, è media tyrannorum praxi, ut ſic dicam, inter artes Principis reponuntur. *cap.* 14. *lib.* 4. *n.* 51. &c. quam *hæret*, ut ipſe loquitur, *& ſudat*, cum de *fraudibus & deceptionibus* agit, quis non videt ibi conſcientiam & vafritiem inter ſe pugnare? *Eod. cap.* n. 84. *privilegia ſubditorum flecti aut frangi, prout uſus poſtulat, debere*; n. 85. *aliena propter metum, ne ab alio occupentur, opprimenda eſſe*, ſtatuit. In bello ad exemplum Philippi Macedonis nulla videtur ei ratio vincendi turpis. hinc eſt, quod *mittere corruptores*, & *exuendam ad fidem hoſtes emercari*, inter ſolertiæ militaris conſilia habet 5. 16. 37.

Hæc & ſimilia dum admittit *Lipſius* inſtillatque, ſane nôn uno modo peccat. *Primo* enim meminiſſe debebat, quæ de Virtute fundamenti loco in civili actu uſurpanda *lib.* 1. diſſeruerat : cujus tam eximiæ diſciplinæ hac ratione primus dememinit. *Deinde*, perverſam illam *Rationem ſtatus*, quæ à nonnullis vocatur, damnatam à ſe deſcriptamque (2. 10. 11. *&c.* 2. 14. 13. *&c.* 4. 14. 62. *&c.* 5. 3. 7. *&c.* 6. 3.) tacite rurſum admittit & amplexatur. *Adeoque* non effugit quin inter eos nomen ſuum proſtituat, *quibus omnia Principum honeſta atque inhoneſta laudare mos eſt.* quo charactere *Tacitus* 2. A. 38. 5. μοναρχικὰς κόλακας notat.

Et profecto, ſi verum amamus, *illa ipſa cauſa* eſt, quæ non Lipſium modo, ſed Politicorum pleroſque, in hæc vada abripuit. *Vident*, inquam, *à Magnis hominibus uſurpari talia cottidie & inter ſpecimina prudentiæ oſtentari. hos excuſare quam*

 accu-

accuſare malunt. Sed ne ſilendo quidem prætervehuntur: *ne videantur ignoraſſe, quid actus vitæ ſuppeditaret, & quantum aulæ artes diſtarent à præceptionibus ſcholæ.* Hinc *pruritus jactandæ peritiæ politicæ*: qui ubi ſemel invaſit animum, rectiori diſciplinæ perpetuo obſtrepit. *Scholaſticos, imperitos* incipiunt vocare, non tam qui neſciunt iſta, quam qui improbant. Accedit quod *divina Auctoritas, cœlique leges, vix admittuntur alicubi aut requiruntur ad negotia humana.* qua de re, non eſt hujus loci, ut plura dicamus.

Non immerito Viros Graves & Doctos pridem offenderunt hæ Lipſiani operis maculæ: de quibus ſerio admonenda eſt juventus ſtudioſa, non quidem, opinor, ut plane abſtineat tam memorabilis in cetera diſciplinæ monumento, cujus & methodus & profunditas hactenus eſt incomparabilis: ſed ut tum hic, tum alibi (quotusquisque enim ſcriptorum non abblandiri ſibi paſſus eſt argutias ejuſcemodi?) ſcorias ab argento diſcat ſeparare, id eſt, omnia explorare judicio, ſequiora magnanimitate quadam ſapiendi rejicere, meliora autem conſtantia bonæ mentis amplecti.

Cujus inſtituti rectioris duo ſuggeſſerim adminicula. *Primo* quidem, *præceptiones & dogmata politica* (quæ & generalius & in reſpectu exempli actusque neceſſe eſt tradi) *penitiore Juris fundamento ſolidanda ſunt atque communienda*: ubi ante omnia occurrit *Jus illud*, quod cum veteribus *Publicum* vocamus: *à ratione recta ſuppeditatum, ſapientum voce affirmatum, gentium rationi & ſapientiæ attendentium uſu percultum.* in quo genere eximia ſunt, quæ *Cicero in officiorum libris* pertractavit: quos qui ethicis libellis annumerare ſatis habent, magno in errore verſantur. Recentiorum etiam labor, præſertim *Hugonis Grotii de jure belli & pacis commentarius*, proprie huc ſpectat. Ex his enim fontibus profluxiſſe, quæ *civilis nomine juris ac privati* laudantur, aliis abunde jam oſtenſum eſt. Pertinet huc, quod *Carolus Paſchalius in legato c. 15.* cenſet: *ſcientia civilis* (*πολιτική*) *meo quidem animo tribus rebus cenſenda eſt; Cognitione juris, peritia hiſtoriarum, eloquentia.* Scilicet ratio *facti* in *jure* quærenda eſt: ad quod niſi congruit, cauſſa approbandi jam ſublata eſt.

Alte-

Alterum ſubſidium, etiam firmius eſt priori, ideoque maxima induſtria comparari à Studioſis Politices debebat, *Theologia ſcilicet gravioris, ſanctioriusque Prudentiæ regula.* Niſi hæc nos dirigat in humanarum rerum fluctibus, in perplexis caſuum, in incertis actuum: neceſſe eſt quantamcunque ſolertiam decipi, errare, labi. *Illa* ſupplebit, in quibus ratio deficit aut cæcutit: *illa* Hiſtoriæ oculus erit, efficietque ut per theatrum divinæ gubernationis incedamus cum perſpicacia & judicio: *illa* ſubdolum publicæ nequitiæ glaucoma, *quaſi ſine malis artibus reſp. geri non poſſet*, perpetua exemplorum luce longe amolietur. *Illa*, ſi Florentinus aliquis veterator ſummam *κακοπραγμοσύνης* inſuſurrat,

Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit; ſtatim demonſtrabit, fieri ſane interdum, ut dolum & vim aliquantiſper ſucceſſus comitetur, ſed paulo poſt, *vim ipſam, nequitiam ipſam irreparabili lapſu & horrendo ruere, regnisque ingentibus ingentem perniciem conſciſcere. Illa* majeſtatem ſceptrorum poteſtatemque attollet ac venerabitur, ſed usque ad aras, & ita, ut eadem opera *ad exemplum Altioris Majeſtatis Minorem componat.* Quocirca pernicioſus in publicum error exiſtimandus eſt, ſi accurata S. Literarum meditatio, & Theologicarum commentationum cognitio, ſolis relinquatur Theologis. quorum ore ſubinde ſolent loqui Eximii publicarum utilitatum tractatores, ut rectius loquantur.

CAPUT SEXTUM.

Continens duo Corollaria hujus Diſſertationis. quorum primum *de erroribus quibusdam generalibus in ſtudio Politico;* alterum *de Hiſtoria Taciti, admonitionem ſuppeditat.*

DEvitatis, quos oſtendi, ſcopulis, facilis & felix per cetera curſus erit: ſi præſertim ſtellis viam deſignantibus oculos diligenter advertamus. qua de re ſupra paucis, ſed quæ de pluribus admonerent, actum eſt. Hic, in vicem corollarii, & ad incitandam cogitandi induſtriam, adjicimus: *Lipſii Politica eo quoque argumento eximia haberi debere, quod Errores plerosque genera-*

generales, qui ſtudium Politicum implicant aut infirmant, ipſa Diſciplinæ ſua ratione inſtitutoque ultro ſubmovent arguuntque. Tales ſunt: *Politica ad ſubtilitatem contemplationum ubique exigi poſſe*, quod Platoni fraudi fuit; & ex diverſo: *Politica ſolum actum, à poſteriore* ut loquuntur, *reſpicere, omnem à priori philoſophiam aſpernari*, quod Machiavello iſti in multis videtur fuiſſe propoſitum: *prudentiam Civilem per ſyſtemata præceptionum tradi penitus diſciq; poſſe*; quod Encyclopædiſtæ hodierni (liceat hac appellatione uti) credunt: *poſſe prudentiam civilem ſolo uſu, abſq; ſtudiorum adminiculo, conſummari: poſſe hoc ſtudium abſq; prævio aliarum artium paratu tractari: poſſe prudentiæ actum à virtutis actu auſpicioq; ſeparari: ſitum eſſe hoc ſtudium in extemporali facultate de rebus vitæ communis diſſerendi, dicta jaciendi, &c. Quæſtionibus & florilegiis rem expediri poſſe, adeoq; eſſe hoc ſtudium amœnitatis potius in cognoſcendo, quam laboris in ſapiendo.* Quæ omnia, cum ſimilibus, nunquam credet, qui Lipſiani operis conſilium artificiumque penetraverit.

Antequam plane finiamus, non abs re videmur facturi, ſi de illa quoque Lipſiani conſilii parte aliquid dicamus, quæ præcipuum plerique operis fontem, *Cornelium Tacitum* conſtituit. *Nonne enim is ſcriptor eſt*, inquiunt nonnulli, *qui potiſſimam ſuæ hiſtoriæ partem tyrannicis artibus actibusq; commemorandis implet, quibus ſcilicet facilius mali Principes in horribili illo κακοπραγμοσύνης myſterio, quam boni in εὐπραγίας publicæ negotio informari queant?* Bene equidem cum ſtudiis quibuscunque comparatum eſſet, ſi de ſingulis monumentis ii tantum judicarent, qui legerunt & intellexerunt. Sane, qui Tacitum legerunt, ſciunt apprime, *hæc talia ipſum non ſcripſiſſe ut doceret, ut approbaret; ſed potius ut è latebris ſuis eruta infamia publica notaret, quicquid eſt arcanorum flagitioſorum & inanium; item arcanorum domus & dominationis.* quibus ille vel ſolis nominibus ſatis caviſſet, ne quis pro imperandi artibus arriperet; etiamſi non eſſent additæ (ſunt autem magno ſtudio paſſim & cum emphaſi additæ) graviores cenſuræ. Sicut itaq; Elenchi Sophiſtici ab Ariſtotele ſunt traditi, non ut iis uteremur, ſed ut conſtaret nobis de deceptione & ſimulacris τῆς φαινομένης σοφίας, ἀλλ' οὐκ οὔσης, quæ ſummo ſtudio vitanda eſt: ita, ut rectiorem gerendæ reipub. viam Principes inſiſterent, deteriorem non oſtendit modo ſed vituperavit Tacitus; ratus nullo validius argumento ad fugienda talia homines impelli poſſe, *quam ſi metu*

infa-

infamia apud poſteros deterreantur, id eſt, ſi videant, hiſtorica libertate omnia denique clam patrata in publica luce collocari, ac deteſtationi poſteritatis exponi. Quod autem *talia ab iis poſtea arripiuntur, qui nec tyranni, nec tyrannidis adjutores cenſeri volunt; quod multi in talibus ſapientiæ civilis arcem conſtituunt: ejus rei culpa adeo non eſt Taciti, ut neminis auctoritate potius convinci poſſint, quam ejus, quem magiſtrum videbantur delegiſſe.* Ecce enim, quid clarius cogitari poteſt? Quod *Tacitus* tyrannorum nequitiæ tribuit; iſti Principum prudentiæ accommodant: quod *Tacitus* reprehendit ac objurgat; iſti commendant & exoſculantur. Itaque, qui hoc conſilio Tacitum Principibus & Politicis viris, pro magiſtro prudentiæ commendant, ut vaframenta notis infamiæ monſtrata inter egregias artes amplexentur: illi ſane de tyrannidis propoſito aut admonent eos aut arguunt. Sine ulla id quidem Taciti noxia. In quo longe alia ſunt, quibus Prudentiæ ſtudio & Lipſiani operis inſtituto prodeſſe poteſt, qua de re alibi eſt à nobis fuſius actum. Illud unum hic ſubjicio: *non male tantum aut vafre facta in Taciti hiſtoria memorari, ſed plurima egregie excogitata, proviſa, conſtituta, geſta, exponi; eſſe præterea illam ipſam docendi Methodum in omni diſciplina perſpicuitate & efficacia validiſſimum, ſi malorum notatione & oſtenſione, bonorum rationes inſinuentur ac concilientur, adeoque è contrariis contraria colligantur.* Quod ad nævos Taciti attinet (*cæcitatem dico in negotio Providentiæ, ſiniſtrum de Chriſtianis judicium, de Judæorum rebus fabulas*) nemo opinor tam abſurdus erit, quin ſponte intelligat, *Tacitum, quotieſcunque commendatur*, cum exceptione paganiſmi (intelligo autem & quos impreſſit paganiſmus ſcriptis, proprios quaſi characteres) commendari. Quamquam in *tertio* ſive *rebus Judæorum* nil mirum eſt *Tacitum* aberraſſe, ſicut oſtendit *3. de republ. Hebr. 4.* doctiſſimus *Cunæus.*

V.

Σύνοψις

DE LEGATO,

Occaſione Polybianarum de Legationibus Eclogarum, ex Hiſtoriis collecta, eorumque qui de hac materia præcipuè ſcripſerunt, auctoritate illuſtrata.

Proœmium.

MUltos ab uno regi & unum multis præeſſe, tam eſt præclarum, ut nihil ſit in terra ſanctius, nihil ſplendidius; *Illud*, quia Deo ſimillimum; *Hoc*, quia ad hunc ſplendorem univerſi mortales obſtupeſcunt. Hoc ipſum tamen, quam arduum ſit, quam periculoſum, imo quam miſerum ſæpe, (*Sueton. in Domitian.*) multa oſtentatione non docebo. Docet Ratio, docentque Exempla (*vid. Lipſ. in præfat. Polit.*) Docent tamen ita, ut videre ſit, plures *Legatorum ſuorum perfidia* aut periiſſe plane, aut extrema prope fata ſibi ſuiſque accerſiſſe. Ideo ſane Princeps, nullam rerum ſuarum partem cautius exigere debet, quam Legati. Quem hic quoque, nullius ambitionis, ſed ingenii exercendi cauſa, breviter nec obſcure tamen in quibusvis partibus ſui muneris oſtendere propoſui. Et quanquam per totam hanc viam Dux mihi erit *Polybius*, qui præcipue, hoc quicquid eſt, rei, ſcribendi occaſionem obtulit; Si quid interim ex recentioribus, qui labore nec inutili, nec indecoro, in hac parte Politices ingenium exercuere, ſcripto meo vel inſpergam paſſim, vel adjungam, veniam mihi deberi exiſtimo.

THESIS I.

L*Egatum dico qui publicè lectus, non ſorte ductus* (*Gentil. de Legato lib.* 1. *c.* 10. *& Paſchalius c.* 1.) *alio mittitur, ut publica negotia non vi, ſed ingenio, non marte ſed arte mittentium autoritate ac nomine procuret*

curet & promoveat. Neceſſarium itaque eſt, non videri in cortice, ſed quæri in medulla, Legati Genium, mores, famam, cæteraque non utilia modo huic muneri, ſed quam maxime neceſſaria. Adeoque in Senatu Romano excellentiſſimi quique legabantur. Neminem ſuffragiis populi fultum, neminem favore aut neceſſitudine cum Principe vel Optimatibus fretum, ſolos Virtute ſua Prudentiave nixos huic muneri præſtare paſſa eſt veneranda Antiquitas, quamvis non pro ſuo ſemper, ſed eorum quoque quos adiri oportebat, lubitu, legationes etiam decreverit. (*Paſch. cap.* 1.)

II. Accedamus ad rem propius, *ad varia Legatorum nomina.* Præter enim Auguſtiſſimum hoc, quodque non niſi magnis magnorum Imperiorum Legatis proprie convenit, dicuntur à Græcis *πρεσβεῖς,* qua voce ſenilem Legatorum prudentiam exprimere viſi ſunt. Latini pluribus adhuc nominibus eos coluere. Fuere enim ipſis *Oratores*, *Feciales*, *Caduceatores ſeu Pracones & Nuncii.* Frequentiſſima eſt *Oratorum* in Autoribus appellatio, qui, quod ineffabilem Orationis efficaciam animadverterent, Legatos ſuos *Oratores* nominarunt. *Feciales* Romanis Imperatoribus Conſulibusque in bella proficiſcentibus, comites adhibiti, bella indicabant, deque violatis Legatis conſtituebant. Primus eorum *Pater patratus* dicebatur parentem ſcil. filiumque habens. Proximus ab hoc *Verbenarius. Illi* deditiones, captivorum venditiones aliaque incumbebant; *hic*, quæ à Legatis ſolenniter peragerentur, cum ſacra herba *Verbena* & *Sagmine*, & quæ cæteræ ſunt hujus rei ceremoniæ, ſolenni ritu firmabat. Eorum in univerſum viginti erant, & in rei cujuslibet actione , duorum ad minimum præſentia requirebatur, felicioremque ſæpe quam ipſi Legati, eventum ſuæ rei habuere. His in quibusdam ſimiles *Caduceatores* ſeu *Pracones*, nam & hi bellorum nuncii mittebantur, queſtum injurias & res repetitum (*Polyb. in excerptis legationum cap.* 4.) Non unius tamen fuere generis. Eorum enim quidam ſacra curabant, alii Pompas publicas procurabant, cæteri rebus forenſibus occupati tenebantur. Primi illius generis, originem ſuam cum Diis immortalibus conjunctam voluerunt, qua propter ubique & in medio aciei fervore inviolabiles. Velabantur tamen *Caduceatores* cum

ſupplices advenirent, Oleæ ramo vittisque, & in hoc abſimiles *Fecialium*, qui ſplendide plerumque incedebant; Illorum officio functi ſunt deinde ipſi etiam Conſules. Dicti autem ſunt Caduceatores à *Caduceo*, quod erat Legationis inſigne, illudque tanta ſuperſtitione ſanctum habebatur, ut ab omnibus ſub Sole gentibus pari religione coleretur, obſervaretur pari reverentia. Adeoque ubivis locorum tuti, Legatis eundi veniam impetrabant. (Polyb. cap. 24.) Traxit autem hinc originem, quod Mercurius in Arcadiam proficiſcens, poſito duos inter ſerpentes baculo ſubito placarit diſſidentes. Inde quicunque litium componendarum gratia proficiſcebantur, hujusmodi virga, cui duo angues inhærent,utebantur. Horum loco nobis ſunt *Æneatores, Araldi, Tibicines, &c.* quos Caducei loco, veſtis Imperii ſui coloribus ſignata inviolabiles præſtat. Rariſſime Legati, *Nuncii* dicebantur, niſi per irriſum vel apud minores ſuo principe, Legationem obeuntes. (*Paſch. cap.* 2, 3, 4, 5.) Dignabatur denique Legati nomine *Præſes à Cæſare in provinciam miſſus*, non ut partem ullam hujus muneris exequeretur, ſed diſtingueretur à Præſide illo populari. (Gentil. lib. 1. c. 1.)

III. *Originem* Legationis non aliunde deducam quam à neceſſitate, in utroque tempore belli ſcil. pacisque. *Illic* cum viribus exhauſti armisque victi mortales pacem optarent, Legationem *neceſſitas invenit*. *Hic*, cum graviſſimis forte Princeps negotiis domi detineretur, Legatione *opus fuit*, in qua cum primas ſpes fortuna deſtitueret, non puduit iterum tertiumque inſtare, cum viderentur futura præſentibus fore meliora, donec ſpe irrita ne nimiæ preces timidos proderent, in armis quoque præſidium quæſiere. (Curt. lib. 4. Paſch. c. 6.) Propiores nobis ſunt origine Caduceatores & Feciales *Solennes*, nam de *communibus* illis nihil dubito,quin prima mundi ætate eorum uſus floruerit. (Gentil. lib. 1. c. 20.) *De Reſidenti Legatione* nihil dicam, quæ ultimis temporibus ſuis fraudibus erupit, quicquid dicat peritus alibi, hac ſane in re, non adeo veritatem ſecutus, eam eſſe à Provincialibus Legatis ad nos propagatam, cum jam eo tempore *plus quadriennium* apud exteros morarentur. (Gentil.ib.) Quod tamen ita intelligas, eos faſtidioſa cunctatione ſui muneris eventum expectaſſe, nec otioſe alibi deſediſſe.

IV. Nunc pergo ad cætera Legationum genera. Præter enim

enim ea quæ ſupra dixi invenias, qui *per cauſam hæreditatis, ſucceſſionis, mercaturæ* alienæ ſe ditioni committunt, re ipſa autem *Legationem clam obeunt.* Cujus generis etiam ſunt Legati ſpecie, ad *componendas in Religione lites miſſi*, re conſilium capturi, *qui una mole Chriſtianos obruant*, nec ipſorum *Exulum* nomen Legationi huic nimis vile viſum eſt. Denique omni narratione notior eſt aſtus, quo Principes vel *inviſis ſibi vel ratione alia ſuſpectis Legationes obtrudunt* (*Sueton. in Tiber. & Oth.*) *vel injungunt periculoſa bella*, ut recentiſſimo exemplo ipſe animadverti in —— —— Monerem igitur Regnorum Proceres, ne id genus Legationes obirent, niſi creberrimus earum uſus efficacior omni monito cautionem iis præſcripſiſſet. Hoc tantum dico, non uno impetu Legatum dimitti conducere, nec quidem aſſumendum eſſe nomen, priusquam ad exactam cognitionem omnia exegerimus. (Paſch. cap. 7.) *Divinis* denique *Legationibus* ſupremus Rex omnium, fungi apud mortales voluit *Angelos, Apoſtolos, Prophetas ipſumque Chriſtum.* Poſt quas ſacras quoque vocare volunt quidam eas, quæ ſunt à Rom. ſummo Pontifice, vel ad eum. Cæterum, Divinæ hæ Legationes inquinandæ non ſunt fœda mixtura, *Oraculorum, Augurum, Somniorum interpretum, Aſtrologorum, Divinationibus quæſtuoſarum mulierum.* Aliorumque ex quibus in eventus inquirere ſolebat ſuperſtitioſa Antiquitas, nec hodie heu! abſtinet plerorumque hominum inſania.

V. Negant autem è dignitate Principis eſſe, *in unius* humeros diverſa diverſorum negotia transferre. Præter enim quod mittentium Autoritas vacillat, dum excellentium virorum aut inopes aut negligentes creduntur; Ipſi quoque adeundi Principes contemni ſe putant, tanquam non digni ſatis ac illuſtres judicentur, ad quos mittantur de rebus pluribus, plures quoque Legati. Excuſari poſſunt tantum *Municipales & Confœderati*, qui quod unum corpus conſtituant, unum etiam omnium nomine Legatum dimittent, itineris quoque ſumptuumve parcum diſpenſatorem. (Paſch. cap. 8.)

VI. Contra, maximam Principi autoritatem conciliat *plurium in uno negotio Legatorum uſus*, tanquam fortunam felicitatemque ſuperbe oſtentantium, maxime in Solenni Legatione, quæve unius auſpiciis feliciter eſt inchoata. (Hinc *decem*

Romanorum Legatos SCtum ad Græcos tuliſſe lego apud Polyb. in excerpt. Legat. cap. 9.) Nam auſpicandæ rei cuilibet plurium interventum plerumque ſuſtulero, non tam pro Patriæ ſalute quam oſtentando ingenio laborantium. Imparem autem numerum fauſtum plerumque credidere Antiqui, ubi magis interim ſociorum diſſidia, peſſima quæque ominantia, caveri debent. Cæterum *poteſtate nullum*, *ordine unum* reliquis præeſſe moris eſt. (Paſch. c. 9.)

VII. Legatum definivi; *qui ad Exteros proficiſcitur.* At quo mittente, quove admittente? Recepta eſt ſententia, quæ inter Principes ſervatur, hoc jus *iis ſolum* competere, *qui nullius, præter immortalis Dei Leges agnoſcunt, Imperatores ſcil. Reges, Genteſque liberæ.* Ubi quamvis non eadem liberalitate in divitiis finiumque amplitudine fortuna indulſerit, dedit tamen eundem regnandi modum. (Paſch. cap. 11.) Nec detrahit quicquam ſummæ poteſtati, ſi quem Religio venerari jubet, aut nobiſmet ipſis viciſſim præſtare quædam tenemur, nullam de ſummo jure partem libantia. (*Gentil.lib.* 1. *cap.* 4.) Hic itaque non obtinent illi Regia licet Imperia ſpirantes, alium interim mortales inter ſuſpiciunt coluntque. Nec tamen negabo tunc quoque peregre eſſe Legatum, ſi ab his, qui quamvis alius beneficio rerum ſumma teneant, ad alios ſui ſimiles mittatur, legibus autem propriis & ad arbitrium regnantes. (*Paſch. cap.* 11.)

VIII. Summum quoque jus dicuntur adepti, qui quamvis nulla electione tamen vi ac ferro, felici audacia Dominos ſe fecere. *Hi* quamvis ab initio rebuſque dubiis vel deſperatis plane, fœda *Latronum* appellatione dicerentur, tamen poſtquam graſſantium facta nobilitavit ſucceſſus, à facinorum quidem ſpectatoribus *Tyranni*, at à poſteris auguſtiſſimum *Fundatoris Imperii* nomen pretium tulere. Horum Legationes adeo non ſunt ſpretæ, ut ultro etiam ad eos mitterentur, quanquam immoderata hæc flagitioſorum ſpes ſæpe quoque ferri ſævitiam exitum habuerit. Diverſum *de Rebellibus* ſentio, qui niſi fœdere freti, aut viribus formidoloſi, nunquam audiuntur. Nec enim uni etiam alicui bella inteſtina, civileſque diſcordias ſerenti jus Legationis ſervatur; quod ſi in plures & potentiores noxia contagione hæc tabes ſerpſerit, tum neceſſitati, quæ efficacior

cacior eſt omni arte, parendum. (Paſch. c. 12. Gent. c. 9. l. 1.) Ita etiam Legati dicebantur, qui ab una Reip. parte ad aliam in rerum civilium perplexitatibus mittebantur. (Paſch. cap. 13.)

IX. Cætera quæ ſuperſunt Legationis genera, *Municipales* ſunt *Provincialesque*, quæ quia fallaces ſæpe, ideo negligebantur, nec pluris, quam ſubditorum, ad Principem mittentium (nec enim ad alios ſuaſu proprio audebant) Legati, æſtimabantur. A Principe autem ſi qui mittantur ad Rebelles ſubjectosque vel opprimendi (*exempl. vid. apud Polyb. cap.* 133.) vel præſentia ſua cohibendi cauſa, tanquam leviori re non ſit inquinandum nomen Legati, *Commiſſarii* dicuntur. Sic inter duces porro exercitusque Legatio commeat, ubi præcipue *ab autoritate nimia abſtinentia* in præfectis ac centurionibus commendatur, in Principe vero apparatus & pompa, quos mittit, Legatorum, ſicut & in partibus confœderatorum, Legatum dimittentibus, laudatur univerſorum conſenſus. Imo *ad exules* quoque extitiſſe Legationes docuit nos Livius. Neque eam fuiſſe è poſtremis, qua, ſi quod periculoſum in Provincia bellum gereretur, ejus faciem S.R. explorabat. *Libera* iterum *Legatio* ea dicebatur, cum nullo publico nomine ac ſumptu in privatarum rerum adminiſtratione tantum, ſecuritatis cauſa ſuſpiciendæque magnitudinis R. Romani ſibi aſſumpſerant nomen legati. Huic vicina imo adhærens eſt *votiva* eadem plane cum libera, niſi quod ad ſacra tantum ſpectabat: (*Paſch. c.* 13.) Publice tamen fiebat, cum votis publicis ſolenni ritu ſolvendis, publico nomine qui id præſtarent, mittebantur. (*Liv. lib.* 5.) Cæterum ut omnes hæ Legationum ſpecies, tantum partem referunt magnæ illius auguſtæque, ita nec ſimile cum ea jus obtinebant, nec gaudebant privilegiis iisdem. (Paſch. ibid.) Monendi denique ſumus, ſæpe non ad Principem, ſed ad ejus circum nos morantes Legatos, ſeu itinere ſeu ſumptu ſic ſuadente, noſtros quoque dimitti. (*Exempl. vid. apud Polyb. cap.* 39.)

X. Legationis in univerſum Patronum *Mercurium* finxere Antiqui, tum ob originem quam dixi, tum quod ad id munus neceſſariis omnibus virtutibus polleret, quas noſter tanquam exemplar vetus inſpiceret. Cæterum, obtinet Legatio eam Reipubl. partem, quæ præter geſtos Magiſtratus maximos (quanquam alienata ab his erat priſcis temporibus Legatio) aliis quoque

que

que functionibus publicis operam dabat, quarum cum quatuor præcipue fuerint, *Domeſtica, Peregrina* & quam *ſorte* quis *aut ſuffragiis* obtinebat, ſola ex his Peregrina Noſtro conveniebat. (*Paſchal. c.* 15.)

XI. Nunc differere placet, cujus notæ homines tanto negotio adhiberi ſoleant. Nec dubito primo loco ponere, perfectam conſuetudinis loquendi notitiam apud adeundos. Etenim locutiones nonnullæ, niſi qui ii, quibus cum negotium tibi intelligant, ſcite noveris, quamvis obſcuritate nulla, certe homonymia quadam eorum imprudens implicaberis. Sic enim Ætoli dum ſe *fidei Romanorum commiſere*, neſciebant idem illud ſignificare, ac *arbitrio ſe victoris permittere.* (*Polyb. cap.* 13.) Deinde, *Indigena* multis de cauſis extero præferri meretur. Præter enim quod etiam è dignitate Principis aut Reipubl. hæc res eſt, quidni quem natura dedit Dominum, fidem, rem Patriæ, dignitatem magis reſpiceret incola, quam peregrinus ille, cui fido licet, facile mentis ſuæ oculi ad auri ſplendorem caligabunt. Nec tamen prætereo externa quoque non vulgaria ingenia, quæ, quam raro pœnituerit ad negotia aptaſſe, quamque ſæpe ea vulgi latebris extraxerit, ſive virtus ſua ſive Fortuna, experti ſumus. Multum deinde juvabunt hìc opulentiæ vires, quæ dum fidei inprimis Legati conſulunt (ne ſcil. neceſſitas alieno auro fidem vendere inducat) Principis quoque autoritas ab ea non parum accipiet incrementi, quo dignum erit referre, quod ab eximio virtute ac eruditione Viro audiviſſe aliquando memini; Legatos Florentinos, ſæpius ærario publico nihil graves, ſui Ducis nomine id muneris obire, longe ſuas opes tanto honori poſthabentes. Nec ſane negligenda tamen accurata electio, ne quem maxime opulentum fœdeque interim avarum ſors tibi offerat. (*Paſch. cap.* 15. *Polyb. cap.* 28.)

XII. Multum præterea illuſtrabitur legatus *Majorum ſuorum luce,* ſi modo perpetua virtutum ſerie in ſe eam derivarit. Alias certe ſimillimus locis ſordidis, quæ repercuſſu Solis illuſtrantur. Sed nec decorum tantum ſplendeſcere his radiis ſui generis, ſed quodammodo neceſſarium videtur. Non enim adeo ſoliciti ſunt Principes de fide veteri proſapia oriundi, quam novicii cujuſdam nobilis. (*Freder. de Marſelaer lib.* 1. *diſſ.* 11.) Hic tamen Principis introſpiciendus eſt genius, qui ſi ideo nobilem

noſtrum

noſtrum fecit, ut fidem illius gerendis negotiis ſibi obſtringeret, ſpernendum nego. Quapropter nimis certe acerbe exultat in iſtos *Fred. de Marſ.* leve enim *in his* vitium deprehendit, accuſat, damnat, *in illis* omnia delicta virtutis nomen ſortiuntur. (*Marſ. ibid.*) Non poſſum tamen non reprehendere eorum quoque ineptiam ac ſtoliditatem, qui quaſi ſortem ſuam faſtidientes, nullius ſe quam Nobilium conſortio dedunt, ut ex eorum contactu nobiles ſe futuros factosque exiſtiment, non ſecus ac rana in fabulis quæ exitiabili ſuperbia bovis magnitudinem ambiit. Hinc ſtultiſſimus faſtus, quos nobiles crederes, à nobilibus cæteris ſecernit, neminem ſibi parem (ſæpe majorem multo) ſalutant, omnes deſpiciunt, nullis tamen literis, nullis virtutibus commendabiles, niſi quod veſtibus externo ſuo nihil intra ſe ſimile habentibus, & artibus quibusdam famam ſibi parant & gloriam apud populum aut populariter affectos, quos prima rerum facies, utcumque credita eſt, aufert. (*Senec. Conſ. ad Helv. cap. 6.*)

XIII. Virtutibus autem Legati *Muſarum* quoque *mixturam* intervenire cupio. Pauci enim ſunt qui naturali ingenii ſolertia ac idonea ſubtilitate hoc munus adminiſtrent. Neceſſe eſt ut uſus rerum & per varia experimenta traducta vita accedat, quæ tamen cum anguſtiſſimis terminis claudatur, hiſtoriarum promptam habebit cognitionem, quæ omnes res eventusque complectuntur ab omni ævo. (*Lipſ. lib. 4. monit. & exempl. polit. cap. 8.*) Harum vero præcipua ei eſto Scriptura S. quæ præter legationum exempla, rectiſſima inſtituendæ vitæ monita præbebit. (*Marſelaer lib. 1. diſſ. 24.*) ubi ſane fida firmaque non hiſtoriarum tantum, ſed plurium præterea in hoc munere rerum memoria, requiritur, quam ſi imparem tantæ moli viderit, repetitione rerum quotidiana, pugillaribusque juvabit. (*Marſ. lib. eod. diſſ. 37.*) Maximum porro quod in hiſtoria requiretur, eſt *Civilis prudentia.* Hæc enim hiſtorias æqua judicii lance ponderabit judicabitque. (*Gentil. lib. 3. cap. 1.*) Neſcio vero quo judicio quave ſapientia Gentilis omnem *juris cognitionem* à noſtro removet: etſi enim non multum neceſſariam imo inutilem ſæpe fatear, tamen in privatis colloquiis, quando jure diſceptemus, ejus ſe ignarum prodere, ſupra quam dixerim, indecorum. His omnibus *Eloquentiam* præferre audeo.

Rationem exigis? Cum à Romanis pacem diu fruſtra ſperaſſent Rhodii, ideo denique impetraſſe refert Polyb. (*in excerpt. Legat. cap.* 26.) quod Legatus eorum Damas *excellentem, ac rei quæ gerebatur aptam Orationem in Senatu habuiſſet.* (*vid. præterea Polyb. cap.* 5. & 22.)

XIV. Huc accedit *variarum gentium varii juris, formæ Reip. ſitus, divitiarum, luxusque notitia, & in primis morum ſolers perſpicacitas.* Ut, ſunt *Germani* in Toga Sagoque ſincere eminentes: *Galli*, aſtuti, blandi, libidinoſi, ac in bello furoris præcipitis. *Hiſpani*, ad pericula pervicaces, in ſuſceptas ſpes pertinax animus, gravis & pondere quodam elatus, laborisque illius patiens non quo arva coli ſolent, ſed qui maxime eſt ad bella idoneus; maximæ gens libidinis. *Itali* ſobrii, Civiles, injuriarum vindictæ cupidiſſimi. *Britannis*, triſtis ſpiritus, nec tamen defectus judicii. *Belgæ* libertatis inimitabiles amatores, otiumque plusquam Attica ſeveritate multari mos eſt. Strenuus literarum cultus, cæterum in moribus ſuis vitaque medium quoddam tenentes, *Poloni*, audaces, bellis ardui, Principi fidi, privilegiis læti. *Turcarum* ferum genus, ſævi enim ſunt, crudeles, ſcientiarum omnium rudes contemptoresque, nihil æquitate, omnia opinione æſtimantes, ut egregio & accurato ſermone hæc amplius exequitur *Barcl. in Icon. Anim. & Marſ. lib.* 4. *diſſ.* 29.

XV. His itaque ſolerter indagatis, Aularum quoque Legationibus frequentium, perſpicua eſto notitia. Dabo ego præcipuas. *Romæ*, pro variis Legationum impedimentis non vulgare obtuſumque ingenium requiritur, ſed quod officiis muneribusque noverit amicos Pontificis proſequi, ſuique Principis cum Papa amicitiam impenſe laudare. Convivio etiam, verum non eadem cum Pontifice menſa, ſed inferiori quodam loco poſita, excipitur. Extraordinario licet Legato, non alius victus, quam quatuor, ut vocant, quotidie *Panes honorarii* præbentur. *Pragæ*, extraordinariis Legatis ex ærario publico neceſſaria miniſtrantur, admittitur in concilio Sacro, cujus præcipui ſunt quidam Imperii Principes aut Nobiles inſigniores. Excellentius hoc eſt *Diatæ*, cujus tres Principes Eccleſiaſtici, totidemque ſeculares, quod in electione quoque Imperatoris validiſſima ſuffragia ferant, omni officiorum cultu Germanis præcipue

grato

grato à Legatis afficiuntur. *Madriti* honorum, ut ſic dicam, fere intemperantiam in ſe ab incolis experientur Oratores. multorum ibi conciliorum maximum eſt *Statu*, Regis quoque præſentia venerandum. *Lutetiæ*, illuſtre præ cæteris concilium eſt *Parlamentum & Secretum*, ubi præter audiendarum Legationum Præſidis conciliandi quoquo modo ſtudium, quia idem Gallis genius, ipſum quoque Legatum, magnæ humanitatis, multorumque hominem leporum eſſe oportet. *Londini* Senatorum quindecim Conſilio Regis præſentium amicitia noſtro cura eſt, cui res ſuas multis precibus committit. Quæ ſi Parlamento peragendæ traduntur, longam ſuo muneri moram necti, haud dubie ſciat. *Cracoviæ*, quia ad Nobilium arbitrium regnatur, quam multo poteſt honore eos Legatus colit, ſpe ſucceſſionis in ſuum forte Principem venturæ. Proximus à Rege Cancellarius audiendis Oratoribus præpoſitus, cæterum, ſplendide noſter excipitur, celeriter expeditur, honorifico ac ſpecioſo Comitatu dimittitur. Nullibi autem credo, tam ſuſpicioſis oculis omnia Legati facta, quam *Venetiis* introſpiciuntur, quippe de vita magis, quam de libertate propria gens ſecurior, ad minima quæque ex quibus eam detrimentum capturam ſomniant, contremiſcunt. hinc nulli privatorum conceſſum cum noſtro ſecretius colloquium; aut liberior converſatio, nec tamen ſtricte adeo, ut omnino mutua officia ſubleventur. Ad gentem quippe, virtutes ſuas non ægre audientem, facile, civiliori ſermone, aditus patebit, amicitiam autem colere cum ſenibus D. Marci Conſiliariis, utpote apud quos Reip. cardo volvatur, erit utiliſſimum & neceſſarium. *Bizantii* denique, impetrata eundi venia publicis Xenodochiis noſter excipitur, ipſiusque Comitibus neceſſaria omnia, vino excepto, donantur, & in hujus locum, alius extinguendæ ſiti coctus ſuo modo potus. Magno Imperii magni Legato, ultra hoſpitium ſingulare, resque neceſſarias milites quoque quatuor, ſecuritatis gratia, apponuntur. Bis, nec amplius admittitur adveniens nempe & diſcedens. Mandata vero exquirentes Proceres ſi ingrata fore ſuſpicantur, admiſſionem aut differunt, aut plane negant. Imperatori loquuturo, duo à duobus brachia arcte tenentur. Is denique Turcarum eſt genius, ut humiles nimium, viles apud ipſos habeantur; contra, ſuperbia quadam elatos, ut generoſos ſuſpiciant. Muneribus præcipue, quibus præ cæ-

teris lætantur, à Legatis coluntur & inter eos Chriſtiani Apoſtatæ, qui ſoli majora Imperii Turcici munera adminiſtrant. (*Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 38.)

XVI. Nunc ea quoque in Legato deſidero, quæ quamvis neceſſaria minus alii dicant, ignorant ſane, quantum eorum momentum. Novimus ex Sacris (*Dan.*) quanti æſtimetur formoſus aliquis rectoque corpore. Imo auſim dicere plerumque nos forma priusquam virtute capi. Cum illi deformi humilique corpuſculo, præter aſpectus amaritudinem, vitiis plerumque involuti. Interim tamen & illud ſciri oportet, non deformitate corporis fœdari animum, ſed pulchritudine animi corpus ornari. (*vid. Senec. ſub init. Ep.* 66.) Corpore præterea eſſe robuſtum, patientem inediæ, algoris, vigiliæ, peritum natandi, ſaltandi &c. in noſtro res maximi momenti ſæpe occaſio fecit. Inepti huic muneri erunt illi perpetuis morbis vexati, quorum tamen ſi neceſſaria ſit opera, videndum ſane, ut quod ipſi ſciunt, omnes ignorent. *Nominibus* denique ineſſe omen quidam voluere, quod ſicut non ambitioſe defendo, ita tamen experientia rei veritatem oſtendit. (*Paſch. c.* 16.)

XVII. Hic mihi iniquus cenſor videtur *Paſchalius*, qui in quæſtione, *ex quo ordine Legatus ſumi debeat*, magnopere ac immerito tamen laborat. Neſcire enim ſe ait, qua nova ſapientia hodie diſſecta ſint omnia; quæ antiquitus felici utilique junctura coaleſcebant. Unum armis, alium literis, neminem utrisque operari, & cum omnia debeamus Patriæ, nos minimam illi partem præſtare, adeoque ſe ambigere ac neſcire ubi reperiri noſter queat, quem utique & Togatum & Sagatum eſſe oporteat. Sum equidem ex iis qui mirentur in rebus omnibus Antiquorum ſolertiam; ad quam diſſimilia ab iis noſtrorum temporum ingenia, quæ ſi omnibus ſimul incumberent, vereor ne deficeret in rudimentis induſtria. Nunc cum ſingulos ſingulare aliquod ſtudium trahat, eique ſoli operentur, neceſſe eſt eos ad pleniorem ejus ſcientiam penetrare; Quibus omnibus poſtea junctis, quid non efficient? Adeoque injuriam nobis facit, qui ex toto particulam nos Patriæ præſtare affirmat. quid enim intereſt, in uno an pluribus omnibus officiis Patriæ ſatis faciamus?

XVIII.

XVIII. In hac itaque Legati electione ſpectari debent præter cætera, *fides* ut ea ſit exploratiſſima, qua vacillante, totum negotium ruina exitiabili ruet. *Fortitudo,* ut omnia quibus circundata eſt Legatio, pericula intrepidus ſubeat, & ſæpius jam infortunio vexatus, quaſi jam obduratus ſit. (*Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 32.) Nec raro, error hîc Principi impoſuit, ut quem magna diligentia, ſuo munere in levioribus fungi videret, ſubito auderet gravioribus præficere, eandem ibi ſolertiam ſpe fallaci expectans. Eximia porro omnique laude digna hic occurrit Venetorum conſuetudo, *qui in Legationibus ſuis, veteribus ac rerum omnium peritis Legatis juvenes immiſcere ſolent, tum ut reſtituatur vegetorum juvenum celeritate, quod illorum mora peccaverit, ac viciſſim horum æſtus nimius à ſenili prudentia temperetur, tum præcipue, ut veterum prudentia imbuti juvenes, ſui periculum facere, obeundæque aliquando Legationi, experientia neceſſaria inſtruantur.* (*Marſel. lib.* 1. *diſſ.* 13.) Cujus tamen ſaluberrimi moris, ipſi mihi autores non videntur, cum jam Romani in Legationem, quam obiit A. Poſthumius, juvenes quoque comitari eum juſſos legam apud Polyb. (*in excerpt. Legat. cap.* 6.) Nec enim vel è dignitate, vel ab utilitate Reip. foret, juvenes in Legationem mittere, quos nunquam exterus aer afflaverit, & ſi multa parentum miſeratione lares patrios reliquerint, vaſtis crebriſque literis & ſpiranti fletu madentibus, tenelluli de exterorum ſæva crudelitate impudenti mendacio queruntur; & atrocem matri σπλαγχνολογίαν incutiunt, quæ tantiſper, precibus, lachrymiſque fatigat patrem, donec filioli domum revocentur, & ſi quid viderint rogaris, Cœlum aliud, inquiunt, pejori fato terram ſuam quam Patriam noſtram fatigans. Cæteris majori robore à natura editis externa regio ſcelerum officina eſt, domumque reverſi amores, & duellum memorabunt, ſi quid ſerii bonique exegeris, oleum & operam perdis; quos omnes non alia legatione dignos cenſeo, quam ut vindemiæ meſſiſque tempore ſpecioſo doliorum curruumque comitatu à parentibus ad Ruſticos dimittantur, &c. Denique *ingenii acumen* Noſtro ineſſe velim, præter enim quod *in reſponſis* maximæ illud neceſſitatis eſt, etiam ſagaciſſimus erit judex, *ſi quid fraudulenti pactis irrepſerit.* (Marſ. lib. 1. diſſ. 38.)

XIX. Princeps igitur, omnium ſuorum indolem, æque (ut ita dicam) ac ſuam noſſe debet, ac ingenia omnia penitius introſpicere, ut eorum quæque rebus gerendis conveniant, ne, quod ajunt, *Aſino oſſa*, *Cani fœnum* offeratur. Et quanquam pravi ac flagitioſi ſpiritus vel removendi vel opprimendi plane ſint, tamen illorum nonnunquam opera utiliter Princeps uti poterit. (*Paſch. cap.* 18, 19.) Maxime vero neceſſarium eſt, ut *multa dignitate* apud ſuos conſpicuus, apud exteros venerandus ſit noſter. Novimus enim exemplis, quantum dignitati ſtuduiſſe, profuerit; neglexiſſe eam, quantum nocuerit. Præter hæc curandum ſane, ut *genio Principis vel Populo quem adiri oportet commodus ſit Orator & gratus.* Mirum quod hæc ſola res omnia præ virtute ſæpius impetravit; quod ſi favor hic abſit, ipſa hercle virtutis opinio famaque neceſſaria videtur, quam interim virtute ipſa emendam cenſeo. Huic autem tacito amori obſtat præter antipathiam naturalem, etiam, ſi Legatus gravioribus quibusdam Principem intentum, occupabit, vel debitum honoris cultum negliget, maxime, ſi illius olim ſubjectus aut vaſallus, tanquam nefarius transfuga Dominum reliquerit; unica rei cautio eſt, ut à Legato ejus quem adiri oportet, tum forte apud nos morantem, noſter non ſolum ad Dominum, ſed ad cæteros quoque Aulæ proceres literas commendatorias petat. (*Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 20.) Porro in Legato deſidero, illud quod cum raro ſperetur, ſemper tamen optatur, id eſt, *quod in quibusvis etiam in imprudentibus conatibus, neſcio quo occulto fati favore feliciſſimum ubique ſucceſſum noſtro ſuggerit.* Poſtremo notant, non ſemper expedire, ad exteros Principes Legatum mittere, *cujus Sagacitas & Prudentia publice nota eſt:* ne forte illi deterreantur, quo minus cum eo libere & ſine ſuſpicione agant; imo conducere quandoque, Legatum apud exteros *facilem credi*, ut promptius illi animum ſuum & velut viſcera effundant.

XX. Sed ò aureum porro ſæculum, ſi tanta inter mortales æmulatio virtutum, ut omni tempore hæc de Legato hactenus dicta non ſint deſideranda. Sæpe ſane tam omnibus quam quibusdam caremus. In hac igitur rerum virtutumque egeſtate, quid miramur Legationes datas, quamvis *minus idoneis*, tamen *cæterorum comparatione ſaltem non ineptis.* Quid, quod etiam

Gram-

Grammaticis, Medicis, Sophiſtis, Exulibus, Eunuchis & *Fœminis* quoque *Legationes datas* in hiſtoria legamus ac proſperos quoque in munere eo eventus? Adeo ut injuſte mihi *Kirchnerus* Legati nomen iis demere videatur. (*Paſch. cap.* 20.)

XXI. Multi tamen Legationem, licet non indigni, non ſecus ac extremum malorum horrent, quod ſane fieri non eſt æquum, niſi vel ſenio confecti, vel ingenio ſe impares illi agnoſcant, quæ Legitima vocatio eſt ac juſta, ab hoc munere. Quod ſi urgeat Princeps & inſtet, pareant ſane ac ſuſcipiant, dummodo ſciat Dominus, ambiguum eſſe in perniciem ſalutemque facinus, invito Legationem obtrudere, quod ipſum etiam ſentio de *mandatis* noxiis, in quibus noſter levius quoque hac ratione peccabit. (*Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 9.)

XXII. Nunc venio ad ipſam Legationem, quæ tota acquieſcit ac nititur *mandatis*, quæ quamvis ſolennia ſint, nunquam ſecretiori appendice carent, quæ ſancto quoque ſilentio tenetur, nec alii quam ipſi quem adimus Principi remoto ab arbitris loco exponitur. (*Polyb. in excerpt. Legat.*) Accipit autem mandata Legatus, vel ab ipſo ore Principis, vel ſcripto: aperta vel occulta. Ut intercipientium curioſitas ſic deludatur; quod in literis ad ſuum Principem ſimili modo obſervabit, præter occultos Characteres, etiam diverſos variorum itinerum, nuncios, ſemper tamen uno literarum exemplo apud ſe ſervato. Si qui vero queſtum injurias & res repetitum mittantur, præter epiſtolas nulla mandata accipiunt. Porro non omnino ſemper literis mandata continentur, nec abſque literis omnia Legato creduntur, ſed mixtura non inutili, quædam Epiſtolis, cætera Legato ſæpius commiſſura eſt prudentia Principis. De iis autem mandatis quæ ſignis ac nutibus meris nitebantur, ut quæ hodie ferme inter extinctæ vetuſtatis rudera habeantur, non ambitioſe diſputabo. Longe autem præ cæteris periculoſiſſima Legatio, cum Orator nullis certis mandatis, ſed ex re conſulturus, mittitur veteri hac ſuetaque formula: *Videret ne quid Reſp. detrimenti caperet.* Legato tali, charta ſui Principis nomine in imo ſignata in id dari ſolita eſt, ut omnia viſa ipſi utilia nomine Principis firmare poſſet. (*Marſ. lib.* 2, *diſſ.* 4.) Quamvis autem periculoſa hic eſt autoritas nimia, plurium tamen Principi vitilium facinorum patrandorum occaſio præbetur, nunquam alias Principi præviſa;

dum-

dummodò & illud teneatur: ea citra adeundi Principis faſtidium eſſe facienda. Mandatis etiam ut pronior fides ſit, autoris ſui literis firmantur, quæ, ſi mors ei interim quem ſpectant, obtingat, omnem quoque efficaciam amittunt (*Polyb. c. 50.*) niſi de de re magna & imperium attingente ſcriptæ ſint: tunc enim lubentes introſpiciunt qui ſunt in ſpem ſucceſſionis erecti. Hoc loco monendi porro ſumus, Principem Legati ſui opera alium circumventurum, ipſi prius Legato imponere, ut majori ſtudio commiſſum ſibi negotium tractet, quæ ſane fallacia, ſi perſpectæ præcipue fidei ſit Orator tutane ſatis ſit, ambiguum eſt. Mandata denique omnia prudenti oculo perluſtrabit, & ſi quid perplexi iis dubiique ineſt, plenum ejus à Principe intellectum (ne ſi deliquerit in iis, ad arbitrium poſtea Dominus ea interpretetur) modeſte, absque curioſitate ulla rogabit, occultos enim Principis ſenſus, exitioſum eſt ſagaci nimium animo perſcrutari. Nova autem ſi transmiſſa veteraque immutata ſint, arctæ omnia cuſtodiæ committet. (*Paſch. cap. 21.*)

XXIII. Acceptis igitur à Principe mandatis, ſtatim ſe noſter itineri accinget, nec quicquam oſcitantia ſua negligi patietur. (*Paſch. cap. 22.*) Solenne autem eſt quibusdam in aulis, ut prius Legatus quam diſcedat *juramentum* ſuo Principi præſtet non tanquam de fide anxio, ſed ut Religione quoque obſtrictus ſanctiſſime ſuo munere fungatur. (*Marſ. lib. 1. diſſ. 7.*) Cautiſſimus vero eſſe debet in perſona ſua hoſti committenda, nec absque venia impetrata exitioſa audacia hoſti ſe ſiſtere. Tarde præterea, nec niſi rebus ad exitium ferme vergentibus ad hoſtes Legati mittuntur, quando timentis plerumque id habeatur, ſed præſtat tamen his ſervari, quam ſtulta contumacia perire. Nec enim ſuadeo extremi fati expectationem, quia plerumque tunc deſperandus eſt Legationis ſucceſſus. (*Exemp. vid. apud Polyb. c. 13. & 23.*) Illud etiam notant eveniſſe, ut Legati ad longinquos & incognitos hoſtes, licet venia impetrata miſſi, non prius, quam omnes ad arbitrium pacis vel alius rei conditiones tuliſſent, dimitterentur (*Polyb. ibid.*) adeoq; ſumptis viciſſim obſidibus, rem peragi neceſſum fore. Non temere itaque noſter absque venia hoſtium fines ingredietur, niſi magni cujusdam & præpotentis Principis ſit Orator, licet nec hic ſemper admiſſus ſit, ne ſcil. ad ſuos reverſus poſſet de facilitate ac ſocordia hoſtium

glo-

gloriari. Quæ ratione eadem, remeanti Legato anxie ſunt circumſpicienda. (*Paſch. cap.* 22.)

XXIV. Jam, ad *Jus Gentium violatum in Legatis* pergo, ubi publica fide tuti quoquo modo in itinere circumventi ſunt, vel ab hoſtibus vel ab horum ſociis eorum fœdere gaudentibus, adeoque dignis malo ſuo omine experiri gravitatem peccati. Culpa vero eorum non eſt, ſi nulla venia muniti Oratores auſi ſunt hoſtibus ſe committere, neque violati hoc modo dicentur; Sicut nec in iis porro Jus Gentium rumpitur, qui, poſtquam juſtis de cauſis prohibitæ fuerint Legationes, temere auſi ſunt proficiſci, nec ullus niſi *ſupplex Orator* excuſabitur. Non ii denique quicquam ſibi accidiſſe injuſti querantur, qui licet ad alios inter nos miſſi, in noſtram ſcil. perniciem Legatione ornata, tradi in cuſtodiam juſſi ſunt, quamvis Alexander M. Carthaginenſiū Legatos ad animandos contra ſe Tyrios miſſos, ſalvos dimiſerit. Qua eadem manſuetudine frui apud nos poterit Principis violatoris Legatus, niſi magna ab eo & imminentia pericula ſuſpicemur. Violantur præterea Legati, ejus quem adiere conviciis (maximi incendii ferax ſcintilla) vel (quod indignius) verberibus aut immanis audaciæ cæde (*Paſch. c.* 23.) Nec illam violati juris ſpeciem omiſero, qua magno cum Legatorum contemptu, ipſius mittentis præſentia deſideratur. (*exempl. eſt apud Polyb. cap.* 11.) Maximum denique antiquis ſcelus eſt habitum, in Caduceatores cæteroſque id genus invehi, qui ipſis Oratoribus ſecuritatem impetrare debebant, quod hodie ſane leve exiſtimatur. (*Paſch. cap.* 25.)

XXV. Funeſta itaque clade, tota ſæpe gens, paucorum ſcelus luit, nec enim *juri* ſed *manſuetudini* quorundam aſcribi debet violatorum venia. (*vid. exempl. apud Polyb. cap.* 134.) Quid, quod imminenti & exitiabili bello implicati Principes, diſtulerint illud, cruento violantium exitio, Legatorum ſuorum manibus ſatis facturi? quid mirum? cum & illæ ſi ſæva cupidine alienorum Legatorum violatores proſequuti ſint. Obviam tamen itum eſt crudelitati, violatorum deditione, qui quod ſponte etiam ſe pœnæ ſubjecerint, impune ſæpius peccaverunt. (*Polyb. c.* 121. *& Paſch. c.* 26.) Ipſis vero occiſis Oratoribus, præter cæteros honores maximos, ſolenne erat quibusdam Principibus, ſtatuas erigere. (*Gentil. lib.* 2. *cap. ult.*)

XXVI. Sed & ipſi Legati variis modis ſe hoc ſcelere contaminarunt, vel impudenti ferocia mandata recitantes (*Pol.c.* 58.) vel muneris ſui obliti officiis militum fungentes, vel verbis petulantioribus ac liberis nimium Principi inſurgentes, vel gravius quid denique aut atrocius admittentes, quod vita lui haud indignum ſit, quanquam levius hic mihi peccabit Potentiſſimi Principis aut Reipub. ad minorem aliquem Legatus (*Polyb. cap.* 92.) Quod ſi igitur non trahantur ad pœnas, id ſane clementiæ noſtræ deberi exiſtimo, cum & ipſi quoque mittentes, noſtra in Legatos ſuos ſupplicia, annuente ſilentio comprobarint.

XXVII. Meminiſſe igitur debet Legatus, alterum ſe eſſe Principem, adeoque nihil faſtigio illo indignum committendum, id eſt, exitiabili & minus tuto colore ac ſpecie, hoſtium fines ingredi, & per cauſam Legationis aliud quid moliri. Et notavimus quoque, Oratores, majori quam decet in Legatione comitatu armorumque oſtentatione venientes, vel non admiſſos, vel ut hoſtes plane repulſos. (*Paſch.c.*29.) Et quanquam laudatiſſimum ſit, ubique aperte pro muneris majeſtate incedere, excuſandi tamen ſunt, qui inviſi Provinciarum, per quas tranſeundum, rectoribus, vel nocturnis tenebris, vel alio diſſimulandi aſtu utuntur ad ſui muneris ſucceſſum.

XXVIII. Hoc loco quærere lubet, num ab itinere Legatus ad amicos ſuo Principi viros, qui nec longe à via, civilium officiorum gratia devertere poſſit? equidem juſſus nihil morabitur; Sin tale nihil injunctum ſit diſcedenti, me quidem judice, omittenda erit hæc intempeſtiva ac ſæpe noxia comitas. Poterit illis negotii ſimulata celeritas imponere, dimittique qui excuſationis munere fungatur: dummodo caveat, ne ruſtica ex ea re ſuperbia contemtusque conjici poſſit. In cæteris hoſpitiis nihil reticendum reor. muneris majeſtas, tum generis ſplendor indicandus, ut dignus tam ſanctæ rei faſtigio honos habeatur. Quo neglecto, præter inriſum, ad ſupplicia quoque traxit nefariam ruſticitatem gravis de ea Legati querela. Nec tamen in faſtum eum ac ſuperbiam adorno, ſed in debitam virtutis mercedem, cujus famam (abſtinentiæ inprimis modeſtiæque) per totum iter diſſipabit, ut in *uno* appareat, quo genio ſint *univerſi*. Quemadmodum autem à ſumptibus intempeſtivis abſtinendum, ita utiliſſimum ſæpe eſt, grandiori pecunia favorem ac benevolentiam

tiam ſibi omnium mercari. Parcus deniq; noſter erit in ſermone, & perplexos quoque de ſe ſuoq; munere ſciſcitatores, perplexe etiam eludet; ipſe contra ab iis, quæ ſcitu ſibi utilia erunt, obliqua ſubtilitate eliciet, cum ſæpius ideo ſe ſuum Principem odiſſe ſimulent, ut fidei ſuæ viam mendacio ſtruant. (*Paſch.c.30.*)

XXIX. In *enuntiatione* niſi omnes adſint, in eos qui cæteris abſentibus auſi ſunt Principem convenire, ſtatim proſtitutæ fidei ſuſpicio cadit. (*Paſch.c.9.*) & Rhodios vocatos licet à Patribus, cum abeſſent comitum nonnulli, noluiſſe parere refert *Polybius* (*in excerpt. Legat. c. 25.*) Si quibus vero morbus progreſſum itineris prohibuerit, vel mors plane obtigerit, cæteros ſane hoc diſcrimen ab officio abſterrere minime debet, quamvis non temere, has peragendæ Legationis partes vendicare ſibi debeant, ſi tum Legatio ipſa, tum ſpes ſalutis ſociorũ, moram & expectationem patiantur. Quid autem, ſi unus aliquis his in itinere obſtaculis implicatus? equidem tutiſſimum credo per nuncios Principem rogari, aut ſi ne hoc quidem poſſit fieri, ſuorum quendam comitum præmittet, vel moram impetraturum, vel, ne fallax credatur, proceres ad ſe mitti flagitantem, quibus mandata ſui Principis exponat.

XXX. Nunc de *Comitibus* Legati ſermo mihi erit, quos non vilium famulorum, ſed præſtantium inſtar ſociorum negotii, Oratores ſecum habuiſſe novimus, ideoque non minus eos quam Legatos ipſos intererit eſſe gratos adeundo Principi. Hinc pari ſæpe cum iis honore habiti, cum & ipſi quoque (maxime ſi Legatorum filii) totam Legationem non ſpernenda induſtria ſuſtinuerint. Nec tamen inficias ibo, inferiores quoſdam ac ignobiliores haberi, quorum opera in levioribus ac neceſſariis interim curandis elucet, deque fide eorum ac induſtria non minus quam Oratorum ſolicitum eſſe addecet, eorum præcipue quos vel ſuis vel propriis ſumptibus noſter ſibi adjunxit. Cæterum majoribus illis idem cum Legatis jus eſſe novimus; minoribus vero annumerare etiam licet expenſarum & commeatuum curatores, tum præcipue, quos vocant *Secretarios*, quorum oblivioni ſimillimum eſſe decet ſilentium, & ad alios ſcribentium literas, accurata ſagacitas. Præterea nec *viliſſimos* Legatorum *famulos* dici quodammodo *comites*, negari poteſt, iiſque pro rata, Le-

gationis jus deberi. Hic denique præter *Paſchalii* mentem non prohibebo noſtrum ad hoſtes præcipue commeantem exploratorio oculo (occulte tamen) omnia animadvertere. Quod ſi Legatorum quidam id faciant, quidni eorum Comites?

XXXI. Præcipuum, optimumque comitem Legati *uxorem eſſe*, non ſine fœda hujus ſexus adulatione, ſi auſim dicere, affirmant *Paſchalius* & *Marſelaer*. Ajunt enim præter cætera commoda multa, ſic libidini locum præcludi. Atqui caſta ea eſt, aut meretrix. Si *illud*, nihil timendum; ſi *hoc*, utrum præſtat, in occulto ſint vitia, an ut indicem patrii moris apud exteros circumferamus? Nam de ipſius Legati inter exteros continentia diſpiciendum, antequam mittatur. Quid jam de luxu, impotentia & maximo Legationis malo, *Loquacitate* dicam. Paucæ enim fuere, quæ præter ſexum nihil à viris diverſum habuere. Quod ſi priſco jam & meliore ſæculo tot vitiis incuſabantur, quid hodie, Deus bone, ſentiendum denique aut judicandum? Adeoque nihil boni unquam (aut rariſsime) profectum eſt ab hoc ſexu, ut mortale genus in omnes miſerias, plerosque in æternam damnationem præcipitaverit noxioſiſſima unius fœminæ audacia.

XXXII. Tota autem *Legati familia decora ac ſplendida* & pro majeſtate muneris *ampla* eſſe debet, nec niſi jubente neceſſitate contrahenda. Omnibus ejus domeſticis eadem ſit fides & communis modeſtia, ita tamen, ut ſi quod publicum ſuo Principi bonum obtigit, noſter quoque nulla lætitiæ ſignificatione deſit. Cultu vero quamvis ſplendido, aulæ quidem proceres anteibit, ipſum vero principem nunquam æquabit (*Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 23. *vid. item Bernegg. quæſt. miſcell. in Tacit. Germ. & Agric.* 211.) Itaque dedecori potius ſint quam ornamento tot omnis generis viliſſimi ac ſordidi homines, nimia pompa, pecuniæ profuſio & inepta titulorum tumentium ambitio. Et licet gravitatis, famæ exiſtimationisque anxium cultorem eſſe eum oporteat, ne quo temere & ignarus rerum omnium ſe committat, ubi, quamvis nulla ſua culpa debilitari ea aut infringi poſſit, inter amicos tamen ſeponere ad tempus non erit indecorum. (*Paſch.c.*34.) Præcipue gravitate minime digna, levitatisque certiſſimus index eſt in eundo celeritas, quæ tamen ſi neceſſaria eſt, currus ei equuſve, gravitate ſuperbiaque ſpectabilis admovebitur. (*Freder. de Marſelaer. lib.*1. *diſſ.* 32.)

XXXIII. Majoribus imperiorum Legatis magno quidem ſplendoris apparatu obviam proceditur, ſed hactenus, ne nimia noſtrorum pompa, noxia comparatione, illius comitatui decus omne detrahat. Ceremoniæ hæ intermiſſæ, nihil aliud ſane,quam iram ac indignationem non irritam & in vanum caſuram, ſignificarunt. Sed ut modeſte & quaſi non ſentientes, eas debemus accipere, ita ſtultiſſimum duco, anxie quibus honoribus dignemur inquirere. Quid ſi enim anguſta omnia ac miſera? quid ſi ipſe Legatus ſupplex advenit, *& pro honore, auditum eſſe, pro gloria, veniam impetraſſe ſufficiet?* (*Polyb. cap.* 58.) Sæpe etiam honoris ſpecie itum obviam Legato, tantum ut ulterior progreſſus prohiberetur, & callide hic porro nonnunquam opes occultantur, & quicquid habemus præterea, quod poſſit potentiorem Legati Principem invitare ad prædam, quanquam fraudi quoque conduxit ſæpe nimia hæc diſſimulatio, conſtat enim nullo ſatellitio ambitos, nullis armis munitos, cæterorum audaciæ ad raptum occaſionem dediſſe. (*Paſch. cap.* 35.)

XXXIV. Sed neque minori pompa excipi noſter ſolebat, cum ipſi Principes, vel iis certe proximi officio hoc fungerentur, remoto procul tædioſo aliquo tumidoq; rhetore ſcholaſtico. Inde publica hoſpitia ingreſſus (ne foret res novas moliendi occaſio in privatis) non tantum victus ei dabatur; ſed ægrotis quoque medici adhibiti, mortuorum corporibus juſta perſoluta, ſuſpectis vero per cauſam reverentiæ miles admotus, callide quoque in arcana illius inquirens. Ipſorum inſuper venientium Legatorum nomina aut ærario aut commentariis Principum inſcripta habebantur. Horum ſimiles ubique omnium obſervatores *Græci* (eorum quippe Autores) niſi quod è plebe aliquis audebat Oratorem excipere, Prætorque reſpondere tenebatur. Romæ poſtea aut ob nimias Legationes frequentioresque, aut quod denique Orbis Domina evaſerit ea urbs, vel imminuta vel ſublata prorſus & omiſſa ſunt munera victusque. (*Paſch. ibid.*)

XXXV. Exceptionem proxime ſequitur admiſſio, quam niſi hoſtium noſtrorum Legatio, (quos celere admitti, celerius dimitti noſtra intereſt) incivile foret, à veniente jam poſcere, nec curando corpori ſpacium dare. Plerumque autem gentium exterarum Legati à noſtris apud Principes eorum

cum Oratoribus olim, admittuntur. (*Polyb. cap.* 42.) In *officioſa* autem admiſſione ſive primo Principis Legatique occurſu, præter civiles pompas ac ſalutationes, mutuaque vota nihil ſpectabis; At *negotioſa* illa, remotis ceremoniis, in hoc præcipue intenta, ut ipſa Legatio felicem & optatum Principi exitum ſortiatur. Hic mihi ſubtilis fallacia detegenda, qua per convivia, venationes aliasque huic dolo aptas recreationes, circumvenitur Orator, ut admiſſioni, dum rebus ſuis Princeps proſpiciat, mora nectatur. Quid mirum igitur, ſi admitti, libere noſter flagitet, imo auſim dicere, *minis* quoque, ſi neceſſe ſit, utatur. Equidem tarde admiſſos, vel inauditos plane dimiſſos novimus, quorum petitio id meruit; amicos vero ac æquales ſic ludere, infauſti ominis facinus eſt, niſi vel morbus, vel à recenti funere luctus juſte ſimul ac ſufficienter Principem excuſent. Nemini autem priusquam ipſi Principi noſter loquetur, qui ipſe viciſſim majoris Imperii Legato reſponſa dabit, quæ omnia Romæ in Senatu peracta eſſe novimus. Eadem porro fraude Orator utitur, ſolerti aſtutia admiſſionem differens, quo ſuis interim parandis bello pacique neceſſariis, ſpatium detur; adeoque ne ægre ferat juſſus quæ habet in mandatis exponere, quamvis adeo nihil indignum ſuo munere facit, ut laudanda potius induſtria ſui Principis autoritatem colat, ſi ob inſolentiorem faſtum adorari ſe præcipientis Principis, admitti recuſet, ſed per *interpretes* peragi negotium petat. Male igitur & præter dignitatem Legati hic ſentit *Paſchalius*, qui ut omnem ſiniſteritatis ſuſpicionem à ſe noſter avertat, fœda humilitate *arma ei adimi* contendit, quaſi, ſi opus ſit, non ipſe, prius hoc faciendo, poſſit declinare hoc dedecus. (*Paſch. cap.* 36. *&* 37.) Duo iterum hic ſunt monenda, *Pietatis ſtudium* & *veſtium cultus*, absque *illo* fruſtra rebus ſuis ſucceſſum ſperabit. *In veſtibus* autem *ac ceremoniis* absque manifeſta obſequii adulationisque ſignificatione, in mores exterorum tranſire non poterit. (*Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 23.)

XXXVI. In difficilem nodum Legatus incidet, *ſi plures ſimul Legationes admittentur, tunc enim multiplices obvia erunt de ſeſſione diſceptationes*, queis niſi ſuperior evadat, aut *in rotundum ſedeant*, ſolerter efficiat, *aut ſoli ſibi admiſſionem* efflagitet (*vid. Beſold. Synopſ. Polit. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10.) Præeminentiam autem

tem hanc ſeſſionis obtinuiſſe, non pro honore tantum, ſed utilitate non exigua habetur. Poteris enim, ſi lubet, primus audiri, adeoque cæteris, hoſtilium præcipue Legationum, multum de ſua fide Oratione detrahere. (*vid. illuſtr. exempl. apud Polyb. cap.* 25. & 132. Poteris & poſtremus aſſurgere, & dum cæteri dicunt, melius ex oratione eorum conſilium captare. Cæterum, privatis in congreſſibus, hæc tam ſtrenue non obſervantur, verum ſuperior aliquando habetur, qui par noſtro dignitate, forte etiam per vias publicas ſi fiat occurſus, niſi præcellentior alter, equos uterque dimittunt, primusque diſcedit, qui major habetur. (*Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 32.)

XXXVII. Si quis autem exterus in ea aula Legatus, adibit ſane & ſalutabit venientem hoſpitem, vel impeditus forſan, per alios de adventu gratulabitur; nec tamen è dignitate eſt inferiori multum, infami, inimico aut viles denique ob res venienti, hæc humanitatis officia præſtare. Quæri igitur commode hic poteſt, *an perduellibus eorumque ſimilibus ſit fides ſervanda?* quod licet multi non ineptis rationibus oppugnent, muneris ſane ipſius ſalutisque publicæ, majorem interim rationem habendam exiſtimo. (*Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 12.)

XXXVIII. Monuit me hic de admiſſionibus locus, ut verba quoque facerem de *congreſſionibus.* Eæ igitur fiunt, cum duo pluresque Reges aut Magiſtratus certo in loco de rebus ſuis gravi colloquio deliberant. Hic, ſi ullibi, maximum dignitatis ſtudium eſt, ut neceſſario Majori cedere videamur. Et quamvis qui Princeps venit in alterius Principis territorium, Majeſtatem ſuam in illo non retinet, ipſius tamen Legato præter mentem plurium, idem qui domi ſuo Principi honos habetur, niſi quem adiit in ſuis limitibus ſummus ſit Dominus. In Rebusp. autem nemo Legato præibit. has, qui poſtulat congreſſiones, minorem ſe ſine dubio ac imbecilliorem profitetur; & quia frequens hic raptui occaſio, omnis pompa præfinitur. Quapropter in hoſtili præcipue congreſſione, cautiſſimum eſſe Principem oportet, ob maximas ſæpe fraudes per cauſam colloquiorum talium patratas. (*exempl. v. apud Polyb. cap.* 34.) Honoris quoque ſpecies eſt, ut qui dignitate ſuperior eſt, prior ad conſtitutum locum veniat, & alter poſterior, ad hunc accedere videatur. Præcipuum honorem meretur, cui præter cætera

tera bona, divitias quoque magnas fortuna indulſit. At inter unius Principis Legatos hanc de loco æmulationem prærogativæ, non æquior, eorum Domino, judex, finiet, quamvis præcedere merito videatur, qui noviſſimus ab aula egreſſus. (*Paſch. cap.* 38. *&* 36. *Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 32.)

XXXIX. Nunc dicendum mihi, qui *exteri*, quive *domeſtici* Legati dicantur. Fuere autem vel *Coloni*, vel *victi* vel *ob merita in Societatem aſſumpti*. Priores *illi* Imperio Legibus Romanorum, implicati *domeſtici* dicebantur, nec munera ipſis nec ceremoniæ cæteræ decretæ. *Hi* vero quamvis ſocii Romanorum, ad arbitrium tamen regnantes *exteri* nuncupabantur, & horum univerſim admiſſioni deſtinatus eſt à Patronis *Menſis Febr.* raroque, nec niſi gravi de negotio in Senatu audiebantur. (*Paſch. cap.* 40.)

XL. Si nullis domeſticis aut exteris agitamur tumultibus, hoſtium æque ac amicorum Legatos excipimus. Licet enim *ſpecie Legati, re Exploratores* venerint; poterunt, ſi perplexa apud nos omnia, dimitti; Sin in hoſtium quoque terrorem compoſita, at eo diutius retinendos arbitror. Verum, armatus ubi hoſtis inſtat, in urbem caſtrave vix unquam recipitur Orator, ſæpe nec viſus eorum indulgetur, alias ſcil. externa eorum facies quid intra ſe contineret, ſolerter indicaturo. (*Polyb. cap.* 141.) Aut ſic demum introducitur, cum pro rerum omnium apparatu bellico, animo ſimul & armis diffiſus ad ſuos revertitur. Potentiorum Principum Legatos ad hoſtes nulla venia profectos, *honeſta quadam ſpecie commentoq; caſtris excluſos novimus*, minores vero, *graves ſæpe audacia pœnas dediſſe.* (Paſch. cap. 41. & 42.)

XLI. Illud quoque inter prima caveri ſolet, *ne præſente populo Legatio exponatur*, quippe inſtabili ei & quocunque flexibili facile imponit eloquentiæ ſuavitas. Quod ſi tamen ab Principis vel optimatium nimia prudentia ne juſta quidem poſſumus impetrare, adeo non erit improbandus hic dolus, ut neceſſario adhibendum eum exiſtimem. (*Paſch. cap.* 44.) Digniſſimum quoque obſervatione ac neceſſarium eſt; ut juvenem ſuum Principem ab frequentibus cum Oratore colloquiis Senatores cohibeant. Flexilis enim & inſtar ceræ mollis juventus, facile ei quæcunque forma imprimi poteſt. (*exempl. vid. apud Pol. c.* 1.) Et ex diverſo Legati rerum ſuarum ad Popu-

Populum delationem anxie cavere fas eſt, ſi, quæ conceſſiſſent Optimates, populus ſtudiis diverſis, & affectibus contrariis negaturus eſſet. (*Polyb. cap.* 8.) Legatum denique populo ob impoſita à Principe onera contumaciter & ſeditioni proximo querenti, nihil vel conceſſiſſe vel remiſiſſe, verum verbis ſaltem ſpecioſis & ſedando tumultui aptis verſute eluſiſſe didicimus. (*vid. exempl. apud Polyb. cap.* 9. *apud Tacit. Ann.* 1. *cap.* 25.)

XLII. Qua autem lingua noſter orabit? Ad exiſtimationem ſane pertinet non alia quam cujus Legatio eſt, niſi opibus potentiaque ſuperior, ſuæ hunc linguæ honorem haberi velit, qui aditur, & mirum, Principes non magis fere de rebus geſtis quam Linguæ ſuæ præſtantia gloriari. Sed quæ inter pares valebit? Equidem tribui quædam ſibi invicem par erit, eaque utendum quæ nullius jam gentis eſt, *Latina*, quod etiam ſervare Principes noſtros, credo. Cæterum abſque ulla honoris præeminentia lingua utentur exotica Princeps Legatuſque ſecretiora privatim peragentes, tum quia liberius ſibi ac efficacius loquuntur, tum quia adhibito interprete, impetum ſuum caloremque ac prope nomen oratio perdit. (*Paſch. cap.* 47. & 48.) Male igitur *Gentilis* nec pro dignitate, adeundi Principis lingua utendum ſtatuit. Nec ibo inficias, citius rogata ſic impetrari, at obſequium hoc nimium innuere, quis negabit? (*Gentil. lib.* 3. *cap.* 7.)

XLIII. Legatos quoſdam per *interpretes* mandata expoſuiſſe legimus, qui è Senatu ipſo deſumpti, ea quæ deſideratur in hoc munere fide ac ſolertia conſpicui vel (1.) quod Legati ipſi ignari ejus imperii linguæ, vel (2.) quod Principes hic quoque Majeſtatis ſtudioſi, neminem ſibi protinus exterorum loqui voluerint, vel (3.) quod utilitas præcipue ſpectata, dum breviter ſuccinctęque reddiderit interpres, quod longa, ambitioſa & noxia populo oratione Legatus, flagitavit. Sæpe & ipſi interpretes ſcriptis tantummodo agebant, quos ſecum quoque ipſe advexerat Orator, cum vel ad hoſtes vel proximos iis meabat. Arduum tamen & haud uno periculo cinctum hoc munus, cum ſæpius eveniſſe ſciamus, inſontes Legatorum interpretes ingrata ferociaque mandata exponentes immani ſævitia

vitia Principi, nihil adverſus Oratorem auſuro, pœnas dediſſe. In pactis autem publicis ne quid dubii iis verborum irrepat, plures adhiberi ſolenne eſt; quorum denique officii eſt, apprehenſis paciſcentium manibus, ſolennia inter eos verba pronuntiare. (*Paſch. cap.* 49.)

XLIV. Orantem jam Legatum, benignis auribus, præſentique animo audiri a Principe cupimus, & quamvis rebellibus eorumque ſimilibus durum eſſe, nihil trahat ex iniquo, modeſtum tamen ſe iis ac miſericordem præbuiſſe, maximæ virtutis gloriam famamque non interituram paravit. (*Exemplum eſt apud Polyb. cap.* 82.) Notavimus autem ſæpius interpellatos eſſe dicentes Oratores, vel quod laude ſcita nimium & urbana noſtra in ſe beneficia commendarent, vel ingratum quid indecorumve dicturi viderentur (*Polyb. cap.* 84.) cujus rei gratia ab alio quam Principe audiebantur. (*Polyb. cap.* 13.) Petulantem vero, rixantem & inſanam quodammodo Orationem audire ſtolidi Principis eſſe dicerem, niſi is ſupra hoc nomen peccaret. Nova autem & inopinata comitate Legatum alloqui, e laudibus Principis haud poſtrema eſt, qua etiam ad ſecretiora ſuum Regnum ſpectantia ſcripta, ſi quæ habet noſter, aditum ſibi facili ſubtilitate parabit. quo denique pertinet titulorum Principum ſingulorum exacta perfectaque cognitio. (*Paſch. cap.* 50. 51.)

XLV. Ipſam Legati orationem non ſophiſticam volumus, ſed elatam ac ſublimem, tantumque a faſtu omni remotam, quam alienam ab humilitate, quæ ſane neceſſaria interim videtur, quum ob excuſſam apud adeundos humanitatem, nullus niſi precibus locus relictus eſt. Nec tamen audaciam omnem loquendive libertatem noſter dimittet, ſed de fortunæ malignitate, rerum mortalium mutuis ludis aliiſque verba faciet, quibus a ſuperba ac periculoſa rerum ſecundarum elatione victores prohibentur, ſæpe ad mitiora audientium animos deducet. (*Polyb. cap.* 14.) Priſcis temporibus tutiſſimum erat Legato, mandata verbis quibus acceperat, eloqui, a quo more cum receſſerit hodierna conſuetudo, hactenus Legatum Oratorem eſſe decebit, ut eloquendi ſuavitate, in quamcunque partem auditores flectere poſſit, illudque efficere, ut diſce-

ſcedens eſurientem Principem nunquam ſaturum ſui ſermonis relinquat, in quo hoc præ omnibus cavendum reor, ne ut puer præcepta, ſic ille Orationem alligaſſe memoriæ videatur. (*Marſ. lib. 2. diſſ. 36.*) Quod ſi ipſum Legatum, *Numine*, ut ita dicam, *ſuo obſtupefactum* Princeps viderit, jocis quibusdam aliaque ſermonis comitate timentem animum ac trementem relevabit. (*Paſch. c. 51. Marſ. l. 2. diſſ. 33.*)

XLVI. Hic neceſſe eſt, ut Chalybs aliquis circa pectus ſit Legato, quo triſtia pariter lætaque, meliora & duriora reſponſa, nullo vel in ore coloris vel in animo doloris mutatione concuſſum, illud tranſeant. Ipſe ſane ſimili ſtylo audacter Principi reponat. Quod ſi ſpacium petenti dabitur (*Polyb. cap. 13. & 17.*) avide occaſionem arripiet ſimile quid objiciendi, aut ſubito reſpondendi neceſſitate impoſita, tam opera danda eſt, ne præcipitanti ac noxio calore quid evomamus, quam ne hæſitantia quoque rem funditus perdamus, adeoque ſi deficiat nos ingenii ille vigor, at ſaltem perplexitate quadam involvendus eſt Princeps, quamvis & genium ejus introſpici oporteat, quem objecta ſæpe modeſtia breveque ſilentium, & decorus ſimul gratuſque corporis habitus ac geſtus, illico mitigavit. (*Paſch. cap. 52. Marſ. lib. 2. diſſ. 38.*) Illud denique haud poſtremum licet obſervare, nec Principem Legato, nec viciſſim hunc illi debere (niſi certo accepto pignore) ſanctiori ubique fide credere, ſed cum aliud dicant, aliud faciant, utrinque ſimus

—— —— *In utrumque parati.* (Paſch. cap. 63. Marſ. lib. 2. diſſ. 39.)

XLVII. Singulari dicendi ſtylo utuntur Legati, petendi quidpiam gratia profecti, nec enim abjecto animo vilia nimis petenda ſunt, quia

Qui timide rogat, docet negare (Senec. Trag. in Hypp.)

Audacter tanquam debita nobis, utilia quæque, nec tamen impoſſibilia flagitanda, quæ niſi donentur, deflectere paulatim ac remittere petitionis primæ conſtantiam decebit. quod ſi rerum omnium repulſa eſt, forte noſtri in ſe beneficii commendatio *pudorem*, & ex eo quem ſperamus eventum in animis excitabit. (*Polyb. cap. 4.*) Præcipuum in petitionibus arcanum eſt, ne plura ſimul flagitentur, ſed per vices ſingula, nova ſemper aſtutia

extorqueantur. Cæterum ut ridendi ſunt *ſupplices, impudenti audacia, quævis petentes*, ita ſpernendi viciſſim, qui fœda humilitate, timide, quod juſtum, expoſcunt. *Largitione in populum* ſi precibus locus præcluditur, utendum, audacius affirmaveris. (*Paſch. cap. 53.*)

XLVIII. Longe præ cæteris periculoſiſſimam Legationem dixero, *quæ in quærenda Principi uxore verſatur.* quam multa enim ſolicitis oculis ſpectanda, menteque anxia attendenda, ubi *ſalus* Imperii conſiſtit? quorum ſi proſperum eventum noſter habuit, quibus non honoribus, ſin ſecus, quibus non contumeliis laceſſitus? In cæteris quoque ubi Legati induſtria & conſilium eminet, *Deditionibus, Induciis, componendis ſeditionibus, acquirendo, emendo, confirmandoque Imperio, inferendo Bello finiendoque*, commodo ſingulis dicendi genere utetur, quæ omnia quamvis ideo periculoſa ſint, quia mollia cenſere & remiſſas ſententias Principi dicere, noxium Imperio eſt; utilia vero, ſed quæ nunquam ſua difficultate carebunt, nauſeam Principi, Legato aversum hujus in ſe animum plerumque conciliabunt (*vid. Barcl. lib. 3. Argen.*) eorum tamen turpe erit ignarum ſe prodere, quorum ſententiam rogatur. Igitur horum meliorem à Politicis quam a me rationem accipiet, quamvis plerique & in his præcipue *Fredericus de Marſelaer* juſti injuſtive ratione omni exploſa inriſave, tantum utilia non ſine impietate Principi oſtendunt. (*Marſ. lib. 2. a diſſ. 21. uſque ad 31.*)

XLIX. In iis quæ ſupra de Oratione Legati dixi, optimam illius ac præcipuam partem, *brevitatem*, omiſi, proxime Majeſtatem imitatur brevis & perfecta acutaque intimorum ſenſuum eloquutio. Longa illa ac tædioſa, raro vanitate, ſæpe nec mendacio carebit, quod tamen ſi neceſſitate adactus noſter immiſcet, tum ipſe occultare pro viribus, tum Princeps diſſimulare præhenſum, ſi nec noxium illud ſibi noverit, libenter operam dabit. (*Paſch. cap. 54.*) Nec indecorum erit jocis quibuſdam egregiis Sermonis auſteritatem temperare nihil tamen gravitati ſuæ nocituris, quamvis prorſus omitti præſtet, ſi averſari eos genium Principis ſciamus. (*Paſch. cap. 55.*) His ego *tardam locutionem* merito annecto, quia nihil ordinatum eſt, quod præcipitatur &

prope-

properat, & iſta vis dicendi rapida aptior eſt circulanti, quam agenti rem magnam ac ſeriam. (*vid. Senec. epiſt.* 40.)

L. Ad mandata autem ſemper reſpiciet, quia ab hoc velut lumine tota Legatio illuſtrabitur, ideo ſane nihil de iis mutandū nihil removendum, ipſius enim Principis majeſtas ſolvetur, Legatus temerariæ audaciæ famam captabit: Et licet dies abeat priuſquam quæ in hanc partem dici poſſunt enumeres, tamen in perplexo ſane eſt, *an adigi Legatum præſtet ad immutabilia mandata, an jus illi relinquere, pro ratione temporis ea vel immutare vel tollere?* Equidem nullum video peccatum, mandata ſcopulo forte incurſura, ſi arte ſua ac ſolertia emendaverit. Et quamvis novis impedimentis implicato præſtet per internuntios Principem conſulere, quam ſuæ quicquam autoritati tribuere, ſi qua tamen rei bene gerendæ occaſio data, cupide arripienda eſt, nec enim de levioribus quibusvis inquietandus eſt Dominus. quid ſi dubium illi de legati ſolertia fidemque ignorantiæ ſic incutiamus? Levius autem tutiuſque peccabunt liberarum gentium Legati, quos præter quod ſocii ſunt ſummi Imperii, nullum eos Reip. arcanum latere poteſt. Libera vero mandata ſicut proſtituenda non ſunt (velut impoſſibile quidpiam polliceri &c. & mille alia, quæ ita proponi debent, ut dubia ac ſuſpenſa eſſe ubique poſſint) ita egregium erit illibata ea Principi reddere, id eſt noxia licet, patrandi venia data, effugiſſe induſtria. Quæri etiam hic poteſt, num ſi impia mandata & adverſum famam pugnantia acceperit, edendis iis teneatur? non puto, utriuſque rationem reddet egregium & nunquam ſatis laudatum ſymbolum; *Prima cura ſit Conſcientia, altera Fama.* Altum denique mandatorum ſilentium injunxero, ne facile ignotis pateant, quos forte data opera Princeps ſubſtituit. Quod ſi tamen fidum pectus noverit & præparatum, in quod tuto ſecretum omne deſcendat, tam audacter cum eo quam ſecum loqui poterit. (*Senec. epiſt.* 3.) quid ſi enim periculum à diffidentia nimia?

Multi fallere docuerunt, dum timent falli (Senec. Trag.)

Neutrum itaque faciendum eſt, utrumque enim vitium eſt: Et omnibus credere & nulli. (*Paſch. cap.* 36. 56. 57. *&* 58. *Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 41.)

LI. Mandatorum, ſive aperta ſint ſive occulta aut libera,

edendorum poſtulationem, nulla modeſtia, extorſionem nonniſi vis impia audebit, nec tamen Legatus etiam ſtolida noxiaque diligentia ſemper ea latere apud ſe ſinat.' quid ſi enim nulla niſi mandatis tanquam teſſera pignoreque inſpectis, fides muneri habeatur (quamvis nec id fieri deceat, ſi ſatis ſit fidei in ipſa Legati fama) quid ſi ad paciſcendum profecto literis pacta tradantur? quid ſi ingratus ipſe inviſuſque Principi nihil niſi introſpectis mandatis credituro? In his autem Legationibus notamus, aliis Principem audiendi eas officium injungere, ne ipſe debiliore ſua prudentia, aut affectu nimio pericula incurrat. (*Paſch. cap. 59. 60.*)

LII. Sed poteſtne Legatus ea patrare facinora, quæ nunquam Principi præviſa aut ſperata, nihilque ejus munus ſpectant? Non facile ego affirmavero. Poſtquam enim detrimentum licet nulla ſua culpa Legatio acceperit, ejus negligentia id eveniſſe dicetur, qui neglecto officio aliis interim otioſe inhæſerit. quæ tamen ſi metui non ſit opus, poterit ſane rebus iis vacare, quæ ſicut Legationem nullo modo inquinant, ita multo aliquando eam faciunt illuſtriorem, majorem. Velut inter litigantes peregre perſonas ſi judex adhibeatur (*Polyb. cap. 45.*) aut negotia ſui Principis celerem opem poſcentia animadverterit, vel Imperatorem Ducemque bellicum periclitantem, ſi opera ſua, illæſo jure gentium, juvare poſſit. quæ omnia ſicuti ornamento ſunt muneri, ita mille alia (cavenda noſtro) dedecori, periculo, impedimento. Ex hiſtoria denique intelleximus, mitti aliquando in hoc ſaltem Legatum, ut odium conciliet ſeratque inimicitias, ubi unum arcanum eſt, *cavere a ſuſpectis ſermonum captatoribus eorumque ad hoſtes futuros delatoribus*, quod ſi evenit, tota quoque Legatio in nihilum abibit. (*Paſch. cap. 61. Marſ. lib. 2. diſſ. 17.*)

LIII. Volo hoc loco quæſtionem movere, *An apud exteros conſilium dare* (cum tanquam ab oraculo ſit acceptum) *& accipere viciſſim Legatus poſſit*? dicam quod ſentio. præter quod periculoſe quis id affirmaverit, quod vel colloquia cum exteris nimia ſuſpecta ſint Principi, etiam impudentis animi nota eſt, non rogatum ſententiam dicere & invito quaſi obtrudere. Rogato, videndum ſane ne imminuat ſed augeat Principis autoritatem, Legati ſolertiam, muneris ſplendorem (*vid. exemp. apud Polyb. cap. 26.*) quæ, niſi tum ipſius negotii, tum rogantis etiam

per-

perſpicuam cognitionem habeat, fruſtra ſperabit. Conſilium vero accipienti Legato non ſolum eventus illius rectiori judicio ſpeculandus, ſed caute inſuper inquirendum, ne ſive bonum ſit ſive noxium, obſequium quaſi jubeat nimia conſulentis autoritas. (*Paſch. cap.* 26. *Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 40.)

LIV. Magnum profecto, ſplendidum ac venerandum eſt, munus Legationis. Eſſe tamen adhuc ſublimius elatiuſque, & quod proprio nomine *Illuſtre* dicimus, unanimi omnium conſenſu probatur. Sane ut ipſum munus illuſtre, ita nec obſcurioribus radiis ſplendeſcunt illius Legati, *Illuſtriſſimi ſcil. Regnorum Proceres.* Quid mirum? cum ad res maximas & Orbis univerſi ſententia, optimas *Pacem & Fœdera* adhibeantur. In Pace petenda acquirendave, eloquentiæ ſuavi nec maligno tamen perſuaſionis faſcino noſter utetur, nec reliqua eam laudantia argumenta otioſo ſilentio tranſibit. In fœderibus autem ſanciendis feriendiſque hæc fere attenduntur. Confœderatorum nomine gaudentes aut non hoſtes ſunt, aut hoſtes, verum mora tantum bellique tædio laſſati, aut prælio ſimul belloque victi, ubi immutabile prope hoc eſt, quod nunquam non a potentiore victoreque leges ac conditiones expectentur. Cum infidelibus autem ac manifeſte impiis fœdus inire, licet nunquam ſit e dignitate nec ab utilitate ſæpe Reipub. tamen nec recuſare, ſemper e fortuna. Hic ipſe Legationis illuſtris ſplendor ad leviora etiam deflectit: *Conſolationes, Congratulationes*, (quarum vigor omnis eſt, ne ſero nimis adveniat Orator, poſtquam remiſſior jam aut obliteratus eſt, ille vel gemendi vel plaudendi impetus) *Juris jurandi petitionem*, (Polyb. cap. 37.) *Laudationes, obeunda adverſus defunctos Munera Pietatis, implenda vota, Promiſſiones, teſtandam Benevolentiam, nuncianda Miracula, petendas ab exteris Religionem, Leges, Conſilia. Petendam Principi Uxorem, & cum venerandarum perſonarum precibus Regni Incolumitatem, Salutem, Sobolem, per Legatos committimus, ſubmittimus.* In his autem Legationibus ſinguli dicendi genere diverſo utuntur, dubium conſilione perſuadendi citius, an Eloquentiam ſuam ſcientiamque jactandi. Conveniunt etiam hi omnes gravitati præcipue intenti, certo in loco de re magna conſultaturi. (*Polyb. cap.* 36.) In auxiliis vero petendis præter Orationem omnibus perſuadendi ra-

di rationibus ad ea commodatam, illud quoque ſpectandum tradit Frederic. de Marſelaer (*lib. 2. diſſ. 27.*) certiſſimum eſſe timentis, & effœminatæ mentis indicium, auxilia perplexe promittere, nunquam præſtare, nec inutilem nobis fore notitiam hanc, aſſerit. Quod ſæpe verum eſſe licet non diſſentiam, tamen nimis lubrice ſemper huic ſpei quis nixus fuerit. quid ſi enim alta nos tranquillaque pax foveat, num ſtulta præcipitantia nos in ancipitem eventum dabimus? Illud magis dignum eſt animadvertere, *raro quem Deus hoc otio beavit, ut auxilia fortiori ferre poſſit.* Verum cum ſuſpecta ſit ſemper aliena potentia, imbecillioris partes tueri, quarum auxiliis in opprimendo fortiore adjutus, amborum Dominus ſubtili necomnibus præviſa prudentia efficiatur, inter artes eſt. Cautio tamen huic malo videtur eſſe, ut nunquam potentiora viribus noſtris auxilia petamus, eaque a noſtris centurionibus præfectiſque curentur. (*Paſch. cap. 64. Marſ. ibid.*)

LV. Quod de conviviis excipientibus noſtrum dixi, hic me monuit, ut obvias illic virtutes vitiaque oculis illius ingeram. primæ ſe offerunt *ineptiæ*, quæ cum in humillimis quibuſvis & in angulo jacentibus turpes ſint, eo ſane magis indecoræ Legato, quem omnes ſuſpiciunt & in multa luce fortuna poſuit. (*Senec. conſ. ad Polyb. cap. 25.*) Neſcio autem an potentior ſit inridendi eum occaſio, quam inepta rerum longius a ſuo munere recedentium narratio, cujus rei inſigne exemplum refert *Polybius* (*cap. 37.*) Cætera non minus in honeſtam, *ruſticitatem* intelligo illudque δυσάρεςον (quo nulla re alia citius ſibi odium contraxerit) *obſcœnam in loquendo petulantiam*, *libidinem*, quæ omnia vix averſabitur. niſi *ebrietatem* quoque fugere doctus ſit, quia ebrius omnibus vitiis quantum petierint, ſine dilatione permittit, imo nec arcana Legationis hic in ſecuro, quia onerati mero, quemadmodum non continent cibum, vino redundante, ita ne ſecretum quidem, quod ſuum alienumque eſt pariter effundunt (*vid. Senec. epiſt. 83.*) Nimia etiam Comitate facilitateque, quia in contemtum plerumque degenerant, tamen ne auſterus nimium ſuperbuſque dicatur abſtinebit. Ab his porro conviviis, ſicuti merito arceo *luxuriantem illum in patinis ſtomachum*, ita nec hi mihi probantur, *qui omnem cibi apparatum, non ſecum*

ſecus ac virulenta fercula horrent, & intempeſtiva temperantia ſobrii modeſtique ſtulte videri volunt. caveant ſane, ne aliorum per convivia hæc reficientium ſe hilaritati obſtent, intemperantem forte lætitiam ſuam, modeſto ſilentio tacitove contemptu illos reprehendere credentium. Imo hercle poterit etſi non ipſam aliorum luxuriam imitari, tamen ad illius ſimilitudinem vultum ſuum geſtuſque componere. Nihil vero tantam ei laudem famamque parabit quam *gravem & Majeſtati proxime accedentem ſententiam ſubito & inopinantibus cæteris pronunciaſſe*, ex cujus celeritate etiam induſtria æſtimabitur. odioſa erit, immatura & ſtulte ambitioſa litterarum jactantia, niſi pro occaſione etiam modeſte prodatur, ſicut alia ſolertiæ maſcula ſpecimina. Plenius autem ſuavioribus muſis vacare & opera integra in Legatione conſcribere, quicquid dicat ille, neſcio quomodo poſſit, niſi forte in ocioſa illa, id eſt Reſidenti aut, ſi mavis Deſidenti. Denique cum plebejorum viliorumque conviviis intereſſe Legatus nequeat, callide id famulis remittet, ibi quoque arcana ac ſcitu neceſſaria obſervaturis. (*Paſch. cap.* 56. 66. *Marſ. lib.* 1. *diſſ.* 17.)

LVI. Princeps autem quem adiit, præcipue intentus eſt, ut in virtutem apud ſe omnia ſint compoſita, vitia aut occultentur, aut ſolerti aſtutia virtutis nomen ſortiantur. ſermo erit maſculus, in conviviis ſobrii omnes modeſtique ac ſerii, omnia denique ſic conſtituta, ut Gentis ſapientiam virtuteſque cæteras Legatus ex animo miretur. Trophæa præcipue, tanquam præmia virtutis, omniſque belli apparatus & pompa ſociis amiciſque oſtentantur, hoſtibus quoque in terrorem, quamvis ſummo ſtudio cavendum, tum ne qua parte detegatur Imperii debilitas, tum præcipue, ne timendum ſit quod dixi ſupra. (*theſ.* 33. *Paſch. cap.* 57.)

LVII. Pleræque illuſtrium Legationum raro ſuo munere carent. adeoque non abiit in deſuetudinem, ut tanquam debitum ea dona ſibi poſtulent Potentiores Principes, quamvis pudeat, rem ſervilem liberiori muneris nomine honeſtare. In iis igitur licet benevolentiæ præcipua cura eſt, tamen ne ob nimiam vilitatem planeque opulentiam nullam, contemptus arguatur, præcaveri debet. Equidem hoſtem quoque ab hoſte

accepiſſe munera novimus, ſed neſcio quonam iniquioris fati ſucco illita, plerumque mutuæ perniciei cauſa extitere. Sæpe etiam plane non accipiuntur, a manifeſte vel impiis vel infidelibus, quamvis .·.·.·.·.·.·.·.· a .·.·.·.·.· oblata munera nunquam recuſet. Sordida quoque dona ultro congeruntur, manifeſte accipientem ob ingens aliquod ſuum vitium ridentia. Ea vero Regia & Cœlitus probata munera ſunt, quæ miſeris afflictiſque donantur, licet ſuperbæ opum oſtentationis cauſa plerumque id fiat. At ſociis mittentes munera, anxie circumſpiciemus, ne quid iis inſit ſignificationis ancipitis, videbimus ut accipienti dònum ſimile ſit, ne mittamus fœminæ aut ſeni arma venatoria, ruſtico libros, ſtudiis ac literis dedito retia, (*vid. Senec. lib.* 1. *de Benefic. cap.* 11.) cavebimus utique, ne ſuum cuique morbum exprobrantia mittamus, ſicut ebrioſo vina, & valetudinario medicamenta, maledictum enim incipit eſſe non munus, in quo vitium accipientis agnoſcitur. Præcipue autem manſura quæramus, ut quam minime mortale munus, & nunquam admonere opus ſit, ſed ipſa res evaneſcentem memoriam excitet & autorem ſuum ingerat & inculcet. (*Senec. ibid.*) Improbi mihi habentur qui parvo aliquo munere majus ſemper expungunt, & ſuo dono vanum opulentiæ tantum colorem illinunt. Cæterum arbitrium quidem dandi penes nos eſt, non item remunerandi, cum moris ſit protinus aliud invicem mittere, nec minus opulentum, quod ſi æqualem gratiam referre non poſſimus, vel ob noſtram infelicitatem, vel ejus cui debemus felicitatem, excuſabit nos noſtræ fortunæ tenuitas. Hæc autem dona remunerationis per Legatum proprium ferri ad Principem honoris quædam ſpecies eſt, eaque ſi multa ſunt ac ſplendida. Regio cuidam Præfecto traduntur, ipſi vero Principi eorum tantum Catalogus cum benevolentiæ donantis ſignificatione, offertur. Quid ſi vero miniſtros Regios his muneribus Legatus tentabit, num ea accipient? Inſciente Principe nunquam ſuaſero, excuſabuntur vero ſi is ſuorum hîc felicitatis conſcius fuerit, quanquam tutius adhuc exiſtimem, nullo plane munere accepto, avarum ſe prodere. Ipſe vero Legatus ſufficientiſſime ſane excuſabitur, tanquam omnem ſui muneris promovendi occaſionem arripiens. Legatus

tus denique multa largitione, nunquam non ſuſpectus habetur. (*Paſch. cap.*62.70.71.72. *Marſ. lib.*2. *diſſ.*28.)

LVIII. Quærere hic placet, num Legatus ejuſque Comites actionibus Civilibus teneantur? non ego negabo, ſi quidem in ipſa Legatione contraxerit. Sin ſecus, convenire eum ſane haud æquum judico, niſi expreſſe ſe quod ante ſuum munus contraxerit, ipſo Legationis tempore, ſoluturum promiſerit, adeoque eo loco quo ſe acturum pollicitus eſt, lubenter ſe ac neceſſario judici ſubmittet. Optimum difficultatibus his remedium eſt, nullo ære alieno involuto Legationem decernere, ſed eo liberum jam neceſſariis prætereà & ſuperfluis quodammodo ſumptibus inſtruere, reperti enim ſunt qui abſque grandiori pecunia, obſtinate Legationem reſpuere. (*Paſch. cap.*73. *Marſ. lib.*2. *diſſ.* 14.)

LIX. Pluribus adhuc involutum difficultatibus eſt, An perduellionis aliusve criminis dies dici poſſit Legato? Si dici poſſit, ſane violatum videbitur jus Gentium, ſin aliter, alienam de nobis victoriam, turpi metu prodemus. Non loquor de falſis illis aut ſubjectorum Legatis, qui non hæſitanter ſtatim punientur. Nec vero dubito veros quoque illos poſtulari poſſe, ſcelere quodam aliave actione infami convictos, inprimiſque ſi propria audacia, neſciente Principe peccarint. Sin juſſi ſunt id facere, equidem vindictæ cupiditatem, donec ultio matura, celandam arbitror, quanquam nemo fidus Legatus, vel noxium Principem in crimen ſubſtituet. Interim optimum reor, ſi nec magnum illud crimen, dandum aliquid tempori & occaſioni, ac prorſus ſæpe his animadverſionibus abſtinendum. Quid ſi enim non ratione, ſed impetu, ſed ira, ſed odio in Legatum ſuum ſtatutum eſſe ab exteris crediderit Princeps? Multo autem minus *pœnas in eum decerni poſſe* perſuaſum habeo; ſatis pœnarum ſentiet ſuo ſcelere maculata conſcientia. Adeoque neſcio qua rigida ſapientia *Gentilis*, vel in privatis Legati offenſis valere jus talionis ſtatuit. Imo ſi Læſæ Majeſtatis, vel alius atrocioris ſceleris convictus ſit, ſtatim puniendum non exiſtimo. Humanius enim egerimus, ſi neque nos ipſos neque alios ſed ipſum illius Principem ſuper rere tanta conſulerimus, qui ſi ſalutē ſuam amat, ipſe dabit ad pœnam, quanquam & voluiſſe tantum punire, ſæpe

ſuffecit offenſis. hacque ratione, quod optimum eſt in rebus humanis Pax conſervata eſt utrinque. Hic quidam monent Legatum ne nimia ſimplicitate ſuum facinus ipſe prodat, ſed conſtanti fronte illud a ſe amoliatur ac averſetur, præcipue ſi nondum nota ſatis res ſit, indignatione ſc. miniſque quam excuſatione uti præſtare exiſtimantes. (*Paſch. cap.* 75. *Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 13.)

LX. Illud quoque in perplexo eſt, num, & quid *Juriſdictionis* habeat Legatus in ſuam familiam? Equidem in rerum adminiſtrationis cura ac diligentia, ſimillimum eum Principi lubens fatebor, *illud vero jus vitæ neciſque* ſibi ſoli Princeps ſervavit, neque manum hic autoritati ſuæ quemquam injicere paſſus eſt, niſi ipſe eam dederit. Priſcis quidem temporibus occulta ſæpe unius a privatis patrata cæde: totius familiæ futuro dedecori itum eſt obviam, & ſi quæ alia in veterum monumentis exempla extant: Hodie tamen plane abiere in deſuetudinem, licet quorundam hominum audacia in his privatis peremptionibus Magiſtratus oculis glaucoma objiciat, tanquam naturalis fatorum conditiò, quos privata ſævitia occidit, rapuiſſet. Legato interim, ut vel hic quoque diſtinguatur a fæce populari, tota plane juriſdictione negata, partem illius permittere æquum cenſeo. Sed & hæc porro reverentiæ in Legatum ſpecies eſt, ut ſi qui miſeri condemnati, ædes ipſius tanquam commune Aſylum petant, in iis ſpem certam ſalutis inveniant; flagitioſos *interim quosvis* ac facinoroſos, *convictos judiciis, aut pro factis judicium timentes* (Salluſt. conjur. Catilin.) ad ſe recipere, nihil aliud quam impietatem morumque ſimilitudinem notat. quo modo ſi obſtiterit juriſdictioni alienæ, vi reos extrahi non diſſentiam, quos interim ſi ſponte Magiſtratui reddidit, in illius gratiam vel tardius vel levius punientur, aut pro ratione delicti plane peccaverint impune. Cæterum Legato hæc quoque deberi creduntur, ut illius permiſſu liceat. Cauponi quanquam admiſſum jam hoſpitem dimittere. Ædes ipſius ab omnibus vicinorum ſordibus, petulantia, moleſtia, liberentur, victus illius cæteraque fortunæ bona, hinc inde vehenda, nihil debeant vectigalium publicanis. Deum ſua Religione ac more colere liceat, quamquam præter *Fred. a Marſ.* mentem, alios [illegible] hoc cum Legato, privilegio uti volentibus, merito arceri ab

hoc

hoc jure arbitrer. Liberi licet apud exteros nati, paterno nihilominus privilegio jureque gaudeant. Amiſſa in itinere reſtituantur, ſi diem denique in itinere obierit, de actis ipſius expenſiſque referre Senatui vel Principi, nemo ſuorum ſit obſtrictus. Abſentem accuſari nefas ſit, vel accuſatus, a Domino defendatur, &c. (*Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 15.)

LXI. His abſolutis, dicendum mihi reſtat de *Ordinaria ſive reſidenti Legatione*, quam neſcio ſane quæ aſtutia humani ingenii, ſolertis ſemper in novis fraudibus excudendis, invenerit. Quoquo enim colore illinatur, frequentiorum inter ſe Principum officiorum, & aliorum hujusmodi, tamen ſi propius & acriori oculo inſpicias, fraudum ipſam tabernam fabricamque dicas (Ignoſcant mihi pauciſſimi illi ſalubriter hoc munere utentes ac ſincere!) Quid enim ſibi vult perpetua illa ac otioſa mora niſi ut arcana omnia conſilia captentur, captata ad Principem reſcribantur. Hinc ſuos habent pecunia corruptos delatores, Et, ô ſcelus, nonnunquam per illuſtrium fœminarum ſtupra penetrant ad conſilia conjugum, & quod mirere, ipſi eorum Principes per internuncios incautorum ſolertiam indagant. Proſperis quidem & ſuccedentibus rebus, quippe non tam nocituros, apud nos vivere pati poſſumus; At dubiis omnibus & in fatalem illum pereundi gyrum vergentibus, ſane nullo modo tolerandi, ſed honeſta quapiam ratione, ſi fieri poſſit, abigendi. Sed nec ipſi, ſi palam, hoſtilia agentur, diutius manebunt, ſicut & cæteri quoque Legati omnes, incepto bello, diſcedunt, vel ſi veniunt demum, inducias (licet ſuſpectas) fieri mos eſt. Cæterum hæc ſunt quibus intentus eſt Ordinarius Legatus: Nuncium ſui adventus præmittet; honores nullos reſpuet, Legatorum ibi morantium amicitiam magno ſtudio parabit, prima admiſſione præcipua tantum exponet, cæteris moram callide producet, promptus etiam felixque in petitionibus optandus, pronus in laudes Legati hujus quem ipſe adiit nomine, apud ſuum Principem morantis, virtutum ſuarum ſolertiæque modeſtus ubique oſtentator, multorum amicus, ignotus quaſi relatoribus, ſi quæ extra morem notabilia audiverit, cum aliis, dummodo non noxia muneri, communicabit. promiſſa, cæteris, alia quoque complectentibus ſcriptis inſeri poſtulabit. In Principem ſuum ſi quid dictum ſit in-

clementius, quanquam Regium ſit male audire, etiam cum benefeceris; Noſter tamen non minus famæ quam ſalutis ſui Principis acerrimus defenſor exiſtet. (*Paſch.cap.* 77.)

LXII. Cum igitur, quæ erant ſui muneris, ſancta fide ubique præſtiterit Legatus, quamquam malignior fortuna ſucceſſum deſtituerit, reditum ad ſuos ornabit, nec ſe ſuoſque cunctatione vana ſtolidaque deludi patietur. Nunquam tamen ſe clam ſubducet (indignum hoc munere facinus) vel hoſpitii violati infamiam parabit. Ipſi quoque Principes (dixi proxime) neſcio quid ſiniſtri ex hac mora ſæpius ſuſpicentur. Audacter itaque ac aperte redeundi veniam efflagitet, aut ſi prope jam armis omnia aguntur, & ſe in pignus felicioris eventus ſervatum iri animadverterit, nihil ſane prohibeo eum clam abire, quanquam mittantur ſæpe à Principibus excuſaturi moram Legati. (*Paſch. cap.* 79.)

LXIII. Diſcedentibus itaque Legatis, æquum eſt *Reſponſa* dari ab eo ipſo quem adiere, niſi hoc aliis officii injunxerit. Reſponſis igitur, ſi quid ingrati, perplexi, noxiique ineſſe noſter ſuſpicatus fuerit, prodi id literis rogabit, has quippe quam ipſum præſtabit triſtia nunciare, interim tamen, nulla ſe hujuſmodi reſponſa relaturum Principi, ſimulabit. In his prudentiſſimum eſſe Principem oportet, quando pro eorum vel gravitate vel humilitate fata Imperii tanquam facie inſpecta, agnoſci poſſint. Omnia itaque veneranda gravitate, ſublimia, ſeria, conſtantia, dignitate perſpicua, arguta, brevia & ab Oraculo quaſi profecta reſponſa habeantur. Sed ut non niſi Magna & reſponſis his ſimilia hæc decent Imperia, ita nec ſine riſu cæterorum & ſuſpicione ſtolidiſſimi faſtus, ea quoque minores Principes uſurparint. Quod ſi pluribus ſimul Legatis reſpondeatur, eundem quem in admiſſionibus ordinem ſervari, vidimus. Potentioribus vero Principibus per Legatos proprios (quanquam in aliud quoque miſſos) reſponderi pro honore habetur, quamvis Oratoris quoque vel ſuſpecti vel nimiam mandatorum molem adferentis gratia proprii, qui de omnibus cognoſcant bona fide referantque, Legati dimittantur, (*Polyb.cap.*46.) optimumque remedium hoc eſt, ut in anxia deliberatione verſantibus quid capiendum Conſilii, per Legatum proprium reſponſuros polliceamur, ut aptiori

rebus

rebus conſilio captando ſpatium ex mora trahatur. Equidem nihil quicquam ſæpe reſpondetur, ſed indignanti ſilentio efficaciori omni reſponſo, ingens Principis vel Legati vitium reprehenditur, ubi tamen opera danda eſt, ne ab timido & neſcio ſuis rebus conſulere animo, hoc profectum videatur, quibus ideo turpia fœdaque munera junguntur. Sicut ex diverſo, ipſi quoque Legati iniquiori reſponſo inritati exulceratique, omni replicatione ab iracundia excuſſa, nulla petita venia, domum profecti ſunt, (*Polyb. cap.* 1.) aut ſupremo Domino queſti injurias, ſi ad minorem aliquem Legatio extitit. (*idem cap.* 17.) Fallaciſſima porro ſunt quandoque reſponſa, quibus ſanctiori ſemper fide niti, pluſquam ſimplicis erit, adeoque in media pace nullum certius ſecuritatis pignus quam Arma habebimus (*vid. egregiam hac de re orationem apud Barcl. ſub init. lib.* 4. *Arg.*) Sed num mandata iterum cæteris reſponſis inſperſa noſter ſecum adferet? Ab amicis quidem ea accipiet, hoſtibus autem non niſi fœda ſubmiſſione paruiſſe dicetur. (*Paſch. cap.* 82. 83. *Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 39.)

LXIV. Solenne eſt pleriſque in aulis, abeuntibus Legatis, tanquam in pignus ac memoriam hoſpitalitatis, dari munera. Ea autem ab hoſtibus accipere, nunquam ſane aut raro tutum fuerit, niſi venia id fiat Principis, in negotioſa quoque Legatione, apud amicos licet, nulla inſcio Domino, munera noſter accipiet. In cæteris vero Legationibus quanquam magna ſane & precioſa munera indulgentiſſime in Legatos collata, tantæ modeſtiæ ac verecundiæ fuere homines, ut in ærarium publicum deponi ea vellent, niſi par Principis æquitas, moderatione ſimili id recuſaſſet. Inferiores illi Municipalium vel ſubjectorum Legati, nunquam dona rejicient, quando ſe his corrumpi eſſe paſſos, dici nequeant. Cæterum quanto majora precioſioraque munera, tanto magis noſter accipiendi ardorem celabit, quanquam placeat quibusdam, utiliſſimum eſſe facinus, & Principis ſæpe juſſu patrari, ſi tentatur muneribus Legatus, ut ſimulet ſe abire paulatim à fide, ſolertiori ſic aſtutia, in ipſa viſcera arcanorum Reipub. pervaſurus. Fuere interim, qui graviter ſane in Legatos ſuos animadverterent, quod acceptis cupide muneribus, etiam delicatius ſecum agi paſſi ſint. Hinc extant adhuc hodie ſeveriſſima *Gentis cujusdam*, in Legatos ſuos dona accepturos, decreta. Munera

nera denique talia ſæpe ſunt (Corona, Sceptrum &c.) ut ad Principem ea ſpectare facile ſit intelligere, quæ ſtulte Legatus unquã non acceperit. (*Paſch. cap.* 81. *Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 45.)

LXV. Redeuntem jam Legatum, & fauſto omine patrios fines ingredientem denuo, nemo excipiet, nemo audiet, niſi cujus Autoritate ac nomine, apud Exteros eſt exceptus, auditus, aut ſi quem alium Principi hoc ſuo munere fungi placuerit. Moris quidem eſt quibusdam in aulis ſolenni pompa redeuntem Legatum excipi, ſed nemini priuſquam ipſi Principi loquetur, deque Legationis actis referet. Cæterum ſimplex breviſque erit totius rei narratio, ſemper enim ineptiari fere mentirique credentur illa longa oratione & tumida res geſtas declamantes. Interim tamen nihil illius fidei famæque obſtiterit, qui honeſto quodam mendacio ingens malum evitare conatus fuerit. Illud quoque caveat, ſi proſpere munus ceſſit, ne ſe Authorem felicitatis hujus exitiabili jactatione aſſerat, ſed callide ſuo Domino honorem hunc deferat, ægre enim Politicorum omnium aſſenſu Principes alienas laudes audiunt. quo illud quoque pertinet, periculoſa laudatione noſtrum ab exteris commendari, ſi prætereito Principe, tantum Legati induſtriæ optatus mandatorum exitus aſcribitur, qua ratione cum Romani, Demetrii Legati ſolertiam impenſius laudaſſent, ipſiuſque gratia placatos ſe profiterentur palam, vitæ prope periculum apud Patrem, qui miſerat, adiiſſe refert Polybius. (*cap.* 50.) Exitiabili præterea diligentia Princeps cæteris Legatis adjunxerit exploratorem fidei, illi enim ubi id norint, qui alias horruiſſent perfidiam, indignatione adacti, non patiuntur ambigere Dominum, de quo antea erat incertus. Et quanquam quædam ex his quæ ſupra dixi præcipue ad Legationem non ſpectent, egregium tamen erit, occaſione data, de iis poſſe modeſte diſſerere, utileque, animadvertiſſe apud exteros maxime quandoque Patriæ profutura. Beneficia autem cæteroſque honores in ſe collatos, ſicut nonniſi ingratus celabit, ita injurias contumeliaſque nemo excelſi generoſique ingenii vir tacebit. (*Polyb. cap.* 125. *item cap.* 144.) Cavendum porro erit, ſi plures a Legatione redierint, ne diſcordanti ſermone mentiri ſe fateantur. quod ipſum quoque apud Exteros unius Principis Legati diverſis in aulis viventes, ſcripturi ad Dominum, obſervabunt.

bunt. Literæ igitur ad Principem, ut occupatum plerumque breviores erunt, cum in cæteris ad Conſiliarios epiſtolis, quod illæ omiſerint, complecti poſſit. Imprimiſque vana ſui ipſius laudatione ſibi temperabit, ipſum munus, tacente eo, ſatis diligentiam oſtentabit, ſed nec rumores quoſvis incertos audacius ſuis literis inſerat, ſi quid tamen certi habuerit, neminem ſuorum hanc ſibi nunciandi occaſionem præripere patiatur, nec aliorum ad ſuum Principem ſcribentium literas inaſpectas dimittat. Ipſe vero à Principe ſibi ſcriptas diligentius ſervabit, in renunciatione quippe ſui muneris, non inutilis operæ futuras, nec temere quælibet ſuorum quibuſvis communicabit. Puerile & neceſſarium tamen maxime eſt, cum Legatum ſcriptionum quarumlibet lectionis peritum eſſe volo, præter enim quod ſummum dedecus erit in his prodere ignorantiam, ſæpe etiam periculoſum literarumq; arcana, cum ipſe legere nequeas, alios quoque docere. Denique neſcio quo arcano, qua ſapientia, vel quo bono *Fredericus de Marſelaer* quid rerum geratur in patria, Exterum Principem literis facere certiorem poſſe, affirmat. Defendant ſi volunt alii, ego non facio. Illud quoque non mediocriter ſolertiam Legati commendarit, non otioſe obſervaſſe, quam multis legationibus aut quam paucis venerentur Principem quem adiit, exteræ gentes, quibus honoribus colatur, vel quam exigua illi apud ſuos autoritas, & ſi quæ ſunt alia, ex quibus Magnitudinem, Potentiam Principum, vel contra adverſantia Imperiis fata, nullo negotio ſuſpicamur. Ipſe denique multis in Legatione experimentis eruditus, prudentiorem ſe ſuo Principi ſiſtat, nec nonnullorum imitatione, eosdem quos extulit mores ſecum referat, aut honores tantum in ſe collatos, tanquam præmia *ſuæ* virtutis, ſtulta & exitiabili ambitione ſpargat in audientes. (*Marſ. lib.* 2. *diſſ.*41. *Paſch.cap.* 85.86.)

LXVI. Quod ſupereſt, merito ſe Legatorum ſuorum induſtria felices, ingeminare debent Principes, ſibique de eventu muneris gratulari, non nuda tantum virtutis admiratione, ſed quod maximum eſt, viroque Principe digniſſimũ, præmiorum, quæ merita eſt, collatione. Ingrati ſane, ſi, qui publicæ ſalutis cauſa, tot ſe ſubjecerit incommodis periculiſ-

que, re nulla recreatum dimitterent, aut obſcuriorem cæteros inter latere ſinerent, quam ſi nullis unquam officiis publicis eſſet functus, quod tamen eveniſſe quidam nos Principes docuere. In his autem remunerationibus duo ſunt quæ obſervantur: ut plurima a Principibus ſperare debeant Legati & pauca poſſint extorquere; deinde ut iis præcipue rebus donentur, quibus lætari eos maxime novimus, neque dubito his annumerare quos ſucceſſus ſui muneris deſtituit, id enim fato potius quam eorum ignavia eveniſſe credamus, &c. (*Paſch. cap.* 87. *Marſ. lib.* 2. *diſſ.* 48.)

VI.

DECAS QUÆSTIONUM HISTORICO-POLITICARUM *ex Juſtini Libro primo collectarum.*

Prooemium.

CYrum potentiſſimum Perſarum Regem ac totius Aſiæ domitorem, moribundum filios ſuos ita allocutum eſſe tradit Xenophon: *Diſcite ex illis quæ jam antea facta ſunt. Hæc enim eſt optima diſcendi ratio.* Sapientiſſimus Rex ſapientiſſimo monito filiis inculcare voluit, ut veterum monumenta & aſſiduè evolverent, & veram praxin veraque fundamenta adminiſtrandæ Reipublicæ inde haurirent. Quo etiam reſpexit Philo dum ait: *Hiſtoriarum lectio prodeſt ad parandam perfectam virtutem & ad curam Reipub. Inde enim tibi tuæque Reipub. quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites*, inquit *Livius lib.* 1. *in præfat.* Hæc apud me reputans cum *Juſtinum* Scriptorem utiliſſimum plurimis obſervationum politicarum, ad cottidianum uſum accommodatarum, floſculis abundare animadverterem, quoſdam decerpere ac in faſci-

faſciculum hunc colligere conatus ſum. Cœptis annuet Deus feliciter!

Juſtinus libro I. c. I. §. I.

Principio rerum Gentium Nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus majeſtatis non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat.

Quæſtio I.

Utrum Monarchia præſtet Polyarchia?

Affirmativam hujus quæſtionis Autor noſter triplici ratione ſuadet. Dicit enim primò, Monarchiam eſſe *antiquiſſimam, & principio rerum*, id eſt, quando primum homines imperandi parendique *ordinem ſecuti* ſunt, ac Rempub. colere cœperunt, *introductam eſſe*. Ex hac ratione prono quaſi fluit alveo *ſecunda*, ſtatum ſcilicet hunc eſſe *Naturæ convenientiſſimum*, hæc enim hominibus dum naturali adhuc ſua fruerentur libertate, nulliuſque Imperio ſubjecti eſſent, Monarchicum Imperium tanquam optimum recipiendum ſuaſit. *Tertia ratio* hujus Imperii præſtantiam illuſtrans eſt, *quod fuerit præmium virtutis*, quo illi afficerentur, qui ſpectata moderatione aliis prælucerent.

Firmiſſimis hiſce ex Noſtro adductis rationibus pro Monarchiæ præſtantia pugnantibus, merito locum dabimus, præſertim ſi ſequentes etiam conſideremus. Ecce enim *Deum Ter. Opt. Max.* qui univerſum hunc mundum *Regimine Monarchico* regit ac gubernat. Ecce *naturam*, quæ non ſolum hominibus ratione præditis, ut ſupra ex textu adductum eſt, ſed etiam *irrationalibus animalibus*, hunc ſtatum aut quandam ejus imaginem conciliavit. Habent enim apes ſuum Regem, & ſequuntur unam grues. *Plin.* 11. *nat. hiſt. cap.* 17. *Deinde ad tranquillitatem in Republ. conſervandam*, nullus ſtatus eſt aptior, nullus accommodatior. Ubi enim poteſtas penes unum, ibi neque diſſenſionis, neque diſcordiarum poteſt eſſe locus, cum pugna non poſſit eſſe niſi ad minimum inter duos, quo tendit Lucanus dum canit:

Nulla fides Regni ſociis, omniſque poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Accedit quod *Monarchiæ firmitas* ſemper prævaluerit, quod Exemplis demonſtrat *Keckerman. in Syſtem. polit. l. 1. c. 1. Nec parum momenti addit*, quod Monarchicus ſtatus *ſubditis* ſit *accommodatiſſimus*, cum facilius ſit unius viri judicio ac voluntati ſatisfacere, quam operam dare, ut multis ac variis placeas. *Iſocrat. ad Nicocl.* Hinc apparet etiam, toto cœlo illos errare, qui ſomniant Regium hunc ſtatum eſſe ſubditorum libertati infenſiſſimum, cùm multò magis ſub uno Rege vivere ſumma ſit libertas. Quod de Germanis ſcribit *Julius Pflug.* & *de Populo* Romano *Halicarnaſſæus antiquit. Rom. lib. 2.*

Juſtin. 1, 1, 2.

Populus nullis legibus tenebatur, arbitria principum pro legibus erant.

Quæſtio II.

An Civitas aliqua ſive Reſpubl. poſſit conſiſtere ſine legibus?

Quod de Antiquiſſimis populis hoc loco Juſtinus refert, eos ſcilicet legibus ſubjectos non fuiſſe, id etiam de priſcis Romanis tradit *Tacitus 3. annal. 26.* Et Aborigenes populum ſine legibus, ſine Imperio fuiſſe ſcribit. *Salluſtius in Catil. c. 6.* Verum cum legum varia ſint genera, non de omnibus, quæ hodie legum nomine veniunt, hos locos explicandos eſſe puto, ſed *tantum de legibus ſcriptis*.

Ad propoſitam quæſtionem reſpondendo, *nec ullam civitatem aut Rempub. ſine legibus conſiſtere poſſe* affirmamus; cum earum uſus tam neceſſarius ſit, quam aquæ & ignis; legem enim *animam civitatis* veteres rectè dixerunt. Quemadmodum autem corpus ſine anima, ita civitas ademptis legibus corruit, & quæ, obſecro, poteſt ſpes eſſe in ea Repub. in qua nec Senatus, nec populus vim habet ullam, nec leges ullæ ſunt, nec judicia, nec omninò aliquod ſimulacrum civitatis? inquit *Cic. 10. fam. Epiſt. 1.* Quapropter non injuſtè Imperator fulcra ac fundamenta Imperii eas vocat in Reichs Abſchied *de An. 1500. in princ.* wo nicht redlich gut Regiment/ Recht/ Gericht und Handhabung were/ auff denen als Grundpoſten alle Reich und Gewalt ruhen. ſunt leges *dextrum mundi brachium*,

chium, ut eas vocat *Reinkingk. de Reg. Sec. & Eccleſ. lib.* 1. *Claſſ.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. Quanta vero legum ſit utilitas in Repub. ne alieno vitulo ararem hîc prætereundum duxi. *Videatur Schönborner. lib.* 3. *cap.* 1. *Reinkingk. dict. loc. tot. cap.*

Juſtin. 1, 1, 6.

Fuere quidem temporibus antiquiores, Vexoris Ægypti, & Scythiæ Rex Tanaus; quorum alter in Pontum, alter uſque Ægyptum exceſſit. Sed longinqua, non finitima bella gerebant, nec Imperium ſibi, ſed populis ſuis gloriam quærebant, contentique victoria imperio abſtinebant.

Quæſt. III.

An bellum gloriæ parandæ cauſa ſuſceptum ſit legitimum?

Gloriam finem belli putaſſe, ac glorioſa victoria contentos fuiſſe Vexorem Ægypti & Scythiæ Regem Tanaum, Noſter memorat. Quamvis vero hoc loco de initiis & exitu horum bellorum nihil tradatur, prolixius tamen Vexoris bellum cum Scythis geſtum lib. 2. c. 3. ab Authore refertur, ibique additis circumſtantiis, ad oculum demonſtrat, hoc bellum gloriæ cauſa ſuſceptum fuiſſe, quæ autem ſors contigerit in hoc bello Vexori, proverbium iſtud indicat: Cito ignominia fit ſuperbi gloria, quantò enim majori gloria Scythiam ſubjugare conſtituiſſet, tantò majori cum dedecore refugere à Scythis compulſus eſt.

Equidem hæc Vexoris & Tanai facinora exemplo ſimili non carent. Conſtat enim è Flori lib. 3. cap. 10. Cæſarem, cum Britannos debellaret, non provinciæ ſed nomini ſtuduiſſe. Quid Alexandrum M. movit, ut multis quietis & à notitia ſua remotis populis bellum inferret, niſi

—— *animum mentemque perurens*
Gloria.

Cujus tanta flagravit cupidine, ut *plures quos vincendo nominis ſui gloriam augeret, dari ſibi mundos* optaſſe legatur: Et Anaxarcho innumerabiles mundos referenti dixiſſe: *Heu me miſerum, qui nec uno adhuc potitus ſum!*

Cæterum omnes qui horum & ſimilium exempla ſequuntur,

tur, gloriæ nec viam nec metam noſſe dicimus, iiſque Salluſtianum iſtud ſaluberrimum dictum occinimus: *Sapientes pacis cauſa bellum gerunt, & ſpe otii labores ſuſtentant.* Cui conſentit Juſt. Lipſ. dum alicubi ait: *Peccatis ſi ultio vobis propoſita eſt, ſi gloria, ſi Imperium.* Dices autem: Ergo nullam gloriæ habendam eſſe rationem ſuades? Abſit hoc! licet enim gloriam tanquam *juſtam cauſſam belli* non recipiamus, eam tamen, ut *conſequens belli* non rejicimus, obſervantes Plinii iſtud: *Gloria ſequi, non appeti debet.* Epiſtola 1. lib. 1. ad Saturn. Pomp. Sectemur itaque gloriam, verum *non tanquam actionum noſtrarum finem, ſed tanquam amabilem virtutis comitem.*

Juſtin. lib. 1. 2. 1.

Semiramis nec immaturo (filio) auſa tradere Imperium, nec ipſa palam tractare, tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro, nedum fœminæ parituris.

Quæſt. IV.

An mulieres deceat Regium ſolium aſcendere, ac viris imperare?

Negativam hujus quæſtionis ipſa Semiramidis meticuloſa deliberatio arguit, ex qua apparet, quantum *naturali rationi* repugnet hoc Imperium, & licet Regis Nini Uxor fuerit Semiramis, nec tamen auſa Imperium palam in ſe transferre, feliciuſque ſe regnaturam rata, ſi ſub ſpecie *impuberis pueri* populum regeret, quo etiam conſilio nec decepta populum ſub hac ſexus occultatione feliciter rexit.

Hiſce firmiſſimis, quæ ex Semiramidis deliberatione peti poſſunt, rationibus etiam *noſtras*, quæ ad negativam inclinant, ſuperaddimus. Repugnat autem Imperium hoc muliebre non ſolum, ut ſupra dictum, naturali rationi, ſed etiam *S. Scripturæ:* ibi enim paſſim mulier ſub poteſtate viri eſſe jubetur. Arcet ab Imperio hunc ſexum *Imbecillitas* & *defectus* 1. *Autoritatis*, ſunt enim timidæ magis quàm timendæ. 2. *prudentiæ.* Pinxere veteres Fortunam muliebri habitu, quo nihil conſilii atque prudentiæ ei ineſſe indicarent. 3. *conſtantiæ.* Unde Latinis in proverbio, mulieris animus, inconſtantiſſimum

mum quid denotat. Arbactus Medorum Præfectus apud Noſtrum inquit: *Colum & lanam tractanti ferrum & arma portantes parere non poſſunt.* *Tatitus* Sitones quod mulieribus parent, non ſolum *à libertate, verùm etiam à ſervitute degenerare dicit. in German. c.* 45. Propterea mulieres *obſequii gloria contentas eſſe jubet. Panegyr.* 83. 7. Speciales illas conſuetudines in quibuſdam Regnis; Angliâ ſcilicet, Scotiâ &c. quod attinet, dicimus eas eſſe *extraordinarias ac præter Regni naturam, nec carere damno & civium periculo ac diſſidio,* ut latius diducit *Prætor. in polit. memb.* 1. *Sect.* 3. *punct.* 13. Exemplum muliebris Imperii videri poteſt in Maria Scotiæ Regina *apud Buchananum de reb. Scot. lib.* 17. & 18.

Juſtin. lib. 1. 2. 12.

Poſteri quoque ejus (Ninyæ) exempla ſecuti reſponſa gentibus per internuntios dabant.

Quæſt. V.

Utrum Princeps ipſe coràm, an per internuntios negotia ſua expedire ac reſponſa dare debeat?

De mortuo Ninya, abjecto pigritiæ mancipio, poſteros ejus non ſolum regni, ſed etiam vitiorum ſucceſſores fuiſſe, in Gynæceo cònſenuiſſe, ac per internuntios populis reſpondiſſe traditur. At quanta mala hoc ipſo & Reipub. contraxerint, Sardanapali ultimi Regis exemplum ſatis ſuperque demonſtrat, qui cum nullius hominis viſui præterquam mulierum ſe objeciſſet, ſuſpectus tandem Arbacto factus, qui bellum ei intulit, in quo Sardanapalus, victus ac in fugam verſus, cum omnibus divitiis ſe vivum in ignem mittit, pœnaſque turpiſſimæ vitæ & malè adminiſtratæ Reipub. dedit juſtiſſimas.

Non debet itaque princeps tanquam ſimulacrum Veſtæ, aut

—— *Nulli aſpecta virorum*
Pallas, in abſtruſo pignus memorabile templo

intra ſecretum Palatinæ domus abditus contineri, nec cuiquā ſubditorum ſe videndum præbere. Quam enim calamitatem non attrahunt internuntii? Imperium aureum vellus habere animadvertunt, tonſuræ cupidi, omnia pro lubitu flectunt deflectunt;

flectunt; Imperatorem ſuum cuique venalem faciunt, ac reſponſa ejus, reſpectu quantitatis numeratæ pecuniæ, vendunt, omniaque non Imperatoris ſed ſua faciunt. Quid interim Imperator? videt ille non ſuis, ſed alienis oculis, audit non ſuis, ſed alienis auribus. Cujus rei memorabile exemplum habemus in Claudio Imperatore, qui præfecit aliquando Bithynis Junium Cilonem, qui cum malè adminiſtraret Rempub. Bithyni querelam Imperatori detulerunt, ac pœnas popoſcerunt. Cum autem parum intellexiſſet Claudius in turba ſtrepituque aſtantium, quid dixiſſent Bithyni, tunc Narciſſus pronus in Cilonem audaci mendacio edidit, gratias eos agere Ciloni; Præſit ergo illis alterum biennium, Claudius retulit. Hoc factum præſente, ſed parum attento principe, quid fiat abſente? Imitetur ergo bonus Princeps Theodoſium, de quo Panegyricus: *Non magis communem hunc diem atque ſolem, quam noſtrum Imperatorem videre licet.* Cujus ſtrenuus æmulator extiterit *Rudolphus* I. Optimus Imperator, qui cum ſubmoveri à ſatellitio ſuo tenues quoſdam ad ſe affectantes animadverteret, *per Deum*, inquit, *ſinite homines ad me venire, non enim ideo ad Imperium ſum vocatus, ut arcula includar.* Maximâ tamen perſpectione opus eſt principi, ne quoslibet peregrinos undique advenientes, ſtatim abſque cauſæ recognitione admitti, & oretenus ſecum colloqui patiatur, vita enim ſub hoc prætextu multi principes ſpoliati ſunt. Confer Exemplum *Henrici Valeſii III. Galliarum Regis* à monacho interfecti.

Juſtin. lib. I. 6. 10.

Pugnantibus ſuis Aſtyages partem exercitus à tergo ponit, & tergiverſantes ferro agi in hoſtes jubet, ac aenunciat ſuis, ni vincerent, non minus fortes etiam poſt terga inventuros, quam à frontibus viros: proinde videant, pugnantibus hac, an illa fugientibus acies rumpenda ſit: Ingens poſt neceſſitatem pugnandi animus ejus exercitui acceſſit.

Quæſt. VI.

An nonnunquam reſectis fuga mediis neceſſitas pugnandi militibus imponenda?

Aſtya-

Aſtyagem ſtrenuum belli Ducem, cum jamjam exercitum amiſſum ac res pæne deſperatas ſentiret, ultima pro regni defenſione ſuſcepiſſe, ac neceſſitatem pugnandi militibus impoſuiſſe refertur, & ſane conatibus hiſce effectus non defuit; duo enim certiſſima victoriæ ſigna ſecuta ſunt, *alacritas pugnandi in ſuis, ac fuga hoſtium.*

Sunt itaque interdum militibus media fugæ præcidenda; præſertim in caſibus, ubi pro extrema Reipub. ſalute pugnatur nec fugere fas eſt. Neceſſitate enim impoſita, milites ad deſperationem urgentur, quæ ne hoſti imponatur, omnes Politici conſulunt. Clauſis ex deſperatione creſcit audacia, *& cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido.* Curtius lib. 5. pag. 171. & neceſſitas quædam virtutis eſt deſperatio in hoc caſu, Vegetius lib. 4. cap. 25. Admonentur etiam milites ſuæ ſalutis, ut ſcilicet malint cum hoſte viriliter pugnare, ac fato exigente coram illo cadere, quam captivi abduci, ac miſerrimè partim jugulari, partim ſervitutis aleam ſubire. Terrore hoc modo percutiuntur hoſtes, ut qui vident adverſarios non ut homines ſed veluti feras beſtias neque arma neque tela horrentes in ſe irruere. Quod exemplum Lacedæmoniorum ſatis ſuperque demonſtrat, qui cum exercitum Xerxis arena copioſiorem cognoſcerent, nihil erat perſuadere difficile perſuaſis mori, ſexcenti viri caſtra quingentorum millium irrumpunt, cædunt ſternuntque omnia, ut qui ſcirent, ſe non ſpe victoriæ, ſed in mortis ultionem pugnare. *Noſter. lib.* 2. Numantini à Pub. Scipione Africano longa obſidione defatigati, cum ille intolerabiles pacis conditiones eis præſcriberet, deſperatis rebus ultimo ſe accingunt prælio, ſatius ducentes pro patria viriliter mori, quam ab hoſte ut oves jugulari.

Juſtin. lib. 1. 7. 3.

Victus Crœſus jam de ſe ſolicitus in regnum refugit.

Quæſt. VII.

An fuga Duci quandoque ſit honeſta?

Affirmativam ipſum hoc Crœſi exemplum ſuadet, quem licitè fugam petiiſſe putamus, cum cauſa fuerit licita, non enim ignava timiditas aut malitioſa ſociorum deſertio eum retrotra-

xit, ſed deſperatus rerum ſtatus, ac ſalus Reipub. Nec enim Lydis nec ſociis Babyloniis conſultum fuiſſet, ſi Crœſus diutius in prælio perſeveraſſet, ac ſuo interitu ſuorum cladem augere voluiſſet.

Verùm non ſolum honeſtum, ſed etiam perquam neceſſarium eſt, prælio quandoque diſcedere. Et neſcio, an non ſtultæ temeritatis nomen mereatur, qui videns plures & potentiores eſſe hoſtes, in eos tamen irruere non vereatur; Abeundum namque, ſi licet, dum res afflictæ, nondum tamen perditæ ſunt: neque in bello malè auſpicato diutiùs perſeverandum. *Noſter. lib.* 4. Obſervandum autem, certos caſus conſtitutos eſſe, in quibus fuga honeſte ſuſcipi poſſit, quorum *primum noſtri Crœſi ponamus*: Quando ſcil. belli Dux à ſociis in auxilium vocatus, acies labantes ac res pæne deſperatas ſentiſcit, nec ex ſuâ præſentiâ fortis aliquid ſubſidii reliquum eſſe cognoſcit, prælio abit. *Secundo* quando copiis hoſtium ſe longè inferiorem videt, tunc imitandus Turcarum ille victor feliciſſimus Corvinus, qui cum hoſtibus aliquando longè inferior eſſet, nec in tanta trepidatione militem cogere poſſet, fugam arripuit, poſtmodum vero majoribus copiis collectis, Turcam penitus proſtravit, ut refert *Bonfinius Decad.* 3. *lib.* 5. *num.* 30. *Tertiò* quando inſigni ſtratagemate fugam ſaltem ſimulamus, ut fecit Cyrus, qui cum in Scythiam trajeciſſet, & caſtra metatus eſſet, ſimulato metu refugiens caſtra deſeruit, vinum affatim, & ea, quæ epulis erant neceſſaria, reliquit, cum autem Regius adoleſcentulus adveniſſet, ac inſuetos Barbaros vino ſe onerari paſſus eſſet, Cyrus regrediens omnem exercitum ejus cum Duce trucidavit. Quem deinde Tomyris pari inſidiarum fraude circumvenit. *Noſter. hoc lib. cap.* 8. Poſſunt & alii caſus recenſeri, ubi licite fugere poſſumus, iſtud tamen inſtituti noſtri non eſt. Hoc unicum notandum maximè duxi, multò tutiùs fugam ſuſcipi poſſe, ſi prælium extra, quam ſi intra fines territorii noſtri committatur, ſi enim extra fines bellum infeliciter gerimus, tunc ad defendendos fines noſtros poſſumus recurrere, quando verò in noſtra terra pulſi fugam arripere conamur, tunc ſane ſors noſtra miſerrima, ac tutiùs

Aſtya-

Aſtyagis remedio uti licet, quâm aut exulem aut captivum fieri, *ut quæſt. præced. dicitur.*

Juſtin. lib. 1. 8. 9.

Tomyris orbitatis dolorem non in lacrymas effudit, ſed in ultionis ſolatia intendit, hoſteſque recenti victoria exultantes pari inſidiarum fraude circumvenit.

Quæſt. VIII.

An mulieribus bellum gerere liceat?

Memorabilem hanc Tomyris in Scythia deportatam victoriam, ſi paulo altius conſideremus, ac ſequentia textus verba inſpiciamus, fatebimur ſanè nec Alexandro M. nec Julio Cæſari, multorum devictorum populorum triumphatoribus tantam victoriam unquam obveniſſe: tanta enim hoſtium clade parta eſt, ut ne nuncius quidem de partibus Cyri ſupereſſet, ita omnes ad unum à Tomyri bellatrice fœmina trucidati ſunt.

Verum nec exemplum hoc in regulam trahendum; quod tanti momenti eſſe non puto, ut mutato propoſito, me moveat, affirmativam hujus quæſtionis tueri, cum multò firmioribus ac tutioribus rationibus negativa defendi poſſit, quam ipſa mulierum natura ſuadet. Dico itaque *cum Marte fœminis nihil intercedere debere commercii.* Sunt enim mulieres meticuloſæ, imbecilles, ac magnorum laborum impatientes ab ipſa natura procreatæ, carent ſapientia ac prudentia, *carent rerum bellicarum ſcientia.* Mulieres debiliores ſunt quam viri, inquit Ariſtoteles. Nunquam enim ab illis animi magnitudo poſtulata eſt, ait Kennod. apud Bucchananum. Huc facit quod mulieribus pudicitiæ ſit habenda ratio, cum hac amiſſa nihil ſalvi ſit mulieri, dicente *Livio* lib. 1. at vero

Lis eſt cum bello magna pudicitia.

Conſtat etiam quod plurimi populi mulieribus in publicum prodire interdixerunt (apud Ruthenos enim nulla honeſta mulier putabatur, niſi domi incluſa) ideo Veteres Venerem pingebant cochleæ inſidentem, ut mulieres ſicut cochleæ domibus ſuis ſemper inhærere diſcerent. Nec mulierum habitus ad pugnandum aptus eſt, quem tamen illis mutare non li-

cet, cum mulier exutâ tunicâ verecundiam ſimul exuat. Quapropter bello mulieres abſtineant, armaque ſibi convenientia pro telo telam, ac pro gladio colum, ſecundum Salomonis monitum apprehendant. Confer quæ ſupra quæſt. 4. dicta ſunt.

Juſtin. lib. 1. 9. 3.

Ad Ammonis quoque nobiliſſimum templum expugnandum exercitum (Cambyſes) mittit, qui tempeſtatibus & harenarum molibus oppreſſus occubuit.

Quæſt. IX.

An in hoſtilis terræ direptione rebus ſacris ſit parcendum?

Indignum & abominabile facinus perpetravit ſane Cambyſes, quod ad Deorum templa diripienda milites ſuos miſit, cum Juſtinus Noſter in ſubſequentibus textus verbis argumento ſumpto à majori ad minus, ſceleratius hoc factũ parricidio (cujus tamen nulla ſatis juſta cauſa eſſe poteſt, ut *ipſe inquit lib.* 16. *c.* 1.) eſſe affirmet. Deinde apparet id etiam ex eventu ſacrilegis ejuſmodi deſtinato, quod nempe omnes hi milites, qui miſſi fuerant, turpi mortis genere interierint.

Subſcribimus autem merito Autoris noſtri ſententiæ. Quibus enim quæſo Furiis agitantur iſti, qui dum hoſtilem aliquam Regionem invadunt, non ſolum urbes, caſtella, pagos &c. diripiunt, ac in cineribus ſuis miſerè ſepeliunt, ſed etiam quaſi adverſus Deos bellum geſturi, in illorum domos ac ſupellectilia ſæviunt? nec unquam conſiderant, quam nullæ ſint hominum adverſus Deos vires. Nam de Ethnicis nunc loquimur, quorum Deos licet nec agnoſcamus, & nihil fuiſſe ſciamus, communia tamen de divinitate principia animis hominum innata à ſacrilegis ejuſmodi facinoribus eos abſtinebant. Igitur quam tragici ſemper hiſce templorum ſpoliatoribus evenerint exitus, præter Cambyſis noſtri etiam aliorum paſſim demonſtrant exempla. Xerxes 4000. armatorum ad templum Apollinis Delphos miſerat diripiendum, quæ manus tota imbribus ac fulminibus deleta eſt. Idem hoc templum

templum cum Galli ſpoliare Brenno Duce conarentur, omnes partim gladio partim terræ motu perierunt, inde Propertius alludens 3. 11.

Torrida ſacrilegum teſtantur lumina Brennum,
Dum petit intonſi Pythia Regna Dei.
Aut mons laurigero concuſſit vertice duras
Gallica Parnaſſi ſparſit in arma nives.

Contra Alexander M. quamvis Thebanis infenſiſſimus eſſet, ita ut eos devictos in ſervitutem redegerit, ac eorum urbem funditus deleverit, principes civitatis in exilium ejecerit, omniaque ipſorum bona abripuerit, nunquam tamen irâ ita excanduit, ut quicquam in templa Deorum immortalium molitus fuerit: potius omnem curam admovit, ne templa violarentur. Nec minor templorum protector fuit Tullus Hoſtilius tertius Romanorum Rex, qui cum oppidum Albam vaſtaret, captivoſque Albanos Romam abduceret, edicto prohibuit, ne Deorum templis manus injicerentur, ut refert *Livius* lib. 1. cap. 19.

Juſtin. lib. 1. 10. 2.

Erant enim (ſeptem conjuratores) & virtute & nobilitate ita pares, ut difficilem electionem ex his populo æqualitas faceret. Ipſi igitur viam invenerunt, qua de ſe religioni & fortunæ judicium committerent.

Quæſt. X.

An in electione Regis ſorte utendum?

Quare ex his ſeptem tyrannicidis ſorte unus in Regem electus ſit, ex adductis cauſis apparet, tradit enim textus, fuiſſe eos virtute ita pares, ut non facile populo electio daretur. *Deinde* conſenſiſſe in hanc electionis ſpeciem omnes, dicitur, quod etiam ex poſt facto apparet, cum poſt editum à Darii equo hinnitum, equis ſuis omnes deſilirent, ac Regem eum ſalutarent. *Tertia* cauſa fuit religio, cum Deorum judicio maximum hoc opus committerent.

Sunt equidem multi, qui ſorte plane inutiliter ac ſtultè uti homines præſertim in rebus tam arduis, aſſerunt. Extremæ dementiæ eſt id, quod maximum optimumque eſt, fortu-

næ committere, inquit Ariſtoteles. Et *Halicarnaſſ.* lib. 1. ſcribit, maxima bona hominibus maxime indignis fortunam temerè largiri. Verum hiſce & ſimilibus rationibus non adducor, ut ſortis uſum omninò improbem, cum non Fortunæ, ut Ethnici, ſed Deo Ter Opt. Max. ejus directionem imputemus. Sors in ſinum mittitur, Dominus vero dirigit, inquit Sapientiſſimus Rex Salomon Prov. 16. in fin. Deinde contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat, ut colligimus ex eodem c. 18. Accedit, quod ſortis uſus creberrimus apud plurimos optimarum Rerumpubl. populos fuerit, præſertim Romanos. *Livius lib.* 2. *Tacit. in Agric.* 6. 3. Veteres Germanos; *Cæſar. lib.* 1. *de Bell. Gall.* Succeſſores Alexandri M. *Noſter. lib.* 13. Tutiſſimè tamen per caliginem hanc ibimus, accenſa diſtinctionis face, præcedit autem ſortem electio vel non præcedit, ſi priori modo ſortem conſideramus, non ſolum utilem, ſed etiam neceſſariam nonnunquam (ſi ſcilicet adſint reliquæ cauſæ impellentes, quæ ſupra ſeptem noſtris conjuratoribus contigerunt) Reipub. eſſe ſortem dicimus. Si poſteriori, rejiciendum putamus. Confer. *Cl. Bernegger. in quæſt. polit. ad Taciti Agricol.* 178.

COROLLARIA.

1.

An Regni ſucceſſor, anteceſſoris ſui leges, pacta ac conventiones ſervare teneatur? Diſting.

2.

An Imperium noſtrum recte adhuc dicatur & ſit Romanum? Affirm.

3.

An recte dividatur Majeſtas in Perſonalem & realem? Diſt.

4.

Num princeps Chriſtianus, qui ab alio principe Chriſtiano bello regionis vel religionis petitur, poſſit cum Turca, ſive alio infideli licitè fœdus inire, ac in auxilium vocare? Neg.

5. An

5.

An verum ſit, quod vulgo circumfertur, Alexandrum III. Pontificem Romanum collum Friderici Barbaroſſa calcaſſe &c? Neg.

6.

An Juſtinianus Imperator Beliſarium optimum belli Ducem innocentem, oculis orbarit? Neg.

VII.

EPISTOLA
AD
AMICUM.

Generoſe Ampliſſimeque Vir,

SOles identidem à me requirere, quomodo procedat, quem Germanicæ Reipublicæ ſumere laborem conſtitui, Tuo Tuique ſimilium auxilio ſubſidioque, & adjutus hactenus, & adjuvandus. Etiam de Grotianis promiſſa urges exprobrasque. Merito equidem, fateor, hanc perſonam induis: & mihi nihil dulcius eſt, quàm ab amico objurgari. Quid? quod apud Tuum tribunal bonam cauſam agenti paratam ſcio victoriam. Nihil mihi optatius eſſet, quàm maturare fructum utriuſque operis, neſcio an ad alios, certe ad me non ſegniter perventurum. Sed multa affert tempus, quæ propoſita hominum, præſertim majoris moliminis, remorari ſolent. Si tamē licet ominibus credere, non fruſtra fieri arbitror, ut eodem tempore & dilationis neceſſitas, & incitamenti ſtimulus, me ex improviſo adoriantur. Narraſſe iſta, erit cauſam peroraſſe. Non eſſe me temporis mei dominum, & primam muneris Academici, quouſque Deo viſum fuerit, cum fide & induſtria obeundi, rationem ducere, abunde Tibi conſtat. Quo fit, ut non audeam deeſſe honeſtis Commilitonum deſideriis, aut operam, ſi quando expoſtulant, meam denegare. Præter ordinarias

narias enim recitationes Academicas, quas, lege ſubmonente, de rebus Turcicis, in quantum præſertim ad Imperium noſtrū ſpectant, inſtitui, non deſtiterunt à me contendere Juventutis Academicæ Principes & flos ipſe, ut ad *Imperii reique Germanicæ notitiam aliquam comparandam, judicioque politico moderandam*, vel præmonſtratorem ipſis vel comitem me adjungerem. Eſſe enim hanc ſtudiis civilis partem viro reipublicæ ſe commodaturo apprime neceſſariam, ſi non conditio naſcendi, ſi non indoles eos ſua commonefeciſſet, Virorum tamen maximorum & de Republica Germanica bene meritorum, vario ex variis locis commercio, conſilio hortatuque, non potuiſſent ignorare. Cui ſi quis ſe objicere velit, in promptu erit quæſtio, *utri* credendum ſit. Quod enim aliquis velit dicere: quid iſtis rebus tempus & aures datis, quas veſtropte Marte & auſpicio legere poteſtis? ea vero vel turpis ignorantia, vel manifeſta malitia eſſet. Quid ſuâ, quid alienâ ope quiſque in hoc genere queat conſequi, forte melius judicaverit, quem non minimi temporis labor & uſus erudierit, quàm indoctus aliquis & quovis in his rebus tyrunculo rudior obtrectator. Non eſt meum ita abuti Auditorum ingenio otioque. Quin etiam ultro, cupientes talia dehortor, & ad ea animum vertere jubeo, quæ fere non niſi longâ & ſera obſervatione, à nonnullis, ſolidæ eruditionis non valde gnaris aut ad alia diſtractis, nunquam addiſcerentur. Hinc mihi labor, illis utilitas geminatur. Habeo hujus diſciplinæ teſtes omni exceptione majores, quorum reſpectus malignas obtrectatorum voces nec unius aſſis ſinit fieri. Sane ſi id eſſet civilis prudentia, quod illi credunt, qui tam ignorant eam, quàm oderunt, ſuaderem, ut unum & alterum Scriptorem ex celebratioribus legeret, qui eo aſpirat, atque ita Politicus, ac Reipublicæ ſuæ peritus ex tempore prodiret. certe ſi memoria & lingua valeat, poterit diſſerere & narrare, quæ legit. Ultra enim nihil expetat aut intueatur hodie in negotio eruditionis Mimus aliquis paratragœdians. Norunt autem Tecum Eruditi, Vir Generoſe, quod inde ab inſtauratis literis cetera quidem ſtudia omnis generis pæne ad faſtigium provecta; Civilia vero (ſi per ſtuporem obtrectatorum Latine li-

ne licet efferre, quæ veteres πολιτικὰ dixere) multis modis impedita & intricata ſint. Cum enim duæ ſint hujus ſtudii nobis intuendæ partes, quarum altera ad Rempublicam univerſè, altera ad noſtram Rempublicam pertinet; quid utrobique deſiderari merito poſſit, omnes norunt, qui Tragœdis paratragœdiantibus ſunt diſſimiles. Nam ut de primo genere dicam pauca, magna fuit & ignoratio & contemtio antiquitatis, quæ omnis veræ eruditionis fons eſt. Tum qui illuc oculos flectere viſi ſunt, ſolum fere cum Platone, aut etiam hoc excluſo, Ariſtotelem ſibi propoſuerunt, Philoſophum ſane incomparabilem, ſed qui de inexhauſto civilis prudentiæ (ſi hanc vocem ferunt Midæ aures) penu parcius depromſit ſuas opes; ex quibus pleraque injuriâ temporis intercepta, quæ ſuperſunt, nec integra ad nos pervenere. De reliquis Antiquitatis civilis theſauris, arcana fere diſciplina fuit: quam Hugo Grotius potiſſimum propalavit, magno cum applauſu eruditi orbis, exceptis Tragœdis quibuſdam, qui adverſus ſolem jacula mittere, inſanire, paratragœdiare cœperunt. Intenderunt ſe in hanc curam, & de rebus agendis omittendiſve, ſupplere per ſingulas partes pleraque voluerunt, magna ingenia. quæ cum laboris ſui legē exemplo Scholaſticorum Doctorum, qui vocantur, metirentur; ſpinoſo quodam diſputandi genere, & via vel auctorum ſuorum vel ſuo ingenio accommodata, non invitarunt multos lectores potius quàm deterruerunt. Hi vaſtis *de juſtitia & jure* voluminibus, quicquid fere eſt πολιτικῆς πραγματείας, complecti, eaque tradere inſtituerunt, quæ profecto contemtui & faſtidio eſſe nemini erudito poſſunt. Sed quotocuique contingit, his ſerio vacare; etiamſi quærendi compendii cauſa, veluti Indicem & Notorem eorum, quæ ante ſcripta ſunt, velis aſciſcere *Dominicum Sotum*; tanquam copioſos diſputatores conſulere *Ludovicum Molinam* & *Cardinalem de Lugo*; in colligendis aliorum ſcriptis *Joannis de Dicaſtillo* diligentiam eligere; nervos & acumen comprehenſionis in *Leſſio* adamare; aut artem dubitandi penetrandique plus ultra, in *Medina*, aliquo pretio taxare? Nam ad totam quidem hujus generis Scriptorum Bibliothecam peragrandam, pauciſſimis otium, voluntas, facultas obvenerit.

Jam quod ad Noſtri Imperii gerendi adminiſtrandique rationem attinet, alio loco oſtenditur, quibus ſe initiis extulerit, & ad iſtam librorum huc pertinentium molem, quæ in conſpectu eſt, profecerit id quod vulgo vocant Juris Publici ſtudium, Tragœdis paratragœdiantibus tam inviſum, quam ignoratum. Appellatio, ut dixi, impoſita eſt non ſatis conveniens; quod & illi animadverterunt, qui alios indices ſuis aſſignavere voluminibus, *de conſtitutione Reipublicæ Romano-Germanicæ, de Juriſdictione Imperii, de Regimine ſæculari & Eccleſiaſtico, Politica Imperialia, Imperii hodierni facies*, & quæ hujus generis plura occurunt. Sed de nominibus quidem, ubi conſuetudinis imperio nihil potentius, haud eſt diſputandum, quando de re conſtat. Illud utique liquet, Notitiam & Deſcriptionem S. R. Imperii, duobus oculis vel bene valentibus, unice illuſtrari, vel calligantibus obſcurari: Accuratâ cognitione civilis prudentiæ, & Hiſtoriæ patriæ interiore amplioreque ſcientiâ. Non capiunt *Paratragœdi* Screatores quod dicam; neque enim idẽ eſt ruſticis privatim dictata dare, & ſolidiores doctrinas arbitrari; ſicut nec à ſtivâ ad Muſeum recta ducit via. Publica non ignorantibus notum eſt, quatenus & quomodo utriuſque rei inſcientia haud raro laboratum ſit. Nam de Civilibus quidem rebus (quo enim vocabulo alio utar, nondum edoctus ſum, licet metuam ne hoc diffindat cerebrum Paratragœdiantibus Mimis) ſæpe & multum loquendum erat. Loqui autem de rebus alicujus diſciplinæ, ſine interiore ejus diſciplinæ peritiâ, res eſt tricis inextricabilibus obnoxia. Hinc diverſarum confuſa nomina ſunt & negotia diſciplinarum: quod in materia, de Majeſtate & juribus ejus, ſicut vocant, ſive de ſumma poteſtate & partibus ejus, permixtisque, an confuſis, variè Regalibus; multisque omnino aliis argumentis, abunde & luculentis ſub exemplis oſtendi poteſt. ſed modus quidem Epiſtolæ non capit. In Hiſtoria Patria, etiam inde erutâ, ubi præter videri ſolet, quãtum ſit præſidii, ad omnia & negotiorum & formularum verborumque in publicis receptorum momenta pernoſcenda, nemo Te melius, Vir Generoſe, intelligit. Prodiit inter tempora bellorum liber, *de ratione ſtatus in Imperio noſtro Romano-Germanico*, hoſtili, ut tum res erat, non minus calamo, quam animo, magna

magna ex parte ſcriptus : cujus auctor, ne ipſe quidem ſenſit omnia, quæ temporis cauſa & inter contraria arma licere ſibi putavit dicere. Hîc non ſufficit paratragœdiare, & in re Cæſaris ac Imperii, ſuam cauſam multis clamoribus agere. Sine tumultu res efficacius geritur. Intelligentia civili rerum & hiſtoriarum Imperii illuminanda ſunt hæc, ut, qualia ſint, apparere poſſit. Hinc noſcetur, quo flexu, quâ arte, & depravatione, philoſophia civilis, tum in Juribus ſummi imperii, tum in aliis partibus, ad ſerviendum cauſæ pertrahatur; quæ aliter quàm ſe habent memorentur; quæ factu vel iniqua vel pro impoſſibilibus habenda ſuadeantur. An id hactenus, ut oportebat, & ut convincendis animis veritatis lucem non omnino averſantibus aptum erat, præſtitum ſit, peritorum eſto judicium. Non eſt noſtrum, cujusquam labores ſuggillare : quin potius in omnibus ſuſcepti in Auditorum gratiam laboris partibus, nomina & merita cujusque reverenter habemus, primas veritati, proximas modeſtiæ ſemper deputantes: ut ſatis conſtare diſciplinæ noſtræ gnaris poſſit, nihil in Imperii noſtri conſtitutione & adminiſtratione tradendâ nos ſpectare, quàm Divinæ gloriam Providentiæ, Cæſaris & Ordinum omnium ac ſingulorum, Majeſtatem, jura, honorem. Cumque tam diffuſæ amplitudinis negotium paucorum menſium anguſtiis concludi nequeat, ut hujus tamen, quem deſcripſi, animi, etſi non auctor, commendator certe ſuaſorque Auditoribus meis exiſtã, ſumma voti eſt. Sufficit vidiſſe pedum viam : neque ſibi in pergendo deerit propria cujuſque induſtria. Hæc tam innocui pro Republica propoſiti ſimplicitas melioribus temporibus etiam laudari poterat; noſtro excuſari certe debebat. Neque diſcedit multum ab iis laboribus, ad quos ex inſperato iis me auſpiciis, quæ poſt Dei numen prima ſunt, ultro provocatum & munificentia indulgentiſſimâ peculiariter invitatum, non ignoras, Vir & Patrone Magne. Ut inter eruditos habear, nulla me coquit cura. Eruditorum autem conſilia & veſtigia ſi nec ignorare nec deſerere velim videri, quid in eo peccem, Te mihi fero judicem. Eruditorum conſilia & opera ſunt ἀτραγῳδικα. Doctores agunt, non pellicatores. Ardelionum eſt paratragœdiare, & conviciis tragicis ſcurriles nugas inficetiſſimasque facetias

cetias miſcere, pelliciendis animis. Denique, quoniam ex me totiens jam quæritur, quid ſint *paratragœdi*, quid paratragœdiare (quo convitio qui verberantur, maledictorum acervo operiuntur) claro exemplo oſtendam. Prodeat in ſcenam Mimus, inducat pedi cothurnum non Herculis, ſed neſcio cujus Oreſtæ; leonis exuvias quoque putet ſe geſtare: rugire incipiat, furere, imaginari, ſe eſſe Polyphemum, rictuque patulo tres una velle devorare: ſtomachetur, Conductorem Carolinum, virum innocentem & unius Majeſtatis gnarum, Majeſtates loqui, Plenitudinem Cæſareæ poteſtatis cum honore Cæſaris & veritatis explicare: motæ mentis ſigna promulget, cum credit, ſe audire Grotii ſupereminens dominium, aut videre Freheros, Schardios, Lindenbrogios, Goldaſtos, Conringios, alioſque morum antiquorum (& quidni addatur παρατραγῳδικῶς, antiquatorum?) buccinatores: ſomniet ſe eſſe Pontificem, & ex omnibus civilis prudentiæ ſectatoribus poſſe Hæreticos facere. Hæc ſunt Tragica nimirum, & Tragædo digna. Sed quando inter hæc cothurni imparibus pedibus deciderint, & exuviæ leonis dereptæ fuerint, fiet ex Tragœdo ſimulato, Paratragœdus, ſibi redditus, neſcio quàm Lepidus; cum ſcreando iterum iterumque, exſcreabit denique ignorantiæ ſuæ fœtores, & chartas Voluſianas ab Orco revocatas in parte muneris ſpectatoribus oſtendet, & Camarinam ſibi ſuam movere geſtiet, ſicut aves quædam recolendis ſcrutandiſque ſuis ſibi ſordibus unice delectantur. Ita Ajax furioſus deſinet in Priſcianum Vapulantem: quod accidit Tragœdis alieno ingenio ſtiloque uti ſolitis, cum ad ſuas artes vireſque rediguntur. Hinc jam conſtare arbitror, quid ſint Paratragœdi, quid Paratragœdiantes. quamquam, ut nunc mea ſunt tempora, majore otio & ſpecie alii forte declarabunt, & MORIBUS ANTIQUIS, (quibus recolendis, non licentia ſed officium magnorum virorum ſemper invigilavit) ſuum decus antiquari, non patientur.

Potes jam intelligere, Generoſe & Ampliſſime Domine, me in deſtinata quidem ferri, quanto poſſum opere; ſed nunc neceſſarium interpoſuiſſe intervallum, quod cetera non impediet. Eo ſum animo, ut putem, inſanire eum, imo flagitioſe animatum eſſe, qui ullum ſtudiorum genus, Imperatorum in

Noſtro

Noſtro Imperio nutu & munificentiâ commendatum, aſpernari auſit. Dicam amplius, & quod res eſt; ſingularis Divinæ Providentiæ in eo admiror & veneror benignitatem, quod Auguſtiſſimi Imperatores Noſtri non unum & alterum ſtudiorum genus, ſed, ut Reipublicæ Chriſtianæ Amplificatoribus dignum erat, omnes diſciplinas & ſcientias, in Academiis à ſe inſtitutis voluerunt, juſſerunt coli, florere, invaleſcere. Quapropter decretum eſt mihi fixumque, ea implorare præſidia, quibus, per Dictatorem paratragœdiantem, mihi liceat mandato munere fungi, Reipublicæ inſervire, id agere denique, quod quale ſit, Paratragœdi neſciant, viri autem Reipublicæ amantes intelligenteſque, honeſtiſſimum & Patriæ debitum, non abnuant. Quando enim video, infinitâ graviſſimarum injuriarum patientiâ, me non aliud lucrari, quàm ut aliis poſt alias contumeliis ultro illæ cumulentur, opus tandem eſt, ut ad antiquam, neſcio an antiquatam, formulam confugiam: *hæc quidem diutius ferri non poſſunt.* In quo quidem negotio, Vir Generoſe & Ampliſſime, non tuum tantum, ſed per Te aliorum quoque conſilium auxiliumque expeto: daturus & aliis modis operam, ne mihi fraudi eſſe poſſit, Deo ſervire & Reipublicæ, cui Te Deus ſervet! Scr. Argentorati 14. Decembr. 1663.

Generoſitatis Tuæ

obſervantiſſimus

J. H. Bœclerus.

VIII.

EXCERPTA CONTROVERSIARUM ILLUSTRIUM.

I.
Electio Ludovici IV. & Friderici Auſtr.

COmperta Henrici VII. Imperatoris morte in Italia defuncti (Kal. Sextil. anno 1313.) poſt interregnum, Electio tandem facta Francofurti d. 20. m. Octob. 1314. In diſcordia Electorum, plures Ludovicum Bavarum elegerunt: reliqui Fridericum Auſtrium, qui & Pulcher uſurpatur, fovebant. Uterque à ſuis coronatus, Ludovicus Aquisgrani; Fridericus Bonnæ; inteſtinum deinceps bellum, diviſis Statuum Imperii ſtudiis, geſſerunt. Hinc controverſia publice magnis motibus animorum armorumque agitata; uter ex his alteri præferendus & verè pro Imperatore habendus: dum alter alterius Electionem, ut vitio factam improbabat; & quiſque ſuos aſſertores habebat. Quod diſſidium ſententiarum, etiam in Hiſtoriam tranſmiſſum eſt: pro Ludovico his, aliis pro Friderico tendentibus. Unde etiam alii Fridericum in ſerie & numero Imperatorum ponunt; & Tertium hoc nomine ſignant; plures in enumeratione prætereunt; ſolius Ludovici mentione factâ. Nam, quid de illorum ſententiâ exiſtimandum ſit, qui neutrum pro Imperatore agnoſcendum exiſtimarunt, ultro intelligetur, ſi controverſiæ caput definitum fuerit.

Rationes dubitandi & definiendi præcipuè ſumendæ ſunt, 1. ex *jure Electorum & Electionis*. 2. ex *auctoritatibus, publicis privatisque*. His accedere poteſt conſideratio perſonæ *Eligendæ*, ſive *Electæ*: ſi quod inde *impedimentum* videatur objici.

Præmiſsâ generali *annotatione* de *jure Electorio*, unde id *repetendum* & *declarandum*. [Ubi de A.B. tum nondum conditâ; & de Electionis regulis ex Jure Civili, & Canonico petitis.]

Pro *Ludovico*

afferuntur, Juridica:

1. Quia à *majore numero*, nempe à *quinque Electoribus* electus eſt. ſicut patet ex *Inſtrumentis publicis* apud *Hervvartum*

vvartum in Ludovico Defenſo Ann. 1314. *à pag.* 10. *per ſeqq.* (Jus conſtitutum in A. B. cap. 2. §. 4. ad quod v. *Arumai diſc.* 2. *ad A. B.* §. 15. *&* 16. *Rumelin: ad Eand. diſſert.* 3. §. 8. *&* 9. *Gerlac. Buxtorf. concl.* 34. *&* 35. ſed ante A. B. idem dicendum. per rationes & exempla.)

2. In loco debito, electus & *coronatus* eſt: Francofurti & Aquisgrani. (non idem huic argumento robur, quod priori. v. *Limnæ. I. P.* 2. 3. 29. *& lib.* 2. *c.* 4. *n.* 6. *& ſeq.*)

3. Quia denique bello etiam victor Ludovicus Fridericum *ad ejurandam prætenſionem* pactione interpoſitâ adegit. ſecundum tenorem *Inſtrumenti* apud *Hervvartum in Ludovico Defenſo in ann.* 1325. *pag.* 328. (Duplex vis argumenti: quod Marte arbitro Imperium obtinuit; & quod conſenſu ipſius Friderici ac confeſſione, per conventionem declarata.)

Pro *Eodem*

afferuntur *Auctoritates*;

tum *publicæ*

per *Inſtrumenta Electionis* apud *Hervvartum*, & *Burgundium in Ludovico lib.* 1. *pag.* 15. *& ſeqq.*

per Diplomata Imperatoria à Ludovico edita: quorum ſpecimen apud *Goldaſtum Tom. Conſtitut. un. ab anno* 1315. *&c. pag.* 324. *&c.* & *Iſac. Pontan. Hiſt. Gelr. l.* 6. *p.* 194. *& lib.* 7. *p.* 223. 226. 229. & al.

tum *privatæ*, ubi

Duo eximia opera

Hervvarti Ludovicus contra Bzovium defenſus, &

Nicolai Burgundii Ludovicus Bavarus.

it.

omnes illi, *qui Fridericum omittunt* in numero Imperatorum: quorum magna copia.

Contra *Ludovicum*

afferuntur; prætextu juridico:

1. Ludovicum habuiſſe 4. tantum ſuffragatores; imo *tres* tantum: nam ſuffragium Brandenburgici, dolo impetratum, nullum fuiſſe ipſo jure. *Cuſpinian. in Imperatorib. pag.* 368. & *Gerard. de Roo Hiſtor. Auſtr. lib.* 2. *pag.* 84. & 85. aliique.

que. *Friderico itidem tres fuiſſe ſuffragatores.* Ad hoc Reſp. *Hervartus in anno* 1314. *c.* 2. *quinarium numerum ſuffragatorum Ludovici* probando *p.* 6. *&c. uſque ad* 47. dolum *legati Brandenburgici negando c.* 6. *p.* 62. *& ſeqq. &c.* 4. Electorem *Saxoniæ Friderico non dediſſe ſuffragium,* probando *c.* 4. *p.* 47. *& ſeq. Electorem Brandenburgenſem* electioni interfuiſſe oſtendendo. *p.* 48. *&c.*

2. Inter Electores Ludovici *duos* fuiſſe *inhabiles*; *Saxonem* (de quo *Cuſpin. in Cæſarib.* p. 368.) & *Brandenburgenſem.* propter motam utrique de jure eligendi controverſiam. *Burgundius in Ludov.* p. 10. Idem qui *pag.* 14. reſpondet ad hanc object. add. *Hervvart. pag.* 90.

3. Electores *non omnes* adfuiſſe; dum Ludovicus eligitur: quippe in diſcordiâ. Reſpond. ex *A. B. c.* 1. §. 21. & *c.* 2. *n.* 6. & *in Arum. ad A. B.* 1. §. 33. *pag.* 69. *Rümel. ad A. B. part.* 1. *diſſert.* 2. §. 17. & *Hervvart. c.* 9. *p.* 82. *Limnæ. ad Capitulat. Ferdin. III. p.* 746. *uſque ad* 757.

4. Ludovicum coronatum eſſe â Trevirenſi, ad quem jus coronandi non pertinuerit. *Hiſtoriam & controverſiam* vide apud *Brovver. Annal. Trevir. lib.* 17. *p.* 971. Reſp. apud *Burgund. p.* 14.

5. Status Imperii non omnes Ludovicum pro Imperatore agnoviſſe. *Cuſpin. l. d.* &c. Reſpond. 1. de facto à jure diſtinguendo. 2. de temporibus pacatis & bello turbatis.

His accedit loco appendicis

6. *Impedimentum, à perſona Electâ.* Quia fidem dederat Friderico Ludovicus ſe pro eo niſurum. Hiſtor. v. ap. *Albert. Argentinenſ. p.* 119. *ut & reſponſionem:* & ap. *Burgund. p.* 9. *&* 12. (Q. Notabilis in utramque partem.)

Ex altera parte.

Pro Friderico.

Præter ea, quæ contra Ludovicum dicta ſunt,

1. Suſpenſa judicia totius Imperii, & partim addicta, uſque ad captivitatem: unde confici videtur, ſaltem Jus Ludovici definitum & certum eatenus non fuiſſe. Reſp. eſt vel generalis, ex hiſtoria de ſchiſmatibus, Anticæſaribus & Antipapis; partim particularis, ut ſupra.

2. Aucto-

2. Auctoritas *publicorum diplomatum* de ſocietate potentiæ Imperatoriæ loquentium. ap. *Cuſpinian. in Auſtria p.* 46. & 47. & *Lambec. in Diario Cellenſi p.* 258. & *ſeqq.* qui & defendit contra *Hervvart.* oppugnantem ad ann. 1325. *p.* 321. & *ſeqq.* adde *Ger. de Roo lib.* 3. *pag.* 95. & 96.

3. Pontificis autoritas pro Friderico contra Ludovicum fuit. Reſp. *Hervvartus libro d. p.* 117. & *ſeqq.*

4. Hiſtorici in catalogo Imperatorum ponentes. *Cuſpin. Ger. de Roo, Goltzius &c.*

Contra *Fridericum.*

præter ea, quæ dicta ſunt,

1. Appellatio inſequentium Imperatorum, ut Friderici III. qui aliâs *quartus* fuiſſet dicendus. *Blondell.* urget, Conſanguineorum judicium. Reſp. quidem *Lambecius l. d.* & *de Biblioth. Caſ. ſegm.* 34. *p.* 31.

2. Plerorumque Hiſtoricorum conſenſus omittendo in ſerie Imperatorum.

3. Ambitus accuſatur. ap. *Aventin. Annal. Boic.* 7. *p.* 599.

Atque huc pertinet

Examen contrarium diplomatum, quod *pro Friderico* affertur apud *Cuſpinian. l. d.* & *Lambecium l. d.* Latine verſum ab *Hervvart in Ludovico ann.* 1326. *p.* 321. & *ſeqq.* & quod *contra Fridericum Idem* affert *p.* 328. & *ſeqq.*

Pro *Friderico* & *priori diplomate* 1. quod adhuc in *Archivo Caſar. extant*, & ſpectaculo offeruntur. 2. Quod Ludovici & Friderici *ſigilla*, cum titulo *Regis Rom.* viſuntur appenſa. 3. Quod *Teſtium Nobilium*, more ejus ævi adſcripta Diplomati ſunt nomina. 4. *Locus*, *annus*, *dies* notantur. 5. Quod *per omnem ætatem apud omnes gentes, etiam ab omni humanitate alienas & barbaras primus honos ac prima fides publicis monumentis habetur, nec ulla cauſa eſt, quare ulli ſcripturæ credi debeat, ſi his credi non poſſit.* fatente *Hervvart. p.* 6. & 7.

Contra Fridericum, quod affertur 1. eſt ſine anno. vid. *Hervvart. p.* 334. 2. eſt ante ſuperius Diploma ſcriptum, in arce *Trauſnitz.* quod inde patet, quia conditio fertur Friderico, ſi nequeat perficere reconciliationem, ut in captivitatem redeat. (*pag.* 338.) In altero autem Diplomate, ut plene liberatus agit: & Ludovi-

LII cus

cus, ut cum plene liberato tractat. Poſteriori ergo Diplomate, prius potuit aboleri. 3. Locus, ut jam dictum, diſcrepat. *Hervvarti* diploma, in loco cuſtodiæ; Cuſpiniani & Lambecii, *Monachii* ſignatum eſt. Unde,

etiamſi de auctoritate Diplomatis ap. *Hervvart.* non dubitaretur, per illud tamen non tollitur Concordia utriusque, de communiter adminiſtrando Imperio, in altero illo Diplomate perſcripta.

Et hinc,

relicta *medii temporis diſputatione*, hoc ſaltem conficeretur: Fridericum *in Catalogo Imperatorum locum* non perdidiſſe; ſed,

tandem *ſine controverſiâ*,

una cum Ludovico Imperatorem extitiſſe. *Ger. de Roo lib. 3. pag. 95.*

Annotatio.

1. De fatali noxia hujus controverſiæ.
2. De fomentis ejusdem.
3. De norma & regulâ judicii.
4. De conſuetudine Equites creandi ante prælium ap. *Aventin. lib. 7. p. 605.*
5. *Goltzii Ludovicus* & *Fridericus* brevi annotatione percurrebantur.

II.

Ducatus Carinthiæ conceditur Ottoni Auſtriæ Duci, & Fratri Alberto à Ludovico Bavaro Imperatore, anno 1331.

CUm enim Henricus Carinthiæ Dux, quem Henricus Lützelburgicus regno Bohemiæ & regio nomine exuerat, 1331. mortuus eſſet, non relictâ prole maſculâ: Imperator Ludovicus Bavarus Ottoni Auſtriæ Duci, tanquam Feudum Imperii apertum confert Ducatum Carinthiæ. Contradicit Joannes Rex Bohemiæ, & filius ejus Joan. Henricus, cujus uxori Margarethæ, (quæ

(quæ ob repandi oris vitium vulgo Maultaſch nominabatur) unicæ defuncti Ducis Henrici filiæ, paternæ hæreditatis titulo deberi Ducatus videbatur. Hinc

Controverſia,

An Imperator Ludovicus, ſpreto Margarethæ Carinthiæ jure prætenſo, potuerit Ducatum Ottoni Auſtriaco tradere?

Præmittitur

Repetitio Hiſtoriæ, ex *Ger. de Roo Hiſtor. Auſtr. lib.* 3. *pag.* 99. & 100. *Wolffg. Lazio Genealog. Auſtr. lib.* 2. *pag.* 226. *Cuſpinian. in Ludovic. Bav. Annal. Bavar. noviſſimis part.* 2, *lib.* 3. *pag.* 52. *Münſteri Coſmographia lib.* 5. *c.* 357. *pag.* 1126. (ubi confunditur hiſtoria) & præſertim *Megiſeri Annalib. Carinth. lib.* 9. *c.* 1. *pag.* 958. *& ſeqq.*

Cauſa Margarethæ.

Margaretha ſuum jus his rationibus tuebatur; una cum ſocero ſuo;

1. Hæreditatem paternam non minus eſſe Ducatum Carinthiæ, quam Comitatum Tirolenſem, quem Cæſar ei reliquerat.

2. Non deeſſe talis ſucceſſionis exempla.

3. Pactis dotalibus ab Henrico Patre Margarethæ translationem in generum factam eſſe. Reſp. extat apud *Dubravium Hiſtor. Bohem. lib.* 21. *pag.* 172.

4. Merita quoque ſua allegabat Rex Bohemiæ, ob quæ Cæſar neminem debuiſſet Filio ſuo præponere. In *Annalib. Bavar. part.* 2. *lib.* 3. *pag.* 52.

Cauſa Cæſaris.

At Cæſar Ludovicus contendit

1. Muneris & Juris Imperatorii, Feuda Imperii aperta, concedere cui velit. Quod jus hoc tempore indubium fuit, poſtea repetitum & explicatum *in A. B. Caroli IV. cap.* 7. §. 3. ad quem locum videndus *Rümelin. diſſert.* 7. §. 11.

2. Adſtipulante Juris Feudalis auctoritate *tit.* 55. §. *callidis. ibi: ad dominum libere revertatur.* v. *Limnæ. ad Capitul. Carol. V. artic.* 24. *p.* 270. *& ſeq.*

3. Exempla non deerant; quomodo Rudolphus Primus de Auſtria inveſtiverat Filium Albertum Primum (*ap. Ger. de Roo lib.*

1. *pag*. 33.) Ipſe Ludovicus jam ante ann. 1323. vacantem Brandenburgenſem Principatum & Electoratum tranſtulerat in filium natu majorem. *Annal. Bavar. nov. part.* 2. *lib.* 1. *pag.* 19.

4. Ex utilitate Imperii hanc translationem factam eſſe; neque enim rectius paci & ſecuritati publicæ conſuli potuiſſe, quam ſi Auſtriacis Carinthia & Carniola parerent, ſuperiorum temporum turbis & eventibus intelligi poſſe. apud *Ger. de Roo* & *Megiſerum l. d.*

Eventus controverſiæ.

Stetit judicium Cæſaris:

Quamquam interveniente bello, quo Margaretha ipſa expeditionem ſumſit adverſus Auſtrios; cujus geſta ſummatim memorat *Megiſerus Annal. Carinth. lib.* 9. *cap.* 5.

Intervenientibus pacis amatoribus pax convenit, & affinitatibus firmata eſt. v. ſcriptores citati & *Burgundius in Ludovico lib.* 3. *pag.* 148.

Judicium de momentis controverſiæ.

Haud dubie penes Cæſarem ſtetit omne juris robur: & prætextum juris hæreditarii, conſuetudo ſuccedendi in Feudis Imperii maſculis filiis, & agnatis, non fœminis, propitia, abſtulerat.

In argumento Bohem. Reg. quarto ſubeſt confeſſio juris publici de aperto feudo, & jure in fidem tradendi; ſi ſpectes verba Hiſtorici. Unde rationis ſuaſoriæ non juridicæ æſtimationem ſubit: & quidem ſuaſoriæ talis, quæ oppoſitu validioris à parte Cæſaris infirmatur.

Licetque hinc intelligere: ſine conſenſu Cæſaris illis temporibus, non licuiſſe de ſucceſſione pactis dotalibus aliisve transſigere.

Annotatio Hiſtorica

De Carinthia: *an ſemper fuerit Archiducatus*, ut contendit *Megiſerus Annal. Carinth. lib.* 6. *cap.* 14. & 93.

Comparatio

Similis controverſiæ de jure Cæſaris in vacantibus Imperii Feudis, circa Principatum & Electoratum Brandenburgicum, referente *Burgundio in Ludovico lib.* 2. *p.* 59.

III.

III.

Controverſia de ſucceſſione in Regno Galliæ; jure materno.

CUm Anno 1328. Carolus IV. Pulcher mortuus eſſet, Reginaque prægnans filiam poſthumam Blancam peperiſſet, controverſia de ſucceſſione agitata eſt, inter *Eduardum III. Angliæ Regem*, cujus mater Iſabella filia Philippi Pulchri Gall. Regis & Caroli IV. Pulchri & qui anteceſſerunt duorum Regum ſoror erat; & Philippum Comitem Valeſium, Caroli Valeſii Filium, primum ſanguinis Regii Principem; trium ſuperiorum Regum patruelem.

Eduardi Angli cauſſa
his rationibus nitebatur:

1. Nullam in ſexu fœmineo culpam, quæ excluſione punienda ſit. [Quomodo color huic argumento addi poſſit, vid. ap. *Annæum Robertum Rer. judicat. lib. 2. cap. 4. pag. 350. & 351.*]

2. Divino quoque jure, filias, cum filii deficiunt, hereditatem accipere. *Numerorum 27. præſertim v. 8. 9.* [Reſponſio extat in oratione Roberti Atrebatenſis apud *Paulum Æmylium in Carolo IV. pag. 439.* Q. an ſufficiens.] Addi poteſt *Job c. ult. v. 15.*

3. Jure naturæ & gentium fœminas capaces eſſe hereditatis. [Reſp. ap. *Paul. Æmyl. pag. 439.*]

4. Matrem Eduardi, Regis filiam, ſororem ſuperiorum Regum, patrueli, eodem jure præferendam.

5. Cum præſertim nullo facto aut delicto ſuo exciderit ſuo jure:

6. Et in filium, quo non alius cognatione Regibus Galliæ propior, ſuum jus transferre velit, quando fœminarum Imperia Galli detrectant. v. *Paul. Æmyl. in Carolo IV. pag. 438. edit. Baſil. 1569.* [Reſp. *extat pag. ſeq.*]

Philippi Valeſii cauſa.

1. Jure civili Gallorum ſive lege Salica fœminas à ſucceſſione regni arceri.

2. Idque præjudiciis plurimis, etiam noviſſimis ſpectatum. [Ubi filias excluſas refert. add. controverſ. ſimilem ante decem annos ap. *Paul. Æmyl. p. 431.*]

 3. Eduar-

3. Eduardum de jure Aquitaniæ jam bis, à Longo, & à Carolo Pulchro inveſtitum eſſe: adeoque Matrem Iſabellam & Filium Eduardum, legitimos Reges agnoviſſe; nullumque Jus Joannæ fuiſſe; quo eos ſcilicet alias excluſiſſet.

4. Philippum Valeſium noviſſimi regis patruelem, agnatione gentilitioque jure proximum, ad regnum vocari.

5. Gravis oratio Roberti cauſam Philippi agentis ap. *Æmyl. p.* 439. *&* 440.

Judicium de controverſia.

Philippus meliore utitur jure: cui & poſtea Eduardus ſacramentum dixit de Aquitania inveſtitus. *Jean Serres Inventaire de l'hiſtoire de France.* ſive *Joannes Serranus in Inventario Generali Hiſtor. Gall. pag.* 127. *anno* 1331. & *Paul. Æmyl. p.* 444. *&* 445. & *Robert. Gaguin. Hiſtor. Franc. in Philippo Valeſio libr.* 8. *p.* 51. *fac.* 2.

Eventus.

Philippus quidem Rex factus; finitaque controverſia videbatur: ſed occulta irarum ſemina (etiam ex inveſtiturâ Aquitanicâ aucta,) eruperunt tandem in longiſſimum cruentiſſimumque bellum anno 1335. cœptum, quo *Eduardus nomen & inſignia* Regni Galliæ uſurpavit, *Franc. Harai Annal. Brabant. tom.* 1. *p.* 317. *add. p.* 320.

Annotatio.

1. De Legis *Salicæ patriâ ſive natali ſolo*, 2. *auctoritate*, 3. capite huc pertinente *Tit.* 62. *l.* 6. Add. *Limn. notit. Franc. lib.* 1. *cap.* 8. *lib.* 2. *cap.* 3. *Bodin. lib.* 6. *cap.* 5. §. 745. Inprimis laudata *Edit. & Commentar. Gothofredi Wendelini.*

2. De literis Eduardi, ad Philippum Valeſium ap. *Robert. Gaguin. p.* 51. *fac.* 2. & duello oblato. Conf. exemplum parallelum ap. *Haraum anno* 1341. *p.* 321. Diverſitas judicii de utroque exemplo.

IV.

Ex Hiſtoria Sæculi XIV.

De Templariorum Equitum Ordine ſublato.

Hiſtoria præmittenda:

1. De origine & inſtitutione Ordinis anno 1118. 2. de abolitio-

tione, anno 1312. repetita ab *Auberto Miræo in Origin. Ord. Equeſtr. lib.* 1. *cap.* 4. *&* 5. & *Franſc. Mennen. in deliciis Ordinum Equeſtr. ap. Gualterium p.* 98. *& ſeq.*

Quæſtio controverſa:

An juſte hic ordo ſublatus ſit, nec ne? Momenta rationum in utramque partem collegit *Limnæus Tom. I. Additionum, totius operis IVto ad lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 6. *I. P. p.* 38. & *Jo. Mariana Hiſtor. Hiſpan. lib.* 15. *cap.* 10. Inde repetenda, ſupplenda, explicanda.

Contra Templarios.

Juſte damnatum & extinctum eſſe ordinem volunt probare:

1. Quia Clementis V. Pontificis decreto de Concilii ſententia (Viennæ enim in Gallia habebatur) damnati ſint Templarii. Pro judice autem ſtat præſumtio juris.

[Hoc argumento plurimi acquieverunt, non auſi in dubium vocare auctoritatem judicii. Fuiſſe tamen ab eo tempore usque in hunc diem, ante & poſt diſſidium Religionis, qui non recte judicatum crederent, poſtea liquebit. Alia eſt quæſtio de abolitione Ordinis, *per extinctionem inſignium & redituum & commutationem generis vitæ*; alia de abolitione *per ſupplicia & lanienas.* Ad *priorem* modum forte aliqua via & ratio reperiri poterat; non item ad *poſteriorem.* Id enim 3. impoſſibile eſt moraliter, *totum aliquem ordinem, plurimis inauditis ac indefenſis, & haud dubie innocentibus, damnare & exitio adjudicare.* Ipſa dubitatio Judicis, contra Judicem ſuſpicionem generat; cum præſertim ponatur fundamentum ad ferendam ſententiam inutile ac invalidum; ref. Limnæo ex *Alberic. l. d.* adde *Paul. Æmyl. in Phil. Pulchro pag.*421.]

2. Regi Galliæ, cujus avaritiæ & vindictæ cupiditati tribuatur Templariorum exitium, injuriam fieri.

[Sed avaritiam ipſe moriturus Rex Philippus Pulcher fatetur ap. *Robert. Gaguin. lib.* 7. *p.* 46. *fac.* 2. Adde teſtimonia *Bodini de Rep.* 5, 2, 532. aliorumque ap. *Naucler. Gen.* 44. *pag.* 244. & *Albert. Argentoratenſ. Chron. p.* 137. & *Limnæ. argum.* 9. *per Templar.* 2. & bona Templariorum plurima ipſi ceſſiſſe, negari nequit. 3. accuſatorem ordinis, & ſuaſorem fuiſſe Regem illius lanienæ, qua Ordo extinctus eſt, ut & executorem, id quoque non dubitatur. 4. Etiamſi opinione juſtitiæ rex feciſſet, nondum conficitur, recte factum eſſe.]

3. Tem-

3. Templarios crimina ſui ordinis faſſos eſſe.

[Sed 1. quorundam crimina, non totius Ordinis fuerunt: pro multorum enim innocentia, res ipſa loquebatur. 2. In omni cœtu & ordine, aliquos eſſe poſſe & ſolere malos, non dubitatur: quorum impietas ceteris fraudi eſſe nequit. 3. Confeſſio illa atrociſſimis tormentis extorta; ſpe mortis evadendæ; & ſæpe revocata fuit extra tormenta, usque ad mortem. Exempla vid. ap. *Limnæum* ex *Villan. p. 37.* Add. *Paul. Æmyl. in Philippo Pulchro p. 421.* 4. Multi ſine confeſſione, imò ſine cognitione cauſæ interemti. Fatente *Alberto Krantzio in Vandalia lib. 7. c. 47. f.*]

4. Scriptores, hanc ſententiam & executionem damnantes fuiſſe vel inimicos Gallici nominis, vel hæreticos.

[Sed hæc non dici poſſunt de *Nauclero*, *de Alberto Argent.* de illis, quos ſequitur *Drexelius in Tribunali Chriſti lib. 2. c. 3. §. 2.* *de Auberto Miræo*, cujus judicium vide *l. d. p. 12.*

Pro Templariis.

Pro Templariis autem exaudiuntur illæ rationes.

1. Proceſſus judicialis (præter ea quæ ad argumentum primum contra Templ. annotata ſunt) nunquam ad liquidam notitiam deductus eſt: cum tamen diverſa ſentientes fuiſſent convincendi: in primis, quia & in Hiſpania XI. Epiſcoporum concilio (ut *Mariana* l. d. habet) & in Germaniâ Moguntiæ fuerunt abſoluti Templarii; & Moguntiæ quidem ex commiſſione novâ Pontificis. v. *Serar. rer. Mogunt. lib. 5. in Epiſcop. Petro pag.* 850. Accuſatorum quidam ſcelerati & infames: Teſtes nihil probantes: rei, quoad ſummam inauditi & indefenſi. Unde Proceſſus valde laborat.

2. Crimina vulgo jactata, ſive conficta, ſemet ipſa deſtruunt: videre licet conſignata ap. *Robert. Gaguin. Hiſtor. Franc. l. d.* Add. *Chron. Belg. Magnum pag. 269.* adde *Limn. rat. pro Templar.* 11. [Dictum quomodo.]

3. Apologiæ, & proteſtationes reorum, in judicium deductorum non revictæ. vid. *Paul. Æmyl. & al.* adde *conſtantiam eor.* ap. *Limn. rat. pro Templar. 6.* debilis eſt *reſponſio* in anteced. l. d.

4. Divina Nemeſis ſive divinum Tribunal, contra judices cauſam dedit, referente *Fulgoſio lib. 1. cap. 6. p. 46.* & *Drexelio l. d.* add. *Limnæ. rat. pro Templar. 10. l. d.*

5. Ju-

5. Judicio Multorum pro martyrib. habiti ap. *Naucler. Generat.* 44. *p.* 244.

Judicium de controverſiâ:

Quale non ferri poſſit:

Quale poſſit ferri:

Non ferri poteſt

Judicium per omnia, ut vocant, *ſcientificum:* non modo propter communem ſcientiæ talis defectum, qui, ut ſunt humana variis tricis & impedimentis obnoxia, plerumque in cauſis majoribus occurrit; ſed quod *Acta Judicialia*, ad eum modum, qui ad videndam cauſæ juſtitiam aut injuſtitiam ſufficit, non ſunt publicata. [Explicatum, quomodo.]

Idque intelligi debet inprimis quidem de cauſa univerſa; tum etiam de cauſis ſingulorum Templariorum.

Regum quoque hac in re conſilia, occulta nemo ſatis aſſequitur.

Ferri poteſt judicium.

1. Quatenus moraliter certum eſt, totum Ordinem non potuiſſe jactatis criminibus infamari & damnari.

2. Præſertim ſupplicio capitali de plerisque inauditis & indefenſis exacto. Nam hæc indubia eſt injuſtitia.

3. Cetera conjecturis debentur: quæ in ſummâ controverſiæ potius pro Templariis videntur occurrere.

V.

Ex Hiſtoria Caroli IV. Imperatoris.

P*Actum reciprocæ ſucceſſionis inter Regiam Bohemiæ, & Archiducalem Auſtriæ familiam mutuis ſtipulationibus contractum & renovatum anno* 1366. *♃. poſt Palmarum.*

Extat per excerpta, apud *Goldaſtum in Bohemia lib.* 6. *cap.* 18. §. 8. Integrum, in den Beylagen *pag.* 149. & *Schickfuſii Chron. Sileſ. l.* 1. *p.* 77.

In controverſia hoc ſæculo agitata, *an Regnum Bohemiæ hæreditaria ſucceſſione, an per Electionem deferatur*, qui poſteriorem ſententiam tuebantur, contra hoc pactum iſta afferebant:

Contra Pactum.

1. Nullum eſſe, contendit *Deductio de Excluſione Ferdinandi II. Imp. & electione Friderici Electoris Palatini anno* 1620. edita; *defectu poteſtatis*, quod Carolus IV. Imp. non potuerit Bohemos contra jura & privilegia ſua, extraneis Principibus perpetuæ ſucceſſionis pacto ſubjicere.

[Sed reſponderi poteſt 1. Pars adverſa, negat in Juribus & Privilegiis Bohemiæ fuiſſe hoc, ne ſucceſſione deferretur regnum. vid. *Richardi Strein Informatio de Auſtriaca ſucceſſione hæreditaria in Regn. Bohem. adjuncta Goldaſt. Op. Bohemico pag.* 75. *& ſeqq.* 2. Conſenſu procerum hoc fecit.]

2. *Non potuiſſe Carolum plus juris in alios transferre, quàm ipſe habuit.* Jam autem electione eum accepiſſe regnum non hæreditaria ſucceſſione.

[Reſp. 1. ſucceſſerat Patri, unde ſucceſſione ad regnum venit. 2. Conſequentia infirma eſt, & regula juris male applicatur.]

3. Contra utilitatem publicam Carolum feciſſe hoc pacto.

[Reſp. 1. hoc ipſum in quæſtione eſt: 2. negativa facilius probatur: quando ſucceſſio utilior, electione, vel omnibus populis, vel certe Bohemis. 3. Utilitatis Bohemici regni ſtudioſiſſimum fuiſſe Carolum Hiſtorici uno ore prædicant.]

4. In præjudicium Juris jam quæſiti feciſſe Carolum.

[Reſp. 1. quod jus quæſitum fuerit, non poteſt demonſtrari. 2. poteſt Rex cum proceribus jus priſtinum mutare.]

5. Contra ſtatum & privilegia Regni factum eſſe.

[Reſp. 1. aſſumitur ſemper pro probato, quod probandum eſt, in Regno Bohemiæ non fuiſſe ſucceſſioni locum. 2. repet. reſponſ. ad argumentum primum.]

6. Contra confirmationem privilegiorum, qua Bohemis ſua jura confirmavit, & Capitulationem ſuam feciſſe Carolum.

[Reſp. 1. nondum probatum eſt, hoc inter jura Bohemica fuiſſe. 2. conſideretur exemplum *Confirmationis* 1348. *In Deductionis* Beylagen *p.* 34. *inprimis* 37.]

7. Invitos ſubditos non potuiſſe Carolum alienare; aut certe poſteris tali alienatione præjudicare.

[Reſp. 1. pacta reciprocæ ſucceſſionis ſunt favorabilia; & non

non in Germania tantum, ſed alibi etiam uſitata. vid. *Gail. Obſervat. lib. 2. Obſerv. 127. §. 1. & 2. 2.* Et quia publicæ utilitatis cauſa fiunt & facta præſumuntur, utique etiam poſteros obligant. 3. ne ſubditi ad peregrinos dominos deveniant, talibus pactis potiſſimum ſolet proſpici. 4. acceſſit conſenſus totius populi. vid. *Verba Diplomatis*, ibi; mit rechtem Wiſſen auch Rath &c.]

7. Carolum contra conſtitutionem Aureæ Bullæ, qua Electoratus Feuda maſculina ſunt, non potuiſſe ad ſexum muliebrem transferre Bohem. hoc pacto.

[Reſp. 1. Non de Bohemia tantum agi. 2. Bohemiam qua hæreditaria eſt, v. objectio in *Deductione p.* 84. (quod in Diplom. ſæpius dicitur) peculiari jure cenſeri: & excipi à conditione aliorum. v. Aur. Bul. cap. 7. §. 3. 3. Reſponſ. *Goldaſti* generalior, *in Bohem. lib. 6. cap.* 5. §. 2. 4. Acceſſit conſenſus Electorum & Principum Imperii; v. *verba Diplom.* ibi: mit Wiſſen und Rathe / Willen und Gunſt des Heil. Röm. Reichs Churfürſten &c. vid. *Limnæ. ad A. B. cap.* 7. *Obſerv.* 12. *& ſeqq.* ubi etiam *Obſ.* 14. de noviſſima Conſtitut. Imperii.]

9. Contra Jus publicum factum eſſe hoc pactum.

[Reſp. poſſunt eadem.]

10. Conſenſum Electorum & Principum non eſſe collegialem, ſed particularem, privatum, ſingularem.

[Reſp. 1. omnino *Curiam* Imperatoriam tum celebratam, ex verb. Diplom. 2. non reperitur ulla contradictio abſentium: in re publicè nota. 3. non debent Principes ejus temporis onerari ſuſpicione, quaſi plus affectaſſent, quam pro jure ſibi conceſſo.]

Ad reliquas rationes reſpondet *Streinius in Informatione ſuâ p. 91. & ſeqq.*

Judicium de Controverſia.

1. In *Deductione* ſæpius dictâ, ex generalibus & late patentibus, multas tamen exceptiones habentibus regulis, non fit bona applicatio ad caſum, qui in quæſtione verſatur.

2. Interpellatam eſſe ſuccedendi ex hoc pacto conſuetudinem, negari nequit, ſed facti, & temporum, fuit iſta interpellatio: per inſtaurationem è medio ſublata.

3. Comparatione inſtitutâ inter *Scripta Goldaſto in causâ*

Bohemicâ collecta; & partis adverſæ *Deductionem*, *Catholicon ſive Notorium*, aliaque ſcripta; fortaſſe apparebit, à parte Auſtriaca rem ſerio geſtam; ab altera parte effugia quæſita.

4. Præjudicium inſigne generat, Electorum & Principum quorundam conſenſus, *de Jure cauſa*; quanquam non uno modo expoſitus.

5. Diviſio quæſtionum hîc concurrentium.

Annotatio.

De ſtratagematibus politicis, in controverſia de Regnis *Electitiis*, & *Succeſſoriis*.

VI.

Diploma Caroli IV. Imp. de Occultis Judiciis, ſive Tribunalib. Liberis.

EXtat ap. *Freherum*, *in libello de Occultis Judiciis* & *Goldaſt. Tom. ult. Conſtitut. pag.* 343. *&* 344. & *Piſtor. Tom.* 3. *pag.* 752. *& ſeq.*

Annotatio Hiſtorica ad hoc Diploma.

I. De variis *nominibus* rei conceſſæ.

Generaliter:

In Diplomate vocantur *duæ liberæ ſedes*, (Frey-Stühle) vulgariter *Vemeding* ſive *Judicia Vemica.* Aliàs: Frey-Gerichte. [ratio appellationis quæ?] Weſtphäliſche Gerichte [à loco primæ originis] Heimliche Gerichte. Stühl-Gericht. Heimliche Achte.

Specialiter.

Ein Frey-Stuhl / *Judicium liberæ ſedis* ab Imperatore dabatur per privilegium Principi aut Comiti, ad certum locum reſtrictum. Is ergo Dominus erat Liberæ Sedis, ein Herr des Frey-Stuhls.

Hic conſtituebat *judicem* i. e Frygravium einen Frey-Graffen.

Cujus Aſſeſſores dicebantur Frey-Schöffen / Stuhl-Genoſſen / Stuhl-Verwandten.

II. *De auctore & auctoritate hujus Judicii.*

Ipſi quidem Freygravii in omnibus ſuis proceſſibus jactant Caroli

Caroli Magni auctoritatem. Sed negant illud *Gryphiander de Weichbildis Saxonicis cap. 57. num. 10. & 11.* & *Conringius de Judiciis Reip. Germ.* §. 40. Interea ſe ab Imperatore & Imperio conſtitui non vane jactant, aſtipulante Diplomate Carolino; & Ludovici IV. & Ruperti Palatini Diplom. ap. *Freher.*

Itaque in titulis: N. ein gewehrter Richter und Frygreff des heiligen Richs/ und der Kayſerlichen fryen Graveſchafft zu &c. It. in einem offenbahren Keyſerlichen Gericht zu richten/ nach Geſetze und altem Herkommen des groſſen und heiligen Keyſer Carls / als mir dann gebührt. ꝛc. It. Ich N. ein gewert Vriegrave unde Richter des Allerdurchlichtigſten Fürſten und Herren N. Röm. K. It. Wir N. von Königlicher und Keyſerlicher Gewalt und Macht / gewerdiget und geordneter Richter / des Heil. Röm. Richs / und Frygreve ꝛc. Der Königlichen und Keyſerlichen Dingſtedden und fryen Stule der Stede ꝛc. It. Ich ein gewerdich Richter des heiligen Röm. Richs und ein gehuldet Vrygreve der fryen Grefſſchapp und fryen Stuls zu N. ꝛc. It. Ich ein geordent Richter des H. Röm. Richs und Frygrave der Hochgebornen Irluchtigen Fürſten und Herren N.

Hæc *ex Mſc. proceſſibus Jud. Weſtphal.*

III. De loco. præcipue in den Unterlanden / Weſtphalia, Haſſia, Comitatu Waldeck, Epiſcopatu Mindenſi &c. *Diploma* nominat Aſcaniam & Weſtphaliam. Moleſtiâ præcipuè ad Rhenanos redundante.

IV. De *apparatu judicii.* In Denuntiatione & promulgatione Proceſſus Mſc. das ich (Freygravius loquitur) den fryen Stul in N. mit Vrteil und Recht becleidet und beſeſſen hatte/ geſpanner Banck ꝛc. It. Dat ich op diſſen Tage gyffte des Vryves beſat Stad / unde Stol den vorgenanten vryen Stol to N. under Königes Banne geſpannender Banck / in einem vryen geheged en Gerichte ꝛc. It. Daß wir uff hute N. de Königliche Dingſtat und fryen Stul vor N. gecledeter Banck beſeſſen haben.

V. De proceſſu. Si quis litem detuliſſet ad ſedem liberam, expreſſo rei nomine & cognomine (Criſtelich Nam und Zunam) citationes dimittebantur in loca, ubi Reus agebat, aut in viciniam, quibus inſcriptum erat: Diſen Vriff ſoll nieman leſen / dann ein Fry-Schöffen. It. Er ſeye dann ein Fry-Schöffe der heimlichen

chen fryen Gerichte und beſloſſen Achte. Hi monebantur, ut Reum juberent venire, aut ſi poſſent, vi compellerent, ſive eò mitterent. aliæ literæ ad ipſum Reum directæ. Si alii legerent, querebantur, & ad cauſam dicendam evocabant. Partibus præſentibus licebat ex Scabinis optare advocatos. Cauſa cognita ſententiam Frygravius mandabat alicui Scabinorum, qui auditis reliquorum ſententiis, pronuntiabat: Tum Frygravius ultimam ſententiam edere rogabatur. Quo facto, is omnibus Scabinis præcipiebat, per jusjurandum, quo quisque teneretur, ut executionem fieri curarent ſuſpendio. Promulgatio ſententiæ (Urtel-Brieff) dimittebatur ad locum ubi Reus erat, & alia loca, ad Scabinos appenſis ſigillis.

[Frygraff. Ich ſtalte das Urtel an den N. Schöffen. ꝛc. der nach anwiſung der Urygraven und dingflichtigen wiſende vor Recht under Königs Banne. It. hebe ihn vervemet na Geſette und Rechte der hemliken Achte. It. welche (ſc. Scabini) dat Recht by Recht to halden/ dat ſey dem vorgl. N. ſyn Recht don und hangen ihn an des Königs Wymen/dat is an den eyrſten Bom den ſy ankommen und dar to bequem iß/ und en laten des nicht noch umb lyeff noch umb leyt &c, ſub pœna.]

Atque ita, abſentes quoque Scabini ubique ad executionem obligabantur, ut ipſi quidem exiſtimabant.

VI. De cauſis ad hoc Judicium pertinentibus. Criminalia erant, non civilia, quamquam interdum ea quoque attrectabant.

[To richten over lyff und &c.]

VII. De Gravaminibus adverſus hoc Judicium:

1. Quod cauſas ſibi non permiſſas ad ſe trahebant. *Reform. Frid. III. cap. 7.*

2. Quod nondum compellatos (zu Ehren und Recht erfoderte) aut qui obtulerant ſatisfactionem, coram judice arbitrario aut competente, citare, & non comparentes damnare auſi ſunt. *Exempla in Proceſſibus paſſim.*

3. Quod Frygravius, Scabinos crearet indignos &c. In *Reform. Frid.*

4. Quod Jusjurandum Scabinorum paſſim ſub Statibus Imperii haud raro contrarium videretur, juri Statuum.

VIII.

VIII. Emendatio per Sigismund. Imperator. Frider. III. &c. Ut eſt apud *Freherum libro d.* & Protectores Executoresque adverſus Jud. Weſtph. conſtituti.

Quo acceſſere Fœdera Principum & Civitatum, pro Conſtitutionibus Imperatoris adverſus Weſtph. Jud.

IX. *Secreta hujus Judicii*, in quibus rebus poſita fuerint? ipſi ſæpe faciunt hujus rei mentionem. 1. Quando nolunt ſuas literas aperiri & legi, niſi à conſciis, von den Wiſſenden. 2. In illa clauſulâ, daß vor uch als einem der frγen heimlichen Gericht unwiſſend nit zu vermelden iſt.

Sed ſpecificè nemo hactenus explicavit.

Fortaſſe 1. formulam quandam exercendi judicii habuerunt, vulgo incognitam; quæque ſæpius ad nomina Impp. referebatur, cum eſſet potius traditione accepta. 2. Jurisjurandi, quo alligabantur, omnes Frey-Schöffen / formulam itidem arcanam. 3. Vel præcipuè opinionem, quaſi judicia illa occulta eſſent univerſalia, absque reſpectu omnium perſonarum, i. e. adverſus Status Imperii, quos quivis ſubditus accuſabat apud ipſos; ſine diſcrimine cauſarum &c. imò adverſus ipſum Imperatorem ejusque inhibitiones. [Extant enim, NB. literæ, quibus Imperatoribus inhibentibus reſpondent, & non opus ſibi eſſe parere, præſumunt.] 4. Inprimis vero, executionis ordinem, non uno nomine occultum, & conſciis tantum ſignificatum &c.

X. *Multitudo Scabinorum*, paſſim exiſtentium, absque actuali exercitio ſui muneris in liberis ſedibus. Eorum uſus apud Judices electos, ſi citati Rei offerrent jus apud Judicem ſponte nominatum.

XI. Privilegia Liberarum Sedium pleniſſime in Diplomate Carolino expreſſa: *quibus jure vel conſuetudine ſeu quomodolibet potiuntur.*

XII. Sanctio Diplomatis, nominat 1. *bannum Regium.* de quo vid. *Gryphiander Weichbild. Saxon. cap.* 58. *n.* 18. & 19. 2. *Centum marchas auri puri* i. e. 7200. aureos ſ. 9600. fl. uſuales. v. *Wehner. obſervat. Pract. voc.* Goldgulden.

De

De aliorum ſcriptorum narrationibus.

Percurrebantur collecta *Gryphiandro de Weichb. Saxon. cap.* 54. *& ſeqq.* cum annotatione.

Æneæ Silvii verba ex *Europ. cap.* 49. prælecta, cum annotatione.

Et *Felicis Fabri ex lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 59. *&* 60.

Et *Aventin. lib.* 4. *p.* 264. cum exemplo *lib.* 7. *p.* 654.

Et *Paul. Æmyl. lib.* 3. *p.* 118.

Et *Trithemii*, *ſub fin. polygraphiæ.*

Et *Chron. Colonienſis p.* 1146.

Errores.

1. Quod *Wiſſende* dicantur, à vet. Wizen i. e. punire.

2. Quod dicantur Feimeri tanquam *deſpumatores.*

3. *Eraſmi* opinio, *Certos* pro *conſciis* ſumentis in Proverb. *Areopagita taciturnior.*

4. Quod non cognita cauſa judicaverint.

Judicium.

1. Simpliciter, & in quantum certa horum judicum notitia non habetur, non poſſunt occulta judicia defendi. Non videtur ergo apologia *Chytrai* ſatis cauta *Chron. Saxon. lib.* 3. *p.* 76.

2. Ex eo tempore, quo certior horum judiciorum notitia prodita eſt, videntur adhibita ad tuendam Pacem publicam, adverſus graſſatores; quos punire difficillimum erat ſæculis abhinc quinto, quarto, tertio.

3. Fraudi fuit conniventia Imperatorum, quando extendere ultra nidum pennas, & ad inconceſſa negotia manum porrigere cœperunt.

4. Conſilia Principum pervertit Demagogica pravitas; adverſus Dominos ſemper machinari ſolita: cui placebat, Dominos quoque ſuos in ſeverum iſtud judicium vocari poſſe.

5. Principum ipſorum, quorum illæ ſedes liberæ erant, adverſus alios æmulatio, auxit malum: dulce illis erat, alios videre apud Tribunalia ſua periclitantes, & adiri petitionibus, ſupplicationibus, nuntiis. Per quæ invaluit malum, ut medicinâ gravius videretur.

6. Reme-

6. Remedia Avocationum, Reſciſſionum & Caſſationum, Privilegiorum adverſus illa Judicia conceſſorum, Proſcriptionis adverſus Judices, Fœderum, *de quibus ſupra*: Difficultas in remediis orta 1. ex potentia & authoritate Dominorum *Sed. Lib.* der Stul-Herren. 2. multitudo Scabinorum. 3. juramenta eorundem. 4. quia executio vix fieri poterat ſine bello.

7. Eventus Defenſio ſui juris adverſus importunos citantes, & punitio nuntiorum effecit, ut ad extremum evaneſcerent hæc judicia; & imminuto numero, paucitati in occultatione & fuga præſidium eſſet.

VII.
Caroli Cæſ. IV. proſpera & adverſa fama.

Adverſa fama

Compendium exhibet *Lehmannus in Chronico Spirenſi lib.* 7. *cap.* 40. *pag.* 784. *&c.* & *Annales Bavar. noviſſ. part.* 2. *lib.* 6. *p.* 112. *&* 113.

[Ad ſingula, aliquid notandum.]

Inter adverſam & proſperam famam poteſt conſtitui,

Medius tranſitus

ex *Conring. de Finib. Imp. c.* 23. *pag.* 507. *c.* 24. *p.* 572. *&c.*

Proſpera fama

Apud *Anton. Poſſevinum Hiſtor. Mantuanâ lib.* 4. *pag.* 412. *Sermo funebr. Archiep. Pragenſ. in Bohemicis pag.* 107. *&c. In propriâ vitâ conſcriptâ ind. p.* 86. *& ſeqq.*

Epicriſis.

1. Generalis, de fortuna Principum quoad famam. *Tac.* 1. *A.* 9. *&* 10.

2. Ambitum, & in ſuſcipiendo Imperio, & in transferendo ad filium, nemo excuſaverit.

3. Neque diſſolutos adoleſcentiæ mores.

4. Bona videntur præponderare: mala quædam tempori tribui debere.

VIII.

De Vicariatu Mantuano.

INter Vicarios Imperii numerari Duces Mantuæ, ex *Choppino* (*de doman. Franciæ l.* 1. *t.* 91. 3.) *Limnæus l. P.* 3. 12. 8. ex *Roland. à Valle* (*de jur. dot. q.* 3. *num.* 3.) *Schützius Colleg. J. P. vol.* 1. *diſput.* 5. *theſ.* 9. *lit. B.* ex aliis, *Buxtorf. ad A. B. concluſ.* 53. *lit. e.* referunt. *Comentar. Pti lib.* 2. *cap.* 58.

Tria hîc potiſſimum quæruntur:

I. An ex Diplomate Caroli IV. recte probetur hic Vicariatus ap. *Anton. Poſſevin. Hiſtor. Mantuan. l.* 4. *p.* 322. *&c.*

Fiat collatio hujus *Diplomatis* cum *Privilegiis Sabaudicis*, apud *Limnæ. tom. addit.* 2. *ad lib.* 5. *c.* 14. *n.* 4. *p.* 439. *& ſeqq.*

Collectis rationibus dubitandi, inclinatur in *Affirm.*

II. An & qualis mutatio facta à Friderico III. *Æneæ Silvii Hiſtor. p.* 95.

III. De *ſenſu & explicatione* §. 4. *Capitulationis Leopoldinæ.*

IX.

Johannis I. Galliæ Regis Captivitas.

UT cœperit, ut proceſſerit, ut ſoluta ſit.

1. Hiſtoria cladis & captivitatis ejus, apud *Jo. Serranum in Joanne. Paul. Æmyl. l.* 9. *p.* 471. *& ſeqq. Iſ. Pontan. Hiſtor. Gelric. lib.* 7. *p.* 269. 1356. *&* 1357. *Hara. tom.* 1. *p.* 334.

2. Captivus quomodo habitus; ubi victoris nobilis oratio ap. *Paul. Æmyl. pag.* 472. etiam in Anglia, quo abductus eſt. *Jacob. Mejerus annalib. Flandr. lib.* 3. *p.* 183.

3. Quibus conditionibus dimiſſus ap. *Paul. Æmyl. pag.* 476. *Til. p.* 78. *Fr. Haræ. tom.* 1. *p.* 336.

Ubi Quæſtiones:

An ceſſio illa victori facta valere potuiſſet? Vid. *Bodinus lib.* 1. *de rep. c.* 9. *n.* 121. *lit. D. p.* 190.

Con-

Contra Negantes *Affirmari* poteſt, 1. quia Delphini & Procerum conſenſus adfuit.

2. Quia Galli ſuum Regem omnino liberare tenebantur, etiam cedendo de ſuo jure [Reſp. contrariæ ſententiæ *Fernandi Vaſquii Controv. Illuſtr. tom.* 1. *c.* 7. *n.* 6.]

3. Non ſunt nova talium pactionum exempla.

4. Solennitates maximæ acceſſere.

5. Nulla pactio firma eſſet, ſi hæc non debuit firma eſſe.

6. Prudentiæ & æquitatis regulis conſentaneum fuit, noviſſimum caſum & periculum tali pactione redimere.

7. Unde nec debuere Ordines diſſentire.

Annotatio.

1. Comparatio captivitatis Franciſci primi Regis Galliæ, ejusque ob non ſervata pacta Madritiana

accuſatio à *Zypæo* facta:

excuſatio, à *Blondello* inſtituta

in præfat. Apologetica, in Franciſci I. bona fide.

Dictum de *Bodini judicio lib.* 5. *de rep. cap.* 6. *num.* 595. *pag.* 930. *& ſeq.*

2. An *Joannes* & *Franciſcus* tenerentur in captivitatem redire, ubi non ſervari pacta placuiſſet? Negat *Bodinus l. præd.*

Contra quem, exercitii cauſa affirmabitur.

X.

Specimen ampliſſimorum privilegiorum, de Regalibus & juribus variis, quæ Statui Imperii conceſſa unquam ad id tempus ſunt,

In

Diplomate Caroli IV. quod Cunoni Archiepiſc. Electori Trevirenſi dedit 1376. *poſtrid. Cal. Jun.* Apud *Kyriandrum*, *Annal. Trevir. part.* 15. *pag.* 194.

1. Summatim *civitatem*, *oppida*, *villas*, *caſtra & fortalitia*

tia Trevir. confirmatis libertatibus, *decernit ad ipſam Eccleſ. Trevir. pertinere, cum juriſdictione meroque & mixto imperio & eorundem exercitio poteſtateque animadvertendi in delinquentes iſtorum locorum.*

[Q. an his verbis, omnimoda jurisdictio, ut recentiores loquuntur, intelligatur? Add. Ludovic. IV. conceſſ. ap. *Kyriandr. An. Tr. part. 15. p.* 189]

2. Nominatur, *Proprietas & poſſeſſio perpetua certorum caſtrorum & munitionum cum telonio, juriſdictione, & omnibus pertinentiis.*

[Q. An ſub prioribus non potuerit contineri; & quid diſcrepet? Add. *Kyriandr. l. d.*]

3. Jus *monetam in civitate Treviri vel extra, locis dominii vel diſtrictus epiſcopalis ſignandi, & falſarios puniendi jus, non obſtante, ſed ſublata prætenſione civitatis Trevir. quod Epiſcopus in civitate ipſa cum illius conſenſu monetam cudere debeat.*

[Conceſſ. Henrici Lucelburg. ap. *Kyriandr. A. Trev. part.* 15. *p.* 189.]

4. *Telonia ſuper flu. Rheni & Moſellæ, immunitas vectigalium pro reb. cler. cum ſtrata ejus utrobique dicta Linpadt & conductus ſuper Rhen.* Ita in *aliis flu.* una cum *Grundrora.* addit. clauſul. derogat. adde *Kyriandr. pag.* 189.

[*Linpadt, limbad,* Linpfadt deſcrib. apud *Brovver. Annal. Trevir. lib.* 18. *pag.* 1036. *Via & limes, qui prætenditur utrinque à ripa.* Al. via litoralis. Refertur etiam ad riparia, & jura itineris nautici.

Grundruhr. Brovver. naufragorum res, perſonas, conductus, diſtrictiones, captiones atque omnia illa jura, quæ *Grundrora vocabulo majores comprehendunt.* Q. quomodo conceſſa? confer. *Brovver.* & *Kyriandr.*

Conſuet. big. eadem & aurigarum *ap. Kyriandr.*

5. *Privileg. fori, etiam contra judicium Imperiale aut Regalem curiam.* vid. *Kyriandr.*

[Enumerantur vaſalli, miniſteriales (de quorum differentia, v. *Acta Lindav. pag.* 602. *&c.* & conf. *pag.* 606. de fine hujus conſuetudinis NB.) *caſtrenſes* (v. Beſold. Theſ. pract. v. Burgmann.)

mann.) *cives, oppidani, aut ſubditi Archiepiſcopi tam Eccleſiaſtici quam ſæculares*; etiam ſi quis *miniſterialis aut Vaſallus ipſius Cæſar. ſeu Imperii foret*. Add. *Kyriandr. part.* 15. *p.* 189.]

6. Procedendi modus, una citatione utendo exemplo Imperialis Aulæ.

7. In feudalibus judiciis provocatum ad Archiepiſc. ſicut ipſi Archiepiſc. à ſententia parium appellare volentis, ad Cæſarem conceſſa.

8. Feudorum collatio, & vaſallorum coërcitio.

[exemplum ap. *Brovver. p.* 992.]

9. Privilegium de comparitione in Curia Regia & expeditione.

[Adde *Kyr. p.* 189.]

10. Munus Archicancellariatus Gallici. [de quo v. *Limn. I. P.* 3, 5. v. *Kyriandr. pag.* 189.]

11. Prima vox in Comitiis Imperii & aliis tractatibus.

12. De fortalitiis non extruendis, & eccleſiis muniendis, abſque conſenſu Archiepiſc. adde *Kyr. p.* 190.

[NB. Ne ipſis quidem Auguſtis. Q. 1. an bene? 2. an validè?]

13. De excommunicatis contumacibus Banno Imperiali innodandis. [*Kyriand. pag.* 190.]

14. Redemptio bonorum feudorumve Imperii.

[Verſura hîc facta; & tandem quo pervenerit, ex Capitulat. noviſſ. intelligitur. add. *Kyr. p.* 189.]

15. Jus minerarum metallicarum & theſaurorum.

16. Ordinatio, conſtitutio, deſtitutio collegiorum corporumque in omnibus oppidis & locis Archiepiſcopatus.

17. Subditi Trevirenſes non poſſunt alibi Pfalburgeratum indipiſci, aut ejecti Archiepiſcopatu, recipi. [ex Ludov. IV. privil. *Kyr. p.* 190.]

18. Privilegium belli & impenſarum bellicarum.

19. Feuda vacantia ita ad Archiepiſcopum Trevirenſem in diœceſi veniunt, ſicut in Imperio ad Cæſarem.

20. Merum & mixtum imperium in jurisdictionibus, quæ Freyen gerіde vocantur, in diœceſi. [explicatius in Ludov. IV. rivil. ap. *Kyriandr. p.* 190.]

21. Tutela vaſallorum impuberum.

22. Præſentatio idoneorum à Cæſare ap. Archiepiſcopum facienda, in caſu collationis beneficii, Cæſari competentis.

23. Confirmatio ſententiæ contra civitatem Trevir. ab ipſo Carolo latæ.

24. Confirmatio omnium jurium & privilegiorum Archiepiſc. & Eccleſ. unquam conceſſorum : per complexum, enumeratorum.

25. Clauſula derogatoria.

26. Interpretatio privilegiorum Trevir. liberalior.

27. punitio rebellium conceſſa.

28. Supplentur defectus.

29. Sanctio.

Sigillum, A. B.

Teſtes. &c.

Annotatio.

1. Confirmatio ſententiæ Carolinæ numer. 22. notabilis, *Chron. Belg. Magn. p.* 316. Quæ ſententia ſuperiore ſæculo iterum confirmata in judicio. v. *Klockii Relat. Cameral. 72. Trin. contra Trin.*

2. Examen Diplom. Carolini præmiſſi à *Kyriandro part.* 15. *Annal. Trev. p.* 179.

3. An ſpecimen ſit ejus liberalitatis, qua Wenceslao regnum emit? Ut putat *Kyriander.*

XI.

Wenceslai Imperatoris deſtitutio.

1. Hiſtoria repetenda ex *Cuſpiniano* ; *Aventino* (*l.* 7. *pag.* 645.) *Lehmann. Chron. Spir. lib.* 7. *cap.* 72. *Chron. Belgic. magn. pag.* 328. *Annalib. Bavar. noviſſ. part.* 2. *lib.* 7. *num.* 6.

2. *Deſtituentes*, qui & quo jure uſi. *v.* §. 7. *Diplom.*

3. *Deſtitutionis cauſæ.*

4. *Deſtitutionis Formula.* ap. *Goldaſt. tom. un. Conſtit. Imp. pag.* 379.

5. An

5. An hæc *ſententia* verè *Judicialis*, ut vocatur §. *ult. Diplom.*

6. An extet *Diploma Authenticum* ?

[Etſi non extaret, hoc nomine tamen, non eſſet in irritis ponenda.]

7. Eventus exauctorationis, & proximè conſecuta, apud *Aventin. l. d.* & *Anton. Poſſevin. Hiſt. Mantuan. lib.* 5. *pag.* 465. *& ſeqq.* Atque hujus loci eſt Q. de Diplomatibus Wenceslai poſt deſtitutionem conceſſis, ap. *Limnæ.* & *Chifflet. in Alſat. Vindic.* contra quem diſputat prolixè *Blondellus præfat. Apolog. XXIV.* 4. *& ſeqq. Limnæ. tom.* 1. *addition. p.* 261. *&c.* & *tom.* 2. *Addition. pag.* 63.

8. *Uſus*, ſive *abuſus* hujus exempli ap. Scriptores Juris publici :

In probanda facultate Imperatorem deſtituendi ;

In comparandis, quæ prorſus diverſa ſunt.

9. *Epicriſis*, partitim allata.

XII.

Bajazetis Turcarum Imp. clades. anno 1397.

1. Deſcriptio viri, ex *Lonicero, Hiſt. Turc. lib.* 1. *pag.* 12. *f. b. & ſeqq. Cuſpinian. in Baſaite p.* 436. *Archontolog. Coſmic. Gothofr.*

2. Clades optime deſcripta *Laonico Chalcocondyla lib.* 3. *de reb. Turc. pag.* 99. *& ſeqq.* Add. *Annal. Turc. Leuenclauii pag.* 19. & *Bizarr. Hiſtor. Perſ. lib.* 9. cum epicriſi *Lipſ. lib.* 1. *Monit. & Exempl. Polit. cap.* 5. *mon.* 6. *ex.* 4. Mos Turc. Imper. non ducendi legitimas uxores ab hoc caſu ap. *Busbeq. Ep.* 1. *p.* 35.

3. Judicium de ſtatu, & mutatione rerum, per hanc cladem facta: Chriſtianorum fortuna ſeu reſpiratio, & hanc ſecuta negligentia, & dimiſſa occaſio.

XIII.

XIII.

Sigiſmundi poſtea Imperatoris caſus varii & mirabiles, antequam Imperator fieret.

1. Præmittitur deſcriptio, & diſſimilitudo, ſi cum fratre Wenceslao compareтur. ex *Bonſinio decad. 3. lib. 3. pag.* 407. *Chron. Belg. Magn. pag.* 356.

2. Maria Ludovici I. Hung. Reg. Filia in captivitate, vitam vix ſervavit. *Bonſin. Dec. 3. lib.* 1. *ſub fin.* & *Johan. de Thvvrocz Chron. Hung. c.* 2. *pag.* 121. add. *Lehmann. Chron. Spir. lib.* 7. *pag.* 77. & 78.

3. Coronam Regni Hung. ſponſæ Mariæ dono accepit. v. *Bonſin. Dec. 3. lib. 2. pr. pag.* 372. & *ſeq.* & conjuratos ultus eſt. Add. controverſiam de ſucceſſione *p.* 374. & 375.

4. Vindictæ aſperitas, odiis eum maximis objecit. *Bonſin. Dec. 3. lib. 2. p.* 376.

5. Infeliciſſimum prælium (anno 1396.) cum Turcis ad Nicopolim majorem, & fuga Regis periculoſa. *Bonſin. Dec. 3. lib. 2. pag.* 377. & 378. *Joh. de Thvvrocz Chron. Hung. c. 8. pag.* 125. *Cuſpin. in Sigiſm.*

6. Captivitas ejus per conjuratos anno 1401. & mirabilis liberatio. *Bonſin. Dec. 3. lib. 2. pag.* 379. & *ſeqq. Thvvrocz cap.* 9. & 10. *pag.* 127.

7. Conjugium miro, ſed infelici fato, mortua Mariâ, initum, cum Barbara Cilienſi. *Bonſin. 3. lib. 2. pag.* 381. & *ſeq. Cuſpinian. pag.* 359.

8. Bellum, & æmulum Regni ſine pugna ſubmovit. *Bonſin. Dec. 3. lib. 2. p.* 382. & *ſeqq. Thvvrocz. c.* 11.

9. Ad Imperium pervenit, contra duos alios, quibus oblatum Imperium, ſuo etiam ſuffragio adjutus, memorante *Dubravio Hiſt. Boh. lib.* 23. *p.* 195. *Annal. Bav. noviſſ. part. 2. lib.* 7. §. 21. *p.* 138.

[Q.

[Q. An licitum ? controverſa inter *Arumaum* affirmantem, & *Rumelinum* negantem, ad *A. B. c.* 2. *& ult.*

XIV.

Joanna Puella Liberatrix Galliæ.

1. Status Galliæ miſerrimus. *Iſ. Pont. Hiſtor. Gelr. lib.* 9. *pag.* 447. *Paul. Æmyl. in Carol. VII. p.* 538. *Meier. Annal. Flandr. p.* 311. *&* 312. *&* 314.

2. Opportunum auxilium tulit Joanna Lotharinga, resque egregias geſſit. Apud *eosd.*

3. *Capta ab Anglis comburitur. Pontan. pag.* 455. *Æmyl. p.* 539. *Meier.* 314.

4. *Judicium hoſtile*, tanquam de venefica merito rejectum ab *Æmylio.*

Judicium amicum, & *apologia* ap. *Meier. pag.* 316. *&* 317. & *Hara. Annal. pag.* 409. *anno* 1430.

Judicium ambiguum *Lipſii Not. ad Polit.* 1. 3. 11.

5. Fama poſthuma. ap. *Eoſd. Jo. Capellani Pucelle d'Orleans.*

XV.

Mantuanus Princeps Joan. Franciſcus Marchio creatur à Sigismundo Imp. 1432. Mantuæ.

Celebris inprimis actus

1. Ob cognitionem præviam nobilitatis ac meritorum. *Anton. Poſſevin. Gonzag. lib.* 5. *p.* 638.

2. Beneficii cumulatione incitatam. *Ibid. per ſingulas partes.*

3. Ipſius Inveſtituræ maximam ſolennitatem, *p.* 539. *&* 540. *&* 541. Itidem per ſingula, cum annotationibus.

Annotatio.

De Orationibus Reciprocis.
De Inſignibus.
De Spectaculis.
De Nummis.

XVI.

Ordo Equitum Aurei Velleris tempore Sigismundi Imp. inſtitutus.

1. Ad *hiſtoriam rei* pertinentia v. apud *Mira. in Orig. Eq. lib.* 2. *c.* 1. *pag.* 30. *&c. Franc. Mennen. pag.* 134. *&c. Jacob. Meier. Annal. Flandr. lib.* 16. *pag.* 313. *Jul. Chifletii Breviar. Hiſtor. Eq. Aur. Vell. Guicciard. in deſcript. Belgii. Limna. I. P.* 6, 2, 15. *&c. Megiſer. in delic. Equeſtr.*

2. Q. *Prima : Qui ſint Capita & Supremi Ordinis ?* Reſp. *Jul. Chiflet. cap.* 6. *& Jo. Jacob. Chiflet. Lum. ad Vindic. Hiſp.* 13. *pag.* 103.

3. Q. *Secunda : De cauſis ſecretis hujus Ordinis inſtituendi. Vid. Mennen. pag.* 136. Clarius : 1. Quia hic Ordo certæ Domui alligatus ; ſatis apparet, nobile inſtrumentum potentiæ, & occulti fœderis, hac ratione quæſitum. 2. Eventu favente, prærogativa Auſtriaca ſupra omnes alios Equ. Ordines invaluit. 3. Et ſingularis titulus fuit, bene meritos aut merituros arctiſſime adjungendi Auguſtæ Domui.

4. Q. *Tertia : An utile ſit Imperio, tales Ordines inſtitui ?* ſive potius ; *An hic Ordo profuerit proſitque Imperio ?*

Affirmare volentibus in promtu ſunt iſtæ rationes : 1. Quia non minus ac præcipui Ordines alii, habet cenſuram & diſciplinam, etiam ſummæ Nobilitatis. *Jul. Chiflet. c.* 7. *&* 9. Et *Mennen. p.* 137.

2. Ad virtutem militarem accenduntur hac dignitate ſodales, & alii, qui ambiunt Ordinem. *Jul. Chiflet. c.* 3. *&* 5. *p.* 15. vid. *Leg. Ord.* 5. ap. *Limn.*

3. Quia *jurejurando* ad virtutem obligantur ; etiam Reges. v. *Jo. Jacob. Chiflet. Lum. Sal.* 13. *p.* 302. & *Jul. Chiflet. c.* 6. *p.* 20.

4. Quia Imperii intereſt, Domus Auguſtæ ornamenta

quam

quam maximè eminere. Hujus autem Ordinis æſtimatio incomparabilis. *Jul. Chiflet. c.5.*

Negare volentes, dicent: 1. Rerum geſtarum magnitudine præcellere alios Equites, ex judicio Comitis Beneventani ap. *Jul. Chiflet. c. 5. p.* 14.

2. Carolum V. non æſtimaſſe hunc ordinem, teſte *Sandovallio* ap. *Eund. p.* 15.

3. Ab Inſtitutione prima degeneraſſe, Comitiorum authoritate ſublatâ. v. *Jul. Chiflet. c. 6. p.* 19.

4. Abjectæ ſtirpis homines in Ordinem allectos dedecere hoc decus. teſte *Sandovallio* ap. *Jul. Chiflet. c. 9. p.* 25.

5. In Imperio vix ullum ejus uſum aut fructum obſervari: cum arcana Domus Auguſtæ ſæpe Imperii rationibus aliena ſint.

Decidendi rationes, pro *Affirmativâ* ſumi poſſunt, partim *ex reſponſionibus Chifletii*; partim ex *aliorum Regnorum exemplis*; quibus non cedere, ſed præpollere debet Imperium. v. *Jul. Chiflet. c. 5. p.* 13.

5. Q. *Quarta: An major ſit dignitas Comitis Imperii, an Equitis Aurei Velleris?* de quo *Beſold.* ap. *Limnæ. tom. 4. ad lib. 6, 2, 21. p. 5.*

Annotatio.

1. Specimen Comitiorum, Ordinis Equitum Aurei Velleris v. apud *Gulielm. Zenocarum in Vit. Caroli V. lib.* 4. *pag.* 234. *& ſeqq.*

2. Inſignibus Auſtriacis ſolet circumdari torques hujus Ordinis: invento curialis elegantiæ.

3. Imitatur inſtituta hujus Ordinis Ludovicus XI. R. Gall. ap. *Bodin. lib. 5. cap. 4. num.* 548.

XVII.

Clades Varnenſis. 1444.

1. *Hiſtoria* ex *Æn. Sylv. Epiſt.* 52. & *Europ.* 5. & 6. *Bonfin. dec. 3. lib. 6. Leunclav. Pandect. Turc. num.* 116. *pag.* 162. *Thvvrocz Chron. Hung. c.* 42. *p.* 150. &c. *Phil. Callimach. lib. 3.*

2. Q. *An Pax cum Turcis facta, potuerit rumpi ſalva fide & religione?*

Affirmativam Julianus Cæſarinus Cardinalis ſuaſit:

1. Quia fœdus & pax cum Turca iniri non potuit, ſalva fide prioris fœderis cum Chriſtianis: ergo ipſo jure nullum & irritum eſt. *Bonſin. p.* 458.

2. Quia perfidis, fidem licet *fallere. Bonſin. p.* 459.

3. Exemplis magnorum auctorum hoc affirmari. *Ibid.*

4. Salutis publicæ cauſa, fidem & juramenta reſcindere licere. *Ibid.*

5. Occaſionis opportunitatem non dimittendam. *Ibid.*

At *Negativa* verior tutiorque fuit. 1. enim, quomodo perfidis non liceat fidem frangere, v. apud *Grot. I. B.* 2, 13, 16. & 3, 19, 13.

2. Præſertim jurejurando major debebatur reverentia. Unde & Turcæ precatio ſive imprecatio ap. *Leunclau. Pandect. Turc. num.* 116. *p.* 62. & commune judicium de perfidiâ Chriſtianorum, quod obſcurari nequit, ſubtilibus jurisjurandi interpretationibus. ap. *Lonicer. lib.* 1. *hiſt. Turc. p.* 19.

3. Maxima utilitas non poteſt efficere rem turpem honeſtam.

[Diſtinctio utilitatis veræ, & apparentis.]

XVIII.
Conſtantinopolis capta.

1. De *Chronologia* Excidii. *Laurent. Pignor. Epiſt. Symbol. ep.* 21. *p.* 37. *Cruſ. Annal. Suev. lib.* 7. *part.* 3. *pag.* 399. & *in Turco-Græcia pag.* 53.

2. *Deſcriptio Excidii. Laonic. Chalcocond. lib.* 8. *Hiſtor. Polit. in Turco-Græc. Cruſii p.* 10. & *annot. p.* 53. &c. *Æn. Sylv. Europ. c.* 7. & *Epiſt.* 155.

3. Quæſtiones circa hoc negotium memorabiles. 1. An ſit certa periodus, quâ Imperia convertuntur & evertuntur? Occaſione *Annotationis Æneæ Sylvii Epiſt.* 155. *pag.* 704. *de Roma veteri & nova.* 2. An cauſæ interitus Imperii Conſtantinopolitani

rectè

recte aſſignentur, à *Cruſio in Turco-Græcia pag.* 55. & 56. 3. Cauſæ propiores indagandæ. e. gr. 1. Ædificia Mehmetis Urbi Conſtantinopol. fatalia ap. *Chalcocondyl. lib.* 8. *pag.* 251. & *ſeq.* 2. Naves Turcorum, catena non obſtante in portum Conſtantinop. deductæ. *pag.* 255. 3. Juſtiniani Longi caſus *pag.* 260. 4. Paucitas propugnantium, ſi cum hoſtium multitudine conferretur. 5. Poſtea, urbe amiſſa, ad cetera perdenda non minimum contulit Palæologorum diſcordia. *pag.* 273. v. omnino *Outremanni, de Græcorum excidio lib. ſingul. c.* 16. & 17. &c.

4. An conditiones à Turca oblatæ potius fuerint accipiendæ, quam caſus excidii ſubeundus? *Chalcocond. p.* 258.

5. An capta Conſtantinopoli, ad Turcas aggrediendos idonea fuerint auxilia & præſidia, quæ demonſtrat *Æneas Sylvius Ep.* 155. *p.* 707.

XIX.

Conradi Kauffungi facinus atrocitate & eventu mirabile. an. 1455.

1. Hiſtoria ap. *Æn. Sylv. Europ. c.* 32. *pag.* 424. ſupplenda tamen & corrigenda ex *Fabric. Origin. Saxon. lib.* 7. *p.* 770. & *ſeqq.* & *Albin. Chron. Miſn. tit.* 21. *pag.* 267. & *ſeqq.*

2. Q. 1. An potuerit Kauffungi facinus minui; quia duplici injuriâ multatus ſit ab Electore; *deinde*, quia literas diffidationis miſerat ex uſu ſæculi; *Albin. p.* 266. *porro*, quia pepercerit Principib. adoleſcentibus; *p.* 172.

2. *An fuerit verus plagiarius?* ap. *Albin. p.* 272.

3. An Elector tenebatur, ei reddere λύτρον. N. v. *Albin. pag.* 266.

Annotatio.

An potuerit ſalva fide Kauffung, dimittere *Alb. Brand.* ap. *Cruſ. A. S. lib.* 7. *cap.* 3. *pag.* 393.

XX.

Jacobus Cypri regno admotus 1457.

Q. *Prima:* An veri & legitimi Regis nomine æſtimandus veniat? Rationes in utramque partem petantur ex *Commentariis Pii Papæ II. lib. 7. pag. 175. & ſeqq. & lib. 6. p. 165.*

Q. *Secunda: An Veneti jure optimo Regnum Cypri adepti ſunt? Cruſ. An. Suev. lib. 7. part. 3. p. 403. Bemb. Hiſtor. Ven. lib. 1. Natal. Com. lib. 21. pag. 450. & 451. Thuan. lib. 49. p. 709. Leuncl. Annal. Turc. ſupplem. p. 67.*

Q. *Tertia: De jurejurando Jacobi*, quod Soldano Ægyptio præſtitit, in *Commentar. Pii lib. 7. p. 177.*

XXI.

Ordo Equitum S. Georgii 1468. al. pon. 1470.

1. *Author* Fridericus Imperator.
2. *Cauſa inſtitutionis*, adverſus Turc.
3. *Inſignia*, præſertim *Crucis Rubræ.*
4. Locus, *Milleſtadt.*
5. *Dotatio.* Vid. *Megiſ. Chron. Carinth. lib. 1. c. 5.* & *Mennen. p. 157. Science des Armoiries de Geliot.*
6. *Judicium quorundam*, in *Mſc.* coævo.
7. Diſtinctio ab Ord. S. Georg. in Angliâ, de quo *Miræ. lib. 2. cap. 3.*
8. Honor & prærogativa in militia. *Ger. de Roo libr. 5. pag. 204.*
9. Error Gallici Scriptoris *Moreau ap. Limn. 6, 2, 49.*

XXII.

XXII.

Bellum Friderici Imperatoris ad Nuſſiam.

1. *Cauſa & origo.*
2. *Apparatus.*
3. *Pugna.*
4. *Intervenientia.*
5. *Exitus.*

1. De cauſa vid. *Pont. Heuter. in Carolo. Jacob. Meier. lib.* 17. *Annal. Flandr. ann.* 1474. *p.* 413. ubi Q. *An jure, aut prudenter factum, quod Carolus ſuſcepit patrocinium Bavari? De cauſ. occult.* v. *Ger. de Roo lib.* 8. *pag.* 303.

2. De *Apparatu*, *Eoſdem* vide. add. *Jacob. Card. Papienſ. Epiſt.* 610 *pag.* 853. Et *Bernh. Hertzog. Chron. Alſat. l.* 2. *c.* 62. & 63. *p.* 124. *&c.* Ubi etiam *Formula diffidationis.*

3. Pugnæ, ap. *Meier. & al. Card. Pap. Epiſt.* 591 *p.* 843.

4. *Interven. Negotiatio pacis*; tentata per *Chriſtiern. Reg. Dan. Meier. p.* 414.

Et *inſtigatio belli*, per Regem Galliæ. Ubi reſponſio Cæſaris per apologum. *Ger. de Roo. lib.* 8. *p.* 307.

5. *Pacis Conditiones* ap. *Meier. Roum.* &c. *Card. Pap. Ep.* 648. *p.* 878.

Q. An bene fecerit Cæſar, pacem victoriæ ſperatæ præferens.

XXIII.

Caroli Burgundi Clades & Interitus.

1. Tres ſolent conjungi clades memorabiles: quarum prima apud Granſonium caſtellum ab Helvetiis illata 1475. (*Pont. Heuter. in Carolo.* & *Jacob. Meier. Annal. Flandr. lib.* 17. 422.) altera ad Moratum itidem ab Helvetiis illata 1476. (v. *Jacob Meier.*

Meier. lib. 17. pag. 423.) Tertia ad Nancejum. Carolo exitialis Epitaph.

Oppida trina tibi, Dux Carole, dira fuere,
In rebus, Grançon; grege Murten, corpore Nanſe.

(*Jacob Meier. lib. 17. p. 425. &c.*) ann. 1477. *Hara. Annal. Brab. p. 446. &c. Comina. in Ludov. XI. lib. 7. Cruſ. A. S. lib. 8. part. 3. pag. 446. & ſeq. Ger. de Roo lib. 8. pag. 312. Gaguin. Hiſtor. Franc. lib.* 10.

2. Errores Caroli, ex nimia fiduciâ, & mala diſpoſitione. Dilatio Affinitatis Germanicæ.

3. Filiæ ſucceſſio. ap. *Hara. pag. 448. &c. Ger. de Roo lib. 9. pr.*

XXIV.

Maximilianus I. eligitur Rex Romanorum, vivente Imperatore.

1. Hiſtoria ap. *Ger. de Roo lib.* 10. *p.* 365. & *Goldaſt. Polit. Imperial. part.* 1. *p.* 86. *&c.*

2. *Ejus Coronatio* & *conjuncta.* ap. *Cruſ. A. Suev. pag.* 473. *Epiſt. Cardin. Pap. pag.* 878.

3. Gratulatio Venetorum ap. *Freher. Script. Germ. tom.* 2. *pag.* 185.

Cum *annotatis*, & *controverſ.*

XXV.

Electio Caroli V. Imperatoris 1519.

1. Hiſtoria ex Actis ap. *Goldaſt. Polit. Imperial. part.* 1. *pag.* 102. *&c.* Et ; *Politiſchen* Reichs-Handlungen. *Sleidan. Commentar. lib.* 1. *Chytræ. Chron. Saxon. lib.* 8. *pr. Strauckij exoter. diſſert.* 4. §. 2. *p.* 90.

2. Momenta rationum pro Carolo R. Hiſpan. & contra eum allata :

Pro eo :

1. Quia potente Imperatore opus eſt.

2. Quia

2. Quia Germanus eſt.

3. Quia maximis ingenii dotibus & animi artibus pollet; quæ enumerantur.

4. Præſtantia majorum.

5. Ætas matura rebus gerendis.

6. Conſilia avita.

7. Vaticinia de futuro Imperatore Carolum videntur deſignare.

Contra eum

1. Si detinebunt Hiſpaniæ, cum periculo tranquillit. Germ. cuſtode carentis.

2. Præſentia Cæſaris ob varias cauſas neceſſaria. Reſp. In Capitul. provideri poterit. &c.

3. Iratus, Hiſpanos adducet, cum periculo libertatis.

4. Hiſpani dition. Imperii in Ital. recuperatam non reddent.

5. Imperio incubare cupient. Reſp. jura electionis jurejurando confirmabit.

6. Peregrinum Trevir. dixit.

7. Hiſpan. nat. in Germ. ſuperbia.

8. Bellum Mediolanenſe ſurget, ne Turcis reſiſtatur impediet.

9. Ætas nondum ſatis adulta, ſpes non res.

Q. De *peregrinitate*, & definitione *Germani* in utraque orat. Moguntini, & Trevirenſis. *v. p.* 211. *in Gold. Polit. Imper. Strauch. diſſert.* 4. *p.* 94.

Q. De Lege peregrinum eligi vetante, *Strauch. diſſert.* 4. §. 4. *pag.* 92. *&c.*

Annot.

1. *Arnoldi Ferroni* narratio de hac Electione, non vera. *pag.* 155.

2. Pontificis prætenſio repulſa. In *Act. ap. Goldaſt.*

3. De ordine ſuffragiorum Electoralium controverſia inter *Limnaum & Carpzovium. Addit. tom.* 2. *p.* 12. *&c.*

XXVI.

Controverſia de Electione Roman. Reg. Ferdinandi I. vivo Imperatore. 1530.

1. Hiſtoria, apud *Sleidan. lib. 7. &c. Goldaſt. Polit. Imperial. part. 2. Hortled. lib. 3. cap. 13. & lib. 4. cap. 9.* v. *Limnæ. in Capitul. Maximil. II. p. 488. & 489.*

2. *Status Controverſiæ.*

3. *Rationes pro Electione facta.*

4. *Rationes contra Electionem factam.*

5. *Finis Controverſiæ.*

Annot.

De modo & principiis tranctandi hanc controverſiam; quoad *quæſtionem Juris.*

XXVII.

Chriſtierni Sueciæ & Daniæ Regis deſtitutio.

1. *Hiſtoria*, ex Vita ejus *l. 2. cap. 11. Loccenii Hiſtor. Sued. l. 5. Jo. Magn. Hiſtor. Goth. l. 24. c. 3. Meurſ. Hiſtor. Dan. lib. 3. ann. 1520. Chytræ. Chron. l. 9. pr. Narratio Anonymi, tom. Schard. 2. p. 960. Sleidan. lib. 4. pag. 86.*

2. Momenta rationum, quibus cauſa Suecorum defenditur.

Annotat.

1. De Tyrannide, & quatenus ei reſiſti poſſit; aut, quatenus ea depelli poſſit.

XXVIII.

Capitulatio Maximiliani II.

Q. An genuina? N.

1. Propter omiſſa. *Limnæ. ad h. Capitulat. p. 487.*

2. Propter irreperta. *p. 489.*

3. Quia creverunt potius, quam decreverunt Capitulationes. hæc autem utrâque præcedente ſtrictior eſt.

4. Par-

4. Particulariter: quî potuiſſet omitti *artic. Carolinæ Capitulat.* 2. & 3. & 4. & 6. & 12. & 14. 15. 16. 17. 20. 23. 26. 27. 29. 30. 33.

Aff. 1. Quia temporibus accommodata eſt.
2. Quia de Maximiliano nullus talis metus.
3. Quia Cancellarii nomen adſcriptum.
4. Quia cetera, etiamſi non expreſſa, inſunt.
5. Quia publice pro tali habetur.

Annotat.

De Capitulationibus. An ſint Leges publicæ? In utramque partem.

Aff. 1. Authoritate. *Carpzov. in L. Reg. Germ. c. 1. num. 1. & 5. ſect. 4. num. 2. 7. & 8. & 9.*
2. Quia omnes Imperii Ordines obſtringunt.
3. Qui & pro ſe allegant.
4. Quia ſtatum & formam Imperii potiſſimum deſcribunt.

Neg. 1. Quia ab Electoribus tantum conditæ ſunt.
2. Libertati Ordinum non per omnia favent.
3. Hactenus in Corpus Juris noviſſimi non ſunt receptæ.

XXIX.

Conſultatio Regis Hiſpan. Philippi II. *De Profectione Belgicâ 1567.*

1. *Occaſio, & magnitudo hujus conſultationis,* apud *Stradam Decad.* 1. *lib.* 6. *p.* 283. & 284.

2. Simulatio & apparatus Itineris Regii. *Ibid.*

3. Habitus animorum apud Conſiliarios in poſtremâ conſultatione. *Strad. p.* 286. & 287.

4. Status Conſultationis, aliter formatur ap. Strad. aliter ap. *Hara. tom.* 3. *Annal. an.* 1567. *p.* 76.

5. Sententiæ contrariæ earumque momenta. *Hara. pag.* 76. & 77. *Grot. Annal. lib.* 1. *pag.* 25.

6. Regis decretum. & de eo ἐπίκρισις *Thuan. l.* 4. *p.* 438.

7. Eventus Conſilii. vid. *Jo. Meurſ. Belg. l.* 3. *p.* 25.

Annor.

1 De exemplo Tiberii.

2. De exemplo Caroli V. ap. *Strad.* & *Grot. p.* 35.

XXX.

Cauſa ſucceſsionis Regiæ Luſitanicæ 1580.

1. Magnitudo controverſiæ late ſpectantis, ex *Thuan. l.* 69. *p.* 372. ex *Coneſtagg. lib.* 3. *pr.* & *p.* 1093.

2 Hiſtoriæ ſumma apud *Haræ, tom.* 3. *p.* 322.

3. Competitores. *Ibid. Coneſt. pag.* 1092.

4. Comitia Henrici Regis adhuc viventis ap. *Thuan. l. d. v. pag.* 374.

5. Momenta rationum in ſingulis competitoribus deſcribantur ex *Thuan. lib.* 69. uberius; *Hieron. Coneſtaggio de conjunctione Portugall. & Caſtell. lib.* 3. & 4. diffusè.

6. Eventus controverſiæ ex Scriptoribus nominatis, *Coneſtagg. pag.* 1107. *&c.* & *lib.* 4.

XXXI.

Mariæ Scotorum Reginæ ſupplicium 1587.

1. Deſcriptio perſonæ, apud *Camden, Eliſabeth. part.* 3. *p.* 493. *Strad. dec.* 2. *lib.* 8. *pag.* 466. & 479.

2. Crimina, quibus accuſabatur. Ex *Camden. l. d. p.* 452. 453. 455. 459. & *ſeqq.* & *apud Thuan. lib.* 86.

3. Lex, quæ in eam lata. *ap. eoſd. Camden. p.* 396. & 445. 447. 454.

4. Reſponſ. ejus. *apud eoſd. prævia Camden. pag.* 448. & 450. 451. 452. 454. 456. 458. 460. 461. 462. 463. *Strad. pag.* 472. 474. *Thuan.* 86. *p.* 157. 162.

5. Legati Galli apologia & ad eam reſponſio. *Camden. p.* 479. & *ſeqq.*

6. Sententia. *Camden.* 464. 472. 488. ejusque promulgatio & executio. *Thuan. p.* 163. Oratio Regin. Eliſab. *Camden. pag.* 456. 469. *Thuan. p.* 165.

7. Accu-

7. Accuſatio & excuſatio Eliſabethæ Reginæ *ex iiſdem C. p.* 474. 478. 486. *Thuan. p.* 165. *&c.*

8. Judicia de hoc ſupplicio in utramque partem; apud *eoſd. p.* 495.

Add. *Strad. Decad.* 2. *lib.* 8.

XXXII.

Claſſis Hiſpanicæ, Invincibilis dictæ, clades. 1588.

1. Hiſtoria ex *Camden. part.* 3. *anno* 1588. *p.* 513. *&c. Strada dec.* 2. *lib.* 9. *p.* 542. *&c. Thuan. lib.* 89.

2. Tempus 5< annor. de quo vid. *Thuan. l.* 90. *pr. Grot. Hiſt. lib.* 1. *p.* 116.

3. Cauſæ belli, & conſilia. *Grot. pag.* 117.

4. Apparatus & ſumptus claſſis. *Grot. p. ead.* & 118. *Strad. p.* 542. *Thuan. p.* 247.

5. Pugna. *Thuan. p.* 254.

6. Clades; ejusque cauſæ. *Grot. pag.* 120. *Camden. p.* 534.

7. Rerum Status ab utraque parte poſt cladem & victoriam. *Grot. p.* 124. *Thuan. p.* 256. *Camden. p.* 543.

8. Q. De mandatis obſequendis exemplo Medinæ Sidonii agitata. vid. *Grot. Hiſtor. lib.* 1. *p.* 119. & 132. & 133. *Thuan. p.* 251. *Strad. p.* 548.

XXXIII.

Literæ Rudolphi II. *Imperatoris ad Fœderatas Belgii Provincias.* 1607.

1. Quo in ſtatu tum fuerint, ſc. Feudum Roman. Imperii ex tacitâ confeſſione. apud *Thuan. lib.* 138. *pag. ult. Grotium Hiſt. lib.* 16. *p.* 526. & 527.

2. Wilhelmi Cæſ. confeſſio. ap. *Bekam. in Chron. Epiſc. Ultraject. p.* 65. & 77. & 102. 104. 119. & *Jacob Eyndium Chron. Zeland. lib.* 2. *p.* 259. *Chron. Belg. magn.*

3. Objectiones refutatæ ab *Herman. Conring. de Finib. Imper. c. 28. p. 742. & ſeqq.*

4. Conventio Caroli V. & Imperii Rom. Statuum 1548. ap. *Eund. (p. 750. &c.)* conſiderata, cum annotatione.

5. Status hodiernus, ap. *Eund. p. 773. & ſeqq.* Sententia *Limnæi I. P. 119. 17. & 21.*

6. De Epiſtola *Grotii*, ſuper quæſtione: An conſultum ſit, reverti ad Imperium?

IX.

EXCERPTA è PRÆFATIONE ad AMBROSII OFFICIA.

Deducit ac deſcribit Officium *Donatus ad Andriam Terentii, ab efficiendo, ab eo quod quæritur, quid in unumquemque conveniat pro conditione perſonæ.* Quibus verbis haud dubie ad Stoicorum alludit ſententiam, qui τὸ καθῆκον ita deſcripſerunt. Primus ea voce uſus fertur *Zeno Citticus*; cujus & liber περὶ τοῦ καθήκοντος extabat: teſte *Laërtio Diogene in Zenone*; quem *Suidas, voce* καθῆκον, exſcripſit. Eſſe autem τὸ καθῆκον dicebant ὃ πραχθὲν, εὔλογόν τε ἴσχει ἀπολογισμὸν: *quod ſi in medium producatur probabilem habet rationem.* Sive, ut amplius interpretantur, ὅσα λόγῳ πρέπει ποιεῖν, *quæ rationi convenit facere.* Nec abeunt cetera, cum τὸ ἀκόλουθον ἐν τῇ ζωῇ, *id quod conſequens eſt in vita*; itemque ἐνέργημα ταῖς κατὰ φύσιν κατασκευαῖς οἰκεῖον, *actionem naturæ ſtatui convenientem*, explicationis gratia adferunt. Sumſit autem Zeno appellationem τοῦ καθήκοντος (quod ex adductis jam facilius intelligi poteſt) ἀπὸ τοῦ κατά τινας ἥκειν, *ab eo, quod ad aliquos veniat*, nempe quibus facere id convenit; quos ea actio decet. Unde Phraſin totam appoſite expreſſit *Demoſthenes*, loco etiam *Suidæ* producto: τὰ καθήκοντα ἐφ᾽ ἑαυτὸν ποιεῖν, *ea quæ ad ſe veniunt* (facienda nimirum) *facere*; ſive, *quæ officii ſui ſunt facere.*

facere. Poſſunt iſta lucem accipere collatis, quæ *Ariſtoteles* philoſophatur de *medio rationis*, ſive, ejus, quod eſt καθ' ἡμᾶς: quod *ratione & judicio viri prudentis*, vult conſtitui. Quanquam Stoicorum ſententia latius patet. Unde & τὰ καθήκοντα priſci Stoici per univerſam actionum humanarum amplitudinem & φιλοσοφίαν πρακτικὴν, quam vocant, porrexere. quæ licet aliqui poſtea contraxiſſe *in τόπον τῶν ἠθικῶν, ut eſſet locus & pars Ethicorum*, viderentur; notum tamen eſt, *morum* nomine Stoicis etiam venire, quæcunque ad πολιτικὰς aut οἰκονομικὰς πράξεις, aliàs peculiaribus titulis referuntur. Unde *Simplicii in Epictetum* ἐξήγησις diſerte notat: διὸ καὶ ἠθικὴ ἀναγωγία καὶ ἡ πολιτικὴ περὶ τὰ καθήκοντα ἀναστρέφονται. *Quare & diſciplina morum & civilis facultas in officiis verſatur.* Quo reſpiciens *Seneca*, *omnia quæ præſtanda ſunt aut vitanda, breviter formula humani officii includi poſſe*, aſſerit. Et jam alibi hoc nomine juri & legibus oppoſuerat officium; inquiens: *quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Atque hanc ipſam amplitudinem officii in animo habuit Archedemus apud Laërtium, cum *finem hominis ultimum* ſtatueret, τὸ πάντα τὰ καθήκοντα ἐπιτελοῦντα ζῆν, *ita vivere, ut nihil officiorum omittatur.* Id quod conſentit ac interpretatur *Diogenes*, cum eundem finem ponit τὸ εὐλογιστεῖν ἐν τῇ τῶν κατὰ φύσιν ἐκλογῇ, *ratione recte uti in eligendis iis, quæ natura ſunt conſentanea.* Nam per conſentaneas naturæ rationes officium deſcribi, antea intelleximus. Quod & *Diviſiones officiorum*, quibus utuntur veteres, tam late patent, quam ipſa hominum vita, vitæque actiones. Quo pertinet, cum *officia alia* dicunt verſari *circa ejusdem conditionis conſortes i. e. homines; alia circa præſtantiores; alia circa deteriores; alia circa noſmetipſos.* Et cum pro natura rei, quæ in conſiderationem venit, *alia ſemper efficienda, alia non ſemper*; itemque cum *alia* ἄνευ περιστάσεως, *alia* περιστατικὰ, *alia* denique κατορθώματα, *ſive perfecta*; *alia* καθήκοντα, voce generis ad ſpeciem traducta, quaſi dicas *media officia*, nominant. Quæ ſane differentiæ totum actionis humanæ argumentum exhauriunt; officioque nullam vitæ partem vacare patiuntur. Ceterum cum duabus plerumque rebus homines in officiorum ſtudio ſoleant impediri, affectibus nimi-

nimirum & imperitia inveniendi, quid quæque res exigat: igitur duplex in hoc argumento verſandi ratio priſcis eſt enata; per *decreta*, & *præcepta:* quorum illa rectas de rebus opiniones firmant; hæc ad ipſam officiorum executionem deducunt; ſicut prolixe in hanc ſententiam diſputat *Seneca epiſtola quarta & nonageſima.* Idem qui in genere parænetico multum ſibi ſtudii operæque ponendum judicavit.

RUDIMENTA
OFFICIORUM
Extemporali Specimine
Doctrinæ
De
Officiis Prudentiæ & Juſtitiæ
Breviter Delineata.

DE OFFICIIS
CAPUT I.

OFFICIORUM nomine cum antiquis poſſumus comprehendere omne *id, quod ad vitam honeſte beateque agendam homines facere vel vitare tenentur:* Adeoque non tantum generatim quæ in Ethicis traduntur de vitiis & virtutibus; ſed etiam officia viri civilis in Republ. e. g. Principis, ſubditi, Imperatoris, militis, Conſiliarii & Adminiſtri officia; itemque quæ in domeſtica ſocietate maritum, uxorem, parentes, liberos decent.

Nulla

Nulla enim vitæ pars (inquit (a) *Cicero*) *neque publicis, neque privatis, neque forenſibus neque domeſticis in rebus: neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt: In eoque colendo ſita vitæ eſt honeſtas omnis, & in negligendo turpitudo.* (a) *l. 1. Off. c. 2.*

De origine vocis variisque deſcriptionibus veterum, (b) itemque diviſionibus officii, alibi egimus. Nunc ſufficit ſcire *officium eſſe id, quod juxta præſcriptum ac dictamen rectæ rationis bene & recte agimus ſecundum id, quod ubique convenit.* manifeſtum eſt hic includi & denotari *mediocritatem* illam *Ariſtotelis*, quæ *medium rationis* vocari ſolet, ratione viri prudentis definitam: quo vitamus ubique id quod excedit vel deficit, mediaque via inter nimium & parum incedimus. Nam id eſt ex ratione agere, aut rationi obedire, rerumque & perſonarum convenientiam obſervare. (b) *præfat. in Offic. Ambroſ.*

Cumque materia officii ad omnes humanas actiones ſeſe porrigat, in quibus magna occurrit diverſitas, ultro intelligitur, quædam officia majori neceſſitate & perfectione æſtimari, quædam minus neceſſaria eſſe, aut probabili ſaltem ratione conſtare. Nam ut prolixe hic diſputemus de Stoicorum officio perfecto & medio, aliisque ſimilibus diſtinctionibus, ab inſtituti noſtri ratione plurimum abeſt.

Illud ſtatim inter principia monemus, in officio præſertim requiri propoſitum, & conſilium ſive voluntatem recte agendi (quæ *Ariſtoteli* προαίρεσις eſt) idque honeſtatis cauſa, & cum quodam quaſi reſpectu ad finem honeſtæ beatæque vitæ, qui ſupremus actionum noſtrarum ſcopus eſt.

Nec omiſerim hoc loco inſtitutum & propoſitum hominis Chriſtiani: Licet enim officiorum diſciplina recta ratione & lumine naturæ, quod vocant, expediri poſſit: eadem tamen recta ratio deducit nos ad hanc cautionem, ut diligenter ratiocinemur, quid deceat non modo virum bonum univerſim, ſed eum virum bonum, qui in Chriſtiana Republica ſub Chriſtiana lege inter Chriſtianos cives victurus ſit.

Inde Conſilium nobis hæc OFFICIORUM RUDIMENTA non ex Philoſophorum ſchola tantum, ſed ex ſanctiſſima Scripturæ Sacræ diſciplina ſubinde inſtruere & firma-

re, quale exemplum quantum quidem inſtituti ratio tulit, *Ambroſius* nobis præivit, in præclaro *de Officiis* opere, quod imitatione *Ciceronis* ſcripſit.

Utemur autem genere ſcribendi expedito & plano, & quod magis ad inſtitutionem vitæ communis ſpectare videatur, quam ad uſum Scholaſticarum Diſputationum. Hæc enim vitæ, non Scholæ diſcenda ſunt.

Et *Cicero* quidem officiorum omnium *quatuor* ponit fontes; è quibus omnia recte vivendi præcepta manare, (a) & eodem referri debere videntur: *I. Perſpicientiam veri* & ſolertiam. *II. Juſtitiam* ſc. in hominum ſocietate tuenda, tribuendoque ſuum cuique & rerum contractarum fide. *III. Animi* excelſi atque invicti *magnitudinem* & robur. *IV. Omnium quæ fiunt*, *quæque dicuntur ordinem*, & *modum*, in quo inſit modeſtia & temperantia.

(a) 1. *Off.* 4. & 5.

Hanc ſententiam *Ciceronis* plerique ita accipiunt, ut 4. ab ipſo ſtatui *virtutes* exiſtiment *cardinales*, quas vocant, ad quas cæteræ omnes poſſint referri, aut etiam ex his tanquam per ſpecies diſpenſari: ſc. *Prudentiam*, *Juſtitiam*, *Fortitudinem*, *Temperantiam*.

Sed mens *Ciceronis* latius patet, qui e. g. per magnitudinem animi non ſolam intelligit fortitudinem; & temperantiæ nomine comprehendit totam in convictu & ejusmodi rebus, in quibus moderatio potiſſimum requiritur, condecentiam & competentiam.

Et ideo ſane difficilior eſt ad vitæ communis inſtitutionem hæc partiendi ratio. quapropter nos, qui primam facilitatis rationem habendam ducimus, ita ſequendum hic *Ciceronem* putamus, ut uſitatiſſima nomina etiam ex *Philoſophia Ariſtotelica* retineantur.

Agemus autem primo de illis officiis, quæ intellectum perficiunt, ſive, quæ juxta vocabulum *Ciceronis* ad perſpicientiam veri ſolertiamque pertinent: deinde ex virtutibus morum, quas vocat *Ariſtoteles*, de officiis Juſtitiæ quædam ſpeciminis loco annotabimus.

CAPUT

CAPUT SECUNDUM.

De perſpicientia veri & præſertim Prudentia.

AB hac enim incipiemus; quia ſine ea cæterorum officiorum ratio ſe nequit explicare.

Non eſt autem conſilium, prolixe hic diſtinguere intellectum, ſapientiam, ſcientiam, prudentiam, & artem: quibus intellectum perfici *Ariſtoteles* tradidit. Nam illa aliunde peti poſſunt.

Nos I. quidem de ſtudiis & ſcientia hominis ad civilem vitam apti, & officiorum civilium periti agemus: II. Prudentiam, proprie ſic dictam, conſiderabimus.

MEMBRUM PRIMUM.

De Studiis hominis practici.

HUnc locum ita tractabimus, ut 1. de *ſcopo ſtudiorum* omniſque ſcientiæ & cognitionis, quatenus huc facit; 2. De ipſis *ſtudiis*. 3. De *modo* & ratione *tractandi ſtudia* aliquid dicatur.

Ante omnia *ſcopus ſtudiorum* ita animo concipiendus eſt, ut ad utilitates vitæ, omnia quæ diſcimus, referenda eſſe meminerimus. *Ea* enim *Philoſophiæ vis eſt, ut non ſolum ſtudentes, ſed etiam converſantes juvet*, ut *Senec.* loquitur *Epiſtola* 108. Idem nempe, qui paſſim monet, vitæ non ſcholæ diſcendum eſſe.

Quoniam autem omnis officiorum ratio ad *vitam practicam*, quæ vocatur, ſpectat, nonnulli exiſtimant, relicta plane Philoſophia Theoretica, tantum doctrinæ de moribus & praxi vitæ operam eſſe dandam.

Sed horum ſententia nimis eſt diluta. quomodo enim magnum mihi animum adferet, ad res agendas, qui tot præſtantiſſimarum rerum notitia caret?

Sed quoniam in tanta amplitudine neceſſaria eſt *ratio compendii*, itaque interdum in ſtudio ſcientiarum, tempori, occaſioni, & ejusmodi rebus, quibus vita noſtra tanquam catenulis modo laxius, modo adſtrictius ligatur, ſerviendum eſt.

Inter ea autem quæ ſcitu neceſſaria & valde utilia ſunt; primas partes ſibi vendicant *Theologia* & *Phyſiologia*.

Sine *Theologia* & cognitione Numinis, nemo Chriſtianus cenſeri poteſt: cum tamen ſupra monuerimus, non ſpectari hic civis qualiſcunque officia, ſed civis Chriſtiani, qui & cum Chriſtianis, & cum cæteris omnibus hominibus ita poſſit vivere, ſicut ratio officii poſtulat.

Cumque Theologia *partim* quidem informet hominem ſanctiſſimarum rerum, & ſummorum myſteriorum cognitione; *partim* Conſcientiam hominis erudiat in faciendis & fugiendis, tam conſilio quam præcepto: utriusque diſciplinæ neceſſitas utilitasque hic intelligi poteſt.

Nam *cognitione & ſcientia rerum divinarum*, haud dubie inſeritur animis generoſa quædam magnitudo, ſine qua fruſtra de præclaris actionibus & beata vita cogitamus. Cum præſertim beatitudo civilis, quam officiorum ſtudio actuque quærimus, referenda, adeoque dirigenda quodammodo ſit ad ſupremam illam felicitatem, quam poſt hanc vitam in cœlis expectamus.

Ponemus ergo breviter, & tanquam in familiari colloquio, quale velimus ſtudium Theologiæ in unoquoque homine politico, id eſt Officiorum ſtudioſo, eſſe. Fundamentum conſilii & laboris *S. Literas* ponimus. Indecorum enim ſane fuerit homini præſtantiſſimarum rerum ſtudioſo, & legendi diſcendique cupido, ſi non intelligat pleraque in Libro omnium pretioſiſſimo & vere incomparabili.

Quoniam autem ad interiorem Scripturarum notitiam requiritur cognitio *Hebraica & Græca Lingua*, igitur ea deſtitutus optimos quosque *Interpretes* in ſubſidium adhibebit. e. gr. inter eos qui verterunt Sacras Literas, *Germanica Lutheri*; *Latina Tremellii & Junii* verſio maxime celebratur. Ex iis, qui notas adjecerunt, non fruſtra commendantur *Caſtalionis* labores. quanquam optandum ſane eſſet, aliquid in hoc genere accurati extare. quod conſilium in animo fuit, nec infeliciter ipſo opere tentatum eſt nuperis *Bibliorum Vimarienſium Editoribus*. Sed quoniam ad perfectionem ſuam hæc talia nondum pervenerunt, igitur in ſingulos libros biblicos, certi & optimi

mi *commentatores* iis, qui ſtudio, ingenio & tempore inſtructiores ſunt, commendari queunt.

Atque in tractandis quidem ejusmodi interpretibus atque commentariis, præſertim ea diligenter obſervari debent, quæ *profunditatem textus & ſententiarum maxime explanant*, & *lectorem ad veras divinorum oraculorum opes*, cum *pari ſanctitate & gravitate conjunctas*, *deducunt*. (a) Quod monendum fuit propter eos, qui S. Literas curioſius quam reverentius ac utilius tractant, externisque quibusdam quæſtionibus attendentes, ipſam rerum ſuavitatem non deguſtant.

Hæc de THEOLOGIA EXEGETICA breviter indicanda duximus, nunc de METHODICA ſive DOGMATICA aliquid adjiciendum eſt; ſi monuerimus exegeticæ illius vim ac ſpiritum optime animo inſinuari, ſi quorundam veterum *Eccleſiæ Dd. exegeſes* interdum inſpiciantur.

In DOGMATICIS ergo quisque eligat ſibi bonum aliquem & bonorum judicio commendatum ſcriptorem, qui articulos quos vocant Chriſtianæ religionis *vel* compendiaria ratione *vel* ampliori tractatione expoſuit: quanquam plerorumque captui convenientius eſt, ab *epitoma* ordiri, eique deinde totum aliquem *theſaurum*, ut ſic loquar, ſuperſtruere. (b)

Cum primis autem Politico tenendum eſt, (nam de hujus ſtudio profectuq; loquimur) certos quosdam articulos Chriſtianæ religionis, præ ceteris ad actiones politicas earumque tractationem concurrere, ſicut e. g. Locus de *Providentia Dei*, judicii politici pleramque partem informare debet. (c) Itemque quæ agitantur de *Magiſtratu Politico* & *Miniſterio Eccleſiaſtico*, denique de *Jure Eccleſiæ & Reipubl.* Quæſtiones diligentiſſime cognoſci debent; quia aſſiduus in vita civili „ uſus, & ex ignorantia periculum in agendo conſulendo- „ que, ultro commendat hanc diligentiam.

In unoquoque autem Theologiæ noſtro loco cumprimis utiliſſimum eſt ſcire *totam* quodammodo *loci hiſtoriam*, id eſt, quid Eccleſia inde à Chriſti & Apoſtolorum temporibus de hoc articulo crediderit, aut credendum ſtatuerit, quæ conſecutæ ſint opinionum diverſitates aut diſceptationes. Edidit tale

(a) *Athanaſii, Origenis Exegeſes ſuper Pſal. &c. Notabile exemplum erudita exegeſeos poteſt eſſe Harmonia Evangelica à Chemnitio inchoata, à Lyſero & Gerhardo continuata.*

(b) *Sicut e.g. loco compendii poteſt eſſe Menzeri exegeſis Auguſt. Confeſſ. Loco theſauri, opus Gerhardi, quo Locos Theologicos pertractat. Loci communes Melanthonis.*

(c) *Voſſius caput habet in Theolog. Gentil. de Fato Chriſtiano.*

tale ſpecimen *G. I. Voſſius in Hiſtoria Pelagiana. Calixti pleraque.*

THEOLOGIA PRACTICA, ut nunc diſtinctionis gratia ſic pergamus, itidem habet notabiles introductiones. Quales ſunt e. g. *Joh. Arndii Verus Chriſtianiſmus*, *Praxis Pietatis*, Sonthombs Gulden Kleinoth ꝛc. (d)

De cætero huc pertinent omnes quæſtiones & doctrinæ, quæ mores & vitam Chriſtianam concernunt; *vel* quatenus explicantur Theologice certæ virtutes & vitia; *vel* quatenus Conſcientiæ dubia diſcutiuntur (e) *vel* quatenus rerum agendarum conſilia, juxta normam theologicam examinantur. (f) In quo univerſo genere regnant *Patres*, i. e. Priſci Eccleſiæ Doctores tam Græci quam Latini.

Cum lectionem Patrum commendamus (neque certe ſatis commendari poteſt) ſemper volumus intelligi, caute & cum judicio illam lectionem eſſe tractandam. Unde extant virorum Doctorum *conſilia* de lectione Patrum, *Indices* de notitia patrum, *Cenſura* de ſcriptis Patrum. Nominabimus obiter conſilium *Chemnitii & Gerhardi. Bellarmini Patrologiam*, *Riveti Criticum ſacrum*, *Roberti Cocii Cenſuram* & ſimilia.

De *Scholaſticis Doctoribus*, quos & ipſos Patribus accenſent multi (Pontificii) nihil hic dicimus. licet enim in eorum ſcriptis multæ theoreticæ Qq. & præſertim Theologia moralis copioſiſſime pertractentur, tamen non cuivis commendari de-„ bent: requirunt enim lectorem, qui adferat multam eru-„ ditionem & peritiam ſeparandi inutilia ab utilibus.

Progrediemur ad *Studium Phyſices*, ſive ad cognitionem naturæ. magnopere enim juverit ſcire

——— Magni primordia Mundi
Et rerum cauſas, & quid Natura: ——
Quid DEUS, unde nives, quæ fulminis eſſet origo:
Jupiter, an venti diſcuſſa nube tonarent.
Quid quateret terras, qua ſidera lege mearent,
Et quodcunque latet.

(d) *Solent nonnulli hæc practica argumenta diſtinguere in* κατορθώματα *ſive ea, quæ ad ſummam Chriſtianam perfectionem pertinent: & officia communia Chriſtiana regula.*

(e) *Chytræi Decalogus. Balduini Caſus Conſcientiæ. D Schmidij Conciones Arg.*

(f) *Qualia collegit Dedekinius. &c.*

Tra-

Tractatur autem ſtudium Phyſicum partim *Mythologicè*, in fabulis Poetarum, cujus poſt cæteros accuratiſſimam explicationem dedit *Ger. Jo. Voſſius in opere Theologia Gentilis, ſive Phyſiologia Chriſtiana.* (Sciendum autem eſt, Voſſii in hoc opere univerſæ Phyſicæ ſtudium mirificè juvari.) Nam quæ *Natalis Comes in Mythologia* ſua tradidit, nec ſcopo, nec perfectione cum Voſſianis curis comparari poſſunt.

Partim Hiſtoricè. Sicut e. g. ex veteribus *Hiſtoriam naturalem* admirandi operis ſcripſit *Plinius.* E recentioribus autem alius *Hiſtoriam Plantarum*; (quam è veteribus *Theophraſtus* quoque edidit) alius hiſtoriam animalium; alius hiſtoriam gemmarum & lapidum deſcripſit.

Partim Philoſophicè, ut ſpecialiter ſic loquamur. Sicut e. g. *libri Phyſici Ariſtotelis* extant, quos in compendium contraxit *Nicephorus Blemmidas.* E recentioribus commendatur *Phyſica Timpleri*, *Hauenreuteri*, *Bartolini Major. Magiri*, (qui Ariſtotelis textus reſolvit & interpretatur) *Senerti*, & aliorum.

Nobis illud potiſſimum hic monendum eſt; ſtudium Phyſicum aliter tractari debere ab eo, qui ad Medicinam aut Theologiam potiſſimum adhibere eam cognitionem cupit, aliter à Studioſo Politices. Nam ad priorum illorum ſtudia præſertim faciunt variæ illæ & difficiles Diſputationes de principiis corporum naturalium & affectionibus, de materia, de forma, de formarum & præſertim animæ rationalis origine, de motu, de loco, de tempore, de Elementis, de mixtione, quæque ſunt ejus generis alia. At qui vitæ civili ſua ſtudia accommodat, magis partem Studii Phyſici Hiſtoricam amplectitur, & præcepta totius Scientiæ, quantum ſatis eſt, cognoſcit.

Non omiſerim monere, plurimam profundiſſimamque naturæ ſubtilitatem, adeoque Phyſices cognitionem è Sacris literis hauriri poſſe. Intendit digitum ad eam rem *Valeſius in Philoſophia Sacra*, & nonnulli Scripturarum interpretes.

Partem Phyſices Meteorologicam plurima habere incerta, parumque explorata certiſſimum eſt. Poſſunt exempli loco eſſe, quæ nonnulli tradidere de Fulminibus, itemque de

de Cometis, de quorum origine nemo tam ineptus eſt hodie, qui cum veteribus & pleriſque recentiorum ſentiat.

Pars, quæ de Homine, ejusque corpore tractat, non tantum diligentius tradita habetur apud Medicos & Anatomicos: (poteſt compendii vicem præſtare *Bartolini Anatomia*) ſed meretur etiam nominatim commendari elegantiſſimus *Lactantii libellus de Opificio Dei.*

Sicut & de cætero præſertim in deſcriptione Mundi & plurimarum creaturarum eximiam præſtiterunt operam Sancti Patres Græci Latinique, qui primum caput Geneſeos, & hiſtoriam creationis ſuis commentariis explicant.

Oppleverunt hoc ſtudium multis curioſis tractationibus Cornelius Agrippa, Robertus de Fluctibus, & Theophraſtus Paracelſus; cujus opera ſub ſpecie naturalium diſputationum abundant magicis & impiis traditionibus. Sicut & cæteri, quos modo diximus, magna cautione ac induſtria ſeligendi bonum à malo tractari debent, aut ne tractari quidem. Suffecerit enim inſpicere talia, non perdiſcere.

Metaphyſicam homini politico ſuffecerit eatenus attigiſſe, ut terminos artium ac diſciplinarum, itemque diſtinguendi atque explicandi ſubſidia, quoties adhibentur, non ignoret. Sicut ejus rei ſpecimen graviſſimum dedit *Hugo Grotius in opere de Jure Belli & Pacis.* Profueritque cumprimis talia per viam compendiariam ex ore idonei Magiſtri percipere.

Nunc de Matheſi aliquid dicendum eſt, cujus generaliſſimæ diſciplinæ ſunt Aſtronomia & Geometria. Nam Arithmetica tanquam generale inſtrumentum omnium diſciplinarum Mathematicarum præſupponitur, etiam ubi non nominatur: ut fruſtra ſit, qui rem univerſæ vitæ in omnia utiliſſimam homini politico velit commendare.

Aſtronomiæ generalis cognitio præſertim in cæteris diſciplinis eximium uſum præſtat; ſicut e. g. in Geographia, omnique re navali, & cæteris. Aſtronomiæ coloribus nimis audacter ſe ſubinde ornat, illa meretricula, quam nonnemo ex Summis Mathematicis vocat, Aſtrologia. Quam adeò non commendamus homini politico, ut potius infinitis exemplis oſten-

oſtendere parati ſimus, quantum ſit homini politico in omni civili actu conſilioque impedimentum, ſi ejusmodi aſſertionibus animum accommodaverit. Notum eſt veriſſimum *Taciti* elogium, quo *Aſtrologos* inſignit, dum vocat eos, *genus hominum potentibus infidum. ſperantibus fallax.* Poſſuntque loco conſilii haberi, quæ contra vanitatem Aſtrologiæ diſputat *apud Gellium Phavorinus* 14, 1. & *Barclajus in Argenide*

Cum Geometria conjungimus, & quaſi uno faſce colligamus cæteras Mathematicas diſciplinas, quæ ad Architecturam, tum civilem, tum militarem pertinent, de quibus agit *Vitruvius* 1, 1. Ex talibus quisque ſumet, quantum ſuo inſtituto temporique commodum erit. Obiter hic notamus, peregrinatoribus cumprimis hujus Studii aliquam notitiam cordi eſſe debere: Alias enim illuſtria Palatia & admiranda ædificia rudibus oculis aſpicient.

Diximus hactenus de Theoreticis diſciplinis; quatenus & ipſæ inſignem homini politico uſum præſtant. Nunc de propria civilis Studii palæſtra aliquid dicendum eſt.

Exiſtimat Vir magnus *Carolus Paſchalius in Legato*, 15. ſcientiam civilem, ſive Studium Politicum tribus rebus cenſeri debere; cognitione juris. peritia hiſtoriarum, & Eloquentia. Reſpexit autem Vir eximius ad ipſum vitæ uſum, & cognationem connexionemque diverſæ facultatis in iisdem operibus producendis, ſive in iisdem actibus obeundis; Indigetque hæc ſententia explicatione quadam: cum præſertim ſub peritia hiſtoriarum totum Studium Politices, ſicut alias dicitur, comprehendat. Hoc ergo vult dicere; Politicam (cujus nomine more Ariſtotelico ſemper Ethicam quoque complectimur) præcipue quidem abſolvi peritia hiſtoriarum, opus autem habere inſuper cognitione juris & Eloquentia. Quippe in actu civili non modo quærendum eſt, quid faciendum ſit, ſive quid fieri expediat; ſed etiam quo jure nitantur humanæ actiones. Ergo cum nonnulli utilitatem pro fundamento aut norma totius Politices laudant, non poſſumus aliam utilitatem admittere, quam quæ certo jure nitatur. Porto ad exprimendam actionum politicarum difficulta-

tem, & ſuſtinendam dignitatem, commoda oratione opus eſt, quam Eloquentia præſtat.

Dicemus (1) de Politica, quatenus à cognitione Juris & Eloquentia diſtinguitur.

Politices ergo diſcendæ, totiusque Philoſophiæ Practicæ, quam vocant duæ ſunt rationes: præcepta & exempla. Quænam ex his ratio ſit expeditior, efficacior, alibi diſquiſitum eſt. Nunc breviter notamus: præcepta nihil aliud eſſe, quam memoriales libellos, & deſignationem locorum, ad quos materiæ referantur; exempla autem, vivam ſpirantemque rerum ipſarum imaginem exhibere. Scilicet quantum ſceleton differt à corpore, tantum præcepta abeunt ab Hiſtoria.

Præcepta Politices vel è veteribus, vel è junioribus ſumi ſolent.

E veteribus *Ariſtotelis Politica & Ethica* ſuperſunt, opera aurea, quibus in hoc genere nihil extat elaboratius. *Politicorum Interpres commodiſſimus eſt Piccartus*, cum quo *Danielis Heinſii Paraphraſis* utiliter conjugetur. *In Ethica Antiquus Paraphraſtes ab Heinſio editus* ſupereſt: è recentioribus *Camerarii erudita commentatio* eſt, ne de aliis nunc dicamus.

De *Platone* eò breviores hic eſſe nos oportet, quo minus plerorumque ſtudiis præceptio ejus accommodata eſt. Nam illud diffuſum diſputandi genus magnos profectus requirit.

Qui poſt literas renatas Politica ſcripſerunt, plurimi ſunt; ſed ex ingenti multitudine pauci nobis erunt nominandi.

Diſtinguemus autem eos, quatenus alii per compendia & libros ſuccinctiores doctrinam civilem complexi ſunt: alii amplioribus Commentariis eandem expoſuerunt.

Ex priori genere *Arniſæi compendium*, itemque *Keckermanni & Timpleri* videntur diſcentibus commodè inſervire; præſertim autem *Lipſii Politica*, quæ præcepta ſic tradit, ut iter muniat ad exempla: de cujus operis præſtantia & uſu integra diſſertatione egimus. In Ethicis (nam ea ſemper huc referimus) multas ob cauſas neminem *Hornejo* prætulerim.

In poſteriori genere, ſcilicet eorum, qui diffusè commen-

mentati ſunt de Politicis, ſunt *Bodinus*, *Tholoſanus*, *Arniſæi Relectiones Politicæ*, *Conzenius*. Inter quos *Tholoſanus* inſtar theſauri & locorum communium commodiſſimè deligetur. *Arniſæi Relectiones Politicæ* ad uſum diſputandi cumprimis aptæ ſunt. *Bodinus* autem, vix utiliter, niſi ab iis legetur, qui non intelligere tantum, ſed judicare res Politicas norunt. Si quis ſuperioribus velit *Andream Fricium* addere, rem non pœnitendæ operæ fecerit.

Per alteram Studii Politici viam exemplarem, non intelligimus hic locos quoſdam communes Politicos exemplorum, ſed præcipuè contextum & totam Hiſtoriam. Quanquam communes illi loci ſuum quoque uſum habent: ſicut e. g. apud Veteres *Valerius Maximus* & *Frontinus* collectis locis communibus exemplorum non inutilem Studioſis Politices operam navarunt: inter recentiores præcellunt *Lipſii exempla & monita*; itemque *Sabellici exempla*. Sed præcipuus labor verſari debet in contexta Hiſtoria, quæ civilis prudentiæ veriſſima eſt palæſtra. Atque hic præſcire oportet, quid ſit Hiſtoria, quæ hiſtoriæ ſcribendæ rationes arteſque, quæ Scriptorum diſcrimina, cum ſimilibus accuratè pertractatis in *Gerhardi Johannis Voſſii arte Hiſtorica*.

Hiſtoriæ Studium partim occupabitur in cognoſcenda Univerſali Hiſtoria, partim in Particulari.

Univerſalis Hiſtoriæ compendia multa extant; è quibus tamen *Chronicon Philippi Melanchthonis*, *quod vulgo Carionis* vocant, optimum. Commendant hodie etiam *Johannis Cluveri Hiſtoriam Univerſalem*, itemque *Micrelii*, *Paræi*, aliorum: de quibus ſuum cuique eſto judicium. Nos Philippi Chronico omnino *Sleidani de quatuor Monarchiis libellum* velimus adjungi. Eſt & *Zonaræ* è Claſſicis Scriptoribus Hiſtoria Univerſalis valde commoda diſcentium profectui. Interim certum eſt, nullum omnino in hunc diem prodiiſſe compendium Hiſtoriæ Univerſalis ſecundum omnes partes perfectum, aut ſatis elaboratum.

In Hiſtoria Particulari, qui potiſſimum ſint legendi Studioſo Politices partim diſquiſivit *Lipſius in notis ad* 1, 9. *Pol.*

partim alii prolixè tractarunt. Agemus de hac re alia occaſione; ne ab inſtituto longius digrediamur.

Subſidiariæ diſciplinæ, quæ Hiſtorico Studio inſerviunt, ſunt duæ, Chronologia & Geographia.

In Chronologicis omnino laudari meretur induſtria *Seti Calviſii*: Etiam *Hieronymus Vecchiettus* immenſo pæne labore ſingulorum annorum dierumque rationem deſcripſit. Interim compendii loco fortaſſis utiliſſimus erit diſcentibus liber *Dionyſii Petavii*, cui titulum fecit, *Rationarium Temporum*. Nam ſubtiliſſimæ *Scaligeri* diſputationes *de Emendatione Temporum*, itemque *Petavii* majus opus *de Doctrina Temporum*, eruditis potius inſerviunt.

In Geographiam opportunè viam præivit *introductio Philippi Cluverii*, cui utiliter aliquis adjungeret *Wilhelmum Bleau de uſu globorum cœleſtium & terreſtrium*. Cætera tabulis Geographicis expediuntur, quarum aliquæ regiones antiqua forma & nominibus deſcribunt; aliquæ hodiernam faciem repræſentant: è priore genere excellit *Ortelius in conatibus Geographicis*; in poſteriori genere varii hactenus Scriptores aliquid operæ poſuerunt, qui in obvia notitia verſantur.

Non opus eſt, ut de Genealogicis ſeorſim dicamus, cum Genealogiæ Hiſtoriæ partem faciant. In tranſcurſu tamen commendamus *opus Genealogicum Henninges*, itemque *ſtemmata Principum Albizii* Argentorati excuſa.

Sufficiant hoc quidem loco, quæ de Hiſtoria diximus. Supereſt, ut de cognitione juris, & Eloquentia breviter ſubjungamus.

Cognitionem Juris cum Paſchalius inter requiſita Politici nominavit, non intelligit tantum Jus Civile Romanum, ſed vel maximè Jus illud Publicum, & commune Naturæ & Gentium, quod jam olim *Cicero* inter artes Senatorias, ſeu verè politicas retulit: cum in Jure Belli & Pacis verſatum eſſe debere Politicum oſtendit. Huic Juri ſi quis Juris privati cognitionem addere poteſt, is utique magnum operæ pretium faciet.

Jus illud *Belli ac Pacis* veluti in formam artis redegit *Hugo Grotius*,

Grotius, in opere illo, quod vir Summus *Johannes Seldenus* incomparabile vocat.

Jus Romanum vel publicum, vel privatum eſt.

De Jure privato, non opus eſt hic verba facere, videantur JCti.

Juris Publici Scriptores noti ſunt. *Ottonis compendium* veluti introductionem præſtat. Ipſum Syſtema exhibent *Limnæi & Arumæi opera*, itemque *Reinkingij tractatus de regimine ſeculari & eccleſiaſtico.* Pertinent autem huc cætera quoque ad Formulas aut Acta Imperii ſpectantia, & præſertim *Receſſus Imperii*, *Goldaſti Politica Imperialia*, *Commentatores Aureæ Bullæ*, variæ controverſiæ, reſponſa, deciſiones de Statibus Imperii, eorumque Jure, itemque hiſtoria actorum publicorum.

Ex tribus, quæ ſupra ſunt poſita, ſupereſt tertium, Eloquentia.

Studium Eloquentiæ conſtat primum rectitudine linguæ, quod Grammatici opus eſt; deinde elegantia & ubertate. Non autem hic multa dicemus de ratione comparandæ Eloquentiæ; quippe cum illud argumentum alibi tractaverimus.

Commendamus potius hic Studioſis Politices illud dictionis genus, quod verè politicum eſt. Quippe ſtylus civilis & politicus, electis quidem verbis conſtare debet, & facili expeditoque contextu, magnaque perſpicuitate: ab oratoris autem cultu, & crebrioribus lenociniis abſtinebit. Qualis ſtyli exemplum dedit *Julius Cæſar*, cujus imitator Auguſtus fuit. Adjungantur *Corn. Nepos*, *Suetonii & Ciceronis ſcripta faciliora*; *Curtius* præſertim temperamentum Styli Politici cum quodam felici ornatu explicat: ſicut nec cæteri hiſtorici, qui puriori ævo ſcripſerunt, abeunt à dignitate Styli politici. Quinimò ex Hiſtoricis potiſſimum peti debet dictio Politica. Poteſt tamen, qui jam profecit in Stylo, ex omni genere Scriptorum, ex Oratoribus & Poëtis etiam, ad æqualitatem Styli Politici cum judicio quædam traducere.

Si quem peculiaris naturæ propenſio ad brevitatem Styli ducit (in quo tamen nemo ſibi blandiri debet) exemplum terſæ & politicæ brevitatis *Plinii epiſtolæ* ſuppeditabunt.

Comparabitur autem maximè facultas ſcribendi, ſæpe

ſcribendo. Quippe cum eloquentiam inter officia viri Politici numeramus, intelligimus promptam & expeditam res Politicas facilè & propriè explicandi facultatem, quæ ſine aſſiduo ſtudio & exercitatione, nemini poteſt contingere.

CAPUT TERTIUM.

De Officiis Prudentiæ.

QUid ſit Prudentia, non diſputabimus hic prolixè; notæ ſunt definitiones, vel *Ariſtotelis*, qui *in toto l. 6. Eth.* de prudentia agit: vel *Lipſii* qui *lib. 1. Polit.* itidem ad uſum vitæ civilis deſcribit prudentiam.

Potius eſt, ut de ipſis Prudentiæ Officiis dicamus. Ut tamen ordo aliquis obſervetur, ſciendum eſt, ab Ariſtotele dividi prudentiam in legislatoriam, judicialem, & deliberativam. Intellige prudentiam publicam; nam de privata in œconomicis agi ſolet.

Hunc ergo ſequentes ordinem, dicemus primum aliquid de Prudentia Legislatoria, quæ præſertim non adeò frequenter tractatur aut explicatur.

Quoniam autem Legislatoria Prudentia ad officium imperantium pertinet (quippe leges ferre eſt ex iis quæ jura imperii aut majeſtatis vocantur) noſcendum primo generaliter eſt, quanam re officium Legislatoris contineatur.

Præſupponimus hic deſcriptiones Legis & varia diſcrimina, cum hic intelligantur communiter omnia præſcipta & præcepta imperantium, ad continendam civilem ſocietatem inſtituta. Unde etiam æſtimatio legum, tum à forma, tum à fine fieri ſolet. Sed à forma potiſſimum.

Verſatur ergo officium Legislatoris in eo, ut ferat leges, quibus Reſp. contineatur, rectæ rationi & honeſtati quam maximè conſentaneas, itemque ſtatui civitatis tum generaliter, tum ſpecialiter accommodatas.

Nam in eo præſertim vis legis conſiſtit, ut rectæ rationi ſive divinæ legi, quatenus hominum mentibus inſcripta eſt, quam maximè congruat. Itaque ſi de Chriſtianis loquimur, brevis eſt regula, qua officium legislatoris continetur: nempe ut ferat leges, quæ præceptis Decalogi maximè conveniunt & conſonant. Juſtitia ergo, & ratio, & honeſtas, quaſi anima legis ſunt. Quod etiam *Plato* luculenter declaravit. Di-

Diximus autem leges civitati quoque accommodatas eſſe debere, tum generaliter, e. g. quoad ingenium hominum. Unde non immeritò Draconis leges à veteribus reprehenſæ, tanquam quæ ſupra humani ingenii modum captumque rigidæ eſſent: tum ſpecialiter, reſpectu formæ regiminis & temporum. Aliæ enim leges feruntur in Monarchia, aliæ in Ariſtocratia & Democratia: itemque alia lex huic tempori eſt accommodata, alia alteri.

Exercetur officium Legislatoris vel in conſtituendo Statu Reip. vel in conſtituto.

In conſtituendo Statu plerumque tota formatio & ordinatio Reip. nomine Legislatoris continetur. Sic Lycurgus Spartanorum Legislator; Solon Athenienſium laudantur, quorum uterque Statum Reip. de integro condidit.

In conſtituto Statu plerumque non tam opus eſt, ut leges novæ ferantur, quam ut ſemel latæ cuſtodiantur. Interim tamen, quia conditio temporum, & eventus rerum interdum novas conſtitutiones legesque poſtulant, non plane poteſt ceſſare officium Legislatoris; ſicut exempla omnium temporum teſtantur. Hinc *Suetonius*, aliique Scriptores Principum diligenter referunt leges ab hoc aut illo Principe latas.

Sed & emendatio legum, aut renovatio huc pertinet; itemque cum ſupplentur leges novis capitibus, prout Reip. utilitas poſtulaverit.

Atque hic magna ſæpe difficultas objicitur, præſertim cum quæritur, an & quatenus à recta ratione, & directa juſti norma in ferendis legibus liceat recedere, & temporis utilitatisque cauſa, aliquid liberius conſtituere? Monſtrat enim experientia, multos Principum paulo liberius hic ſibi indulſiſſe. Suntque notæ multorum querelæ, quod etiam in ipſo Juris Civilis Romani Corpore extent aliquæ leges & Conſtitutiones, Juſtitiæ parum conſentaneæ. Unde excogitatum eſt à nonnullis Jus χρειώδης, quaſi dicas jus utile, vel jus utilitatis. Cujus fundamenta forte non tam facile reperias, ſi paulo laxius, ut fieri conſuevit, accipiatur. Illud ſane non poteſt negari, utilitatem Reip. ſubire interdum rationem juſti, ſed nimirum ſi ſubſit adhuc bona ratio honeſtatis jurisque. E. g. ſi

E. g. ſi delictum aliquod increſcit, poteſt utilitatis publicæ cauſa lex ferri ſupra & præter ordinariam Juris regulam. Sicut fortaſſe Arcadius & Honorius Imperatores in animo habuerunt, cum inſidias viris illuſtribus aut Conſiſtorianis ſtructas plectendas decrevere, cum revera crimen majeſtatis non eſſent. Idem obtinere putandum eſt, cum periculum aut dedecus à majeſtate imperantium paulo diſtrictius avertendum eſt; ſive cum curandum eſt, ut Reip. & imperantibus ſua conſtet majeſtas & ſecuritas. Sic Auguſtus famoſos libellos adverſus viros illuſtres crimine majeſtatis complexus eſt, cum revera ad hoc genus criminum non pertinerent. Unde præſertim circa legem majeſtatis, maxima obſervatur libertas in augendis, ſupplendis, interpretandis capitibus ejus legis. E. g. Eliſabetha Angliæ Regina condidit legem majeſtatis, quæ non tam prioribus ejus argumenti legibus in Anglia, quam neceſſitati temporum conveniret.

Denique adeò augetur plerumque licentia Legislatoris circa cauſas majeſtatis, ut vix aliud ſæpe attendatur, quam utilitas aulæ & Principum. Quo fit, ut multa in eo genere peccentur, dum utilitatem principum alij ex rectæ rationis moderamine, & graviter; alij ex adulandi libidine, ambitione, aliisque affectibus, infinita laxitate interpretantur.

Cæterum ut hæc tota materia probè intelligatur, præſertim regula omnis Legislationis, id eſt, Lex divina diligenter conſiderari debet, in cujus juſtitia demonſtranda, multi viri docti egregiè laborarunt. Inter quos eſt etiam *Euſebius in præparatione Evangelica*; & *Philo* aliquot opuſculis.

Profuerit etiam exempla nobiliorum Legislationum, ipſasque leges, de quibus docti viri aliquid diſputarunt aut explicarunt, notare. Quam ad rem etiam aliquid conferre poteſt *Antonius Auguſtinus in prioribus Capitibus de Legibus & Senatus Conſultis.*

In Hiſtoria præſertim curioſè obſervandum eſt, quid in legibus ferendis, emendandis, retractandis, ſupplendis laudetur, vituperetúrve. Eſt enim hic proprius fructus hiſtoriæ, ut legum vel conſtitutiones, vel adminiſtrationes annotentur.

Non poſſumus, quin nominatim comendemus diligentiam

Fran-

Franciſci Baconi de Verulamio, qui in hiſtoria Henrici VII. Angliæ Regis, non tantum leges ab illo Rege latas narrat, ſed rationes earum rerum politicas ex intimis regni arcanis annotat. Quæ obſervatio plurimum profuerit ad legis & legislationis naturam intelligendam.

De Prudentia Judiciaria.

NOn errat, qui totum Judicis officium ad prudentiam refert, quia quæcunque aliis nominibus in Judice commendantur, prudentiam requirunt moderatricem ac magiſtram.

Complexus eſt Judicis officium Doctiſſimus *Philo in libro de Judice*, in hanc ſententiam: *Is qui ad judicandum adſcendit tribunal, non minus ſe judicari, quam judicare alios cogitet, & una cum poteſtate aſſumat prudentiam, ne decipiatur; Juſtitiam, ut ſuum cuique tribuat; fortitudinem, ne flectatur precibus aut miſericordia, quo minus animadvertat in convictos ſceleris.* Quæ præcepta latius ibi explicantur. Extat etiam *Puteani* eruditus libellus *de Officio Judicis.*

Scriptores politi & elegantes è veteribus, duobus ferme præceptis generalibus officium Judicis includunt: Juſtitia ſive ſeveritate, & clementia ſive lenitate; cujus utriusque mixtura Judici eximiam laudem conciliat. Sub ſeveritate autem comprehendunt e. g. obſervantiam legum, diligentiam in cognoſcendo, exaggerationem pœnarum, ſi res poſtulet, cum ſimilibus. Lenitas autem comprehendit patientiam in audiendo, æquitatem in temperando rigore legum, circumſpectionem in tempeſtiva clementia captanda &c. E. g. aſſumemus quædam loca *Suetonii*, quo nemo accuratius officia civilia brevibus verbis, tanquam notis ſignare ſolet. De *Julio Caſare dicit c.* 43. *Jus laborioſiſſimè ac ſeveriſſimè dixit.* & *cap. præcedenti: pœnas facinorum auxit.* Item *c.* 75. *inhibere quædam maluit, quam vindicare* &c. De *Auguſto c.* 33. *ipſe jus dixit aſſiduè, non diligentia modo ſumma, ſed & lenitate.* Addantur etiam exempla præcedentis capitis de rebus circa judicia præclarè ordinatis. De *Tiberio c.* 33. *Si quem reorum elabi gratia rumor eſſet, ſubi-*

tus aderat; *judiceſque aut è plano, aut è quæſitoris tribunali, legum & religionis, & noxæ, de qua cognoſcerent, admonebat.* De Claudio *c.* 14. *&* 15. memoratur, quod *non ſemper præſcripta legum ſecutus, duritiam lenitatemve multarum, ex bono & æquo, moderatus ſit.* Sunt etiam videri digna, quæ de jurisdictione *Neronis c.* 15. habentur. Priusquam de Veſpaſiano dicamus, ſeorſim facienda eſt mentio ejus virtutis, quæ præſertim ſummo Judici inter præcipua tam ſancti officii decora commendari debet, ut nimirum tabem fori minuat, id eſt, lites nec creſcere nimis, nec trahi diu patiatur. Quanta induſtria *Veſpaſianus* in ea re uſus ſit, commendavit *Suetonius toto c.* 10. *vitæ.* Et præiverat viam *Auguſtus, de quo Suetonius c.* 32. *diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit:* & quæ ſequuntur. Poteſt addi hac de re *Lipſ.* 2. *Pol.* 11. & *Barclajus l.* 3. *Argen.* ubi notabile conſilium de litibus minuendis ac celeriter expediendis ſuppeditat. Legantur etiam, quæ *Salluſt.* 2. *de Rep. ordinanda* ſuadet circa compoſitionem judiciorum, ubi etiam ea, quæ de Senatoribus tráduntur, huc accommodari poſſunt.

Iterum autem præcipuè commendanda eſt hiſtoria, & in ea deſcriptiones judiciorum apud pleraſque gentes celebriores. In Græcia celeberrimum fuit judicium Areopagiticum, *de quo, libello ſingulari egit Johannes Meurſius*: Apud Romanos res judiciorum multa diligentia ordinabatur; quamquam pro diverſitate temporum ſuas paſſa eſt vices. Quantum ad *hiſtoriam attinet fori Romani*, tradidit eam *Polletus*: cum quo conjungi poſſunt, quæ traduntur à *Briſſonio in formulis ſolennibus.*

Cumprimis autem quisque ſuæ Patriæ forum, & conſtitutiones, moresque circa rem forenſem condiſcere debet. Quod ſi peculiariter & ſpecialiter lubebit inſpicere prudentiam Judicantium, præſto erunt Deciſiones, Placita, Sententiæ præcipuarum Curiarum & Parlamentorum in cauſis gravioribus: qualia opera magno ſtudio frequentiaque eduntur; ſed ad pleraque cognoſcenda opus eſt peritia Juris. (Vide *Langlæi Semeſtria.*)

Eſt hujus loci illa quæſtio: an Judex ſententiam debeat pro-

pronunciare, ex actis & probatis, ut loquuntur, ſive ſecundum conſcientiam? De qua videri merentur, quæ *Hornejus in Ethicis* ſcripſit. Illud unum ſuffecerit adjeciſſe, quod omnino Judici interdum magnis de cauſis ab externa illa fori formula recedere liceat, ſi præſertim de ſummo Judice loquimur, cujus & majeſtas & prudentia exceptionem ab regula fori facile invenit.

Etiam de Advocatorum & Accuſatorum officio hic dicendum eſſet; niſi memores inſtituti talia indicare mallemus, quam perſequi. Ac de Accuſatorum quidem officio & ſcopo, breviter tenere oportet: utiles quidem eſſe in Rep. accuſatores, & pertinere quodammodo ad officia viri boni, accuſare flagitia; Unde nobiliſſimus quisque Romanorum olim per hæc rudimenta civilis actus tyrocinium ponebat, ſicut ex hiſtoria Romana notiſſimum eſt. Sed nimirum ſcopus accuſationis, tum ex parte accuſantis, tum ex parte Magiſtratus accuſationem admittentis, non alius debet eſſe, quam cura & amor juſtitiæ, cui ſuum decus conſtare non poteſt, niſi ſceleribus digna merces rependatur. Sed ex accuſatoribus & accuſatione, non debent delatores & delationes fieri. Nam ille exceſſus partim corruptæ Reip. indicium eſt, partim inſtrumentum Tyrannidis. De priore illo genere egregiè philoſophatur *Cicero in orat. pro Sexto Roſcio.* Reperiunturque, proh dolor! hodie quamplurimi, qui ſub ſpecioſo Juris vocabulo accuſationes in foro factitant, non tam cura & amore Juſtitiæ, quam lucri. De poſteriori genere exquiſitè egit *Tacitus in toto Principatu Tiberiano*, ubi plurimis exemplis oſtendit, quomodo tyranni delationibus ad exercendam tyrannidem uti ſoleant, non permittendo tantum, ſed illiciendo, ſubmittendo, remunerando. Pertinet huc cum emphaſi vox bona, quamvis mali Principis apud *Suetonium in Domitiano c. 9. princeps qui delatores non caſtigat, irritat.* Itemque exemplum Titi Imperatoris, qui delatores, & delationum ſubſidia magna ſeveritate & prudentia è Rep. exterminavit, in *Suetonio Tit. vit. c.* 8. Addatur ſimilis Trajani commendatio, apud *Plinium in Paneg. c. 34. 35. & 36.*

Patronorum ſive Advocationis officium nobile ſanè, & utile eſt in Rep. ſed inter hos limites concluſum: (1) ut inquirendæ veritati, non tuendæ iniquitati deſtinetur. Itaque magnopere coërceri debent, qui malarum cauſarum patrocinia, ultrò & ſcientes ſuſcipiunt. (2) ſi negligentia abſit in meritis cauſæ inveſtigandis. Nimis enim multi ſunt, qui per generalia paginas impleſſe contenti, ſubterfugiunt laborem penitiora cauſæ cubilia perſcrutandi. (3) ſi procraſtinationes & moræ ſequeſtrentur: dum permultis præcipua ars eſt, ex diſpendio temporis alieni, ſui marſupii compendium quærere. (4) ſi omnes ſupervacuæ, parumque neceſſariæ ſubtilitates, quibus jus implicatur magis, quam explicatur, prætermittantur, viaque ad conſequendum jus civile, directa & compendioſa ineatur. Nam qui his omnibus contraria facit, & rem ſanctiſſimam Jurisprudentiam pretio numario aut calliditate diſputandi litigandique æſtimat, is veri Advocati & Patroni nomen tueri nequit. Videantur omnino, quæ de Advocatione diſputantur in elegantiſſimo *Dialogo de cauſis corruptæ eloquentiæ*, *operibus Taciti ſubnexo*.

Sunt autem hæc eo ſtudioſius notanda, quoniam in hoc toto genere facillime, & ſæpe ſub opinione laudis peccatur, adeò, ut ne Ciceronem quidem celeberrimum illum Patronum usquequaque excuſare audeamus, quin interdum prædictos patrocinii limites ſit transgreſſus.

De cætero, hæc ipſa res materiæ de Judiciis & Judicibus ita eſt innexa, ut pleraque ſupra laudata etiam huc pertineant. In fine nominatim commendamus *Ammiani Marcellini hiſtoriam*, quæ multis magnisque exemplis vitia forenſia, tum quoad Judices, tum quoad accuſatores & Patronos, demonſtrat.

De Prudentia Deliberativa.

EST hæc pars Prudentiæ omnium ampliſſima, & quæ cæteras quoque partes, de quibus hactenus diximus, moderatur. Nos, ut argumenti copiæ, & brevitati noſtræ annotationis, ſerviamus, partitim ſingula proponemus.

Forte autem commodiſſimè more Philoſophorum per quatuor cauſarum genera rem totam partiemur : ut (1) agamus de Perſonis deliberantibus, ipſaque facultate deliberandi ; (2) de materia conſultationum ; (3) de forma, & modis conſultationum ; (4) de fine omnis deliberationis.

PARS PRIMA.

De Perſonis Conſultantibus, ipſaque conſultandi facultate.

CUm omnes homines conſultent de rebus ſuis, ad omnes quoque Prudentiam Deliberativam pertinere, conſentaneum eſt. Sed cum in publicis magis cernatur hæc prudentia, quam in privatis (totuplex enim eſt materia deliberationum, ſicut infra dicetur) de iis qui publica conſultant, ita agemus, ut facilis fieri applicatio poſſit ad quasvis conſultationes.

In Rep. deliberant vel Princeps, vel qui Principis loco ſunt ; ut in Ariſtocratia Optimates, in Democratia Populus : vel Conſiliarii, qui ſummam poteſtatem habentibus præſto ſunt.

Inter Principis officia poſt pietatem nullum eſt auguſtius, quam illa prudentia conſultatrix, quæ hoc præſtare Principi debet, ne quid temere, aut imprudenter faciat.

Quippe cum Principi ſummum rerum judicium DEUS dederit (ſicut rectè dicitur apud *Tacitum 6. A. 8.*) conſilia ejus quaſi pro oraculis habentur, & interdum vicem legis ac præcepti ſuſtinent.

Itaque prima hujus officii regula eſt, ut nihil ſine conſilio agat Princeps ; altera, ut conſilio ſuo adjiciat etiam aliorum conſilia.

Et in Monarchia quidem prudentia Principis vel eſt Heroica & plane ſingularis ; qualis e. g. in Salomone Hebræo, in Alexandro Græco, in Auguſto Romano fuit : quibus Deus

certos ob fines (ſalva diſpenſationis diverſitate: quoad religionem) ſummam & incomparabilem vim conſilij ac prudentiæ largitus eſt: Vel eſt Heroica inferior, præſtans tamen & eximia; qualis in Veſpaſiano, in Trajano, aliisque præclaris Principibus fuit: Vel eſt tenuis & exigua propter ingenij imbecillitatem aut vitia educationis; ſicut frequenter uſuvenire ſolet in regnis, quæ ſucceſſione propagantur.

Heroica illa Prudentia deſcriptiones artis & præcepta ſuperat; & admiratione facilius, quam explicatione commendatur. Nunquam tamen debet Principi occaſio & cauſa eſſe ſpernendi alieni conſilii. Unde videmus, laudatos antea Principes, quanquam inter Conſiliarios neminem haberent, cujus prudentiam ipſi non ſuperarent, tamen bonorum virorum conſilia auſcultaſſe. Niſi quod haud dubiè Heroica ejusmodi prudentia ſæpe ſingulari quodam & arcano inſtinctu ſui arbitrij, & ſe ipſa contenta eſt, in magnis aut ſubitis conſiliis capiendis.

Mediæ ſortis Principes, id eſt, præſtanti quidem prudentia præditi, ſed non Heroica tamen, utiliter & jucundè adhibent Conſiliarios, partim ut ſuam prudentiam comparatione tali exerceant, partim ut diligentia conſultandi aliorum quoque in conſiliis capiendis induſtriam acuant.

Tertium genus Principum, qui conſilio non valent, coguntur quodammodo Conſiliariorum prudentiam in ſubſidium vocare. Sed præcipiendum hoc iis videtur, ne projecta omni cura imperii, quaſi in arbitrium conſiliariorum omnia reſignent, ſed agant, quod poſſunt, & aliorum ſapientia ſtudeant ſapientiores fieri.

In liberis Rerump. formis, quia plures conſultant, prudentia deliberandi quodammodo facilius expediri videtur; cum, quod uni aut alteri deeſt, reliquorum prudentia ſupplere poſſit. Sed quia etiam hic, in Ariſtocratia quidem æmulatio & factiones; in Democratia autem multitudinis & majoris numeri impetus affectusque haud rarò melioribus conſiliis obſtare ſolent: igitur rurſum Conſiliariorum opera requiritur & commendatur.

Quo-

Quoniam ergo vidimus, in omni Statu Conſiliarios quoſdam requiri, qui Imperantium prudentiam in conſilio de Rep. capiendo juvent: nunc ſub hoc titulo amplius quædam in officio perſonarum conſultantium annotanda ſunt; nimirum quantum ad hanc primam partem pertinet. Nam multa de officio Conſiliarii reſervanda ſunt formæ Conſultationis, de qua infra.

Conſiliarii, Conſiliatores, Conſultores generaliter à conſilio ita vocantur; & reſpectu magiſtratuum jus dicentium, ex antiquo more aſſeſſores: itemque honoris gratia amici Principum appellantur. Nonnunquam adjutores dici reperias. Sub poſterioribus Romanis Imperatoribus Conſiſtoriani, à Conſiſtorio Principis, ſive quod circa Principem conſiſterent in conſilio, vocabantur. Interdum ſecretorum arbitri, curarum Principalium participes, arcanorum regni participes, idem notant.

De horum dotibus, atque officiis toti extant libri e. g. *Hippoliti de Collibus*; *Ceriolani Magni*, qui libelli Argentorati junctim editi habentur. Sed penitiora hujus argumenti rectè aliquis petiverit ex tractatu *Kirchneri de Cancellario*, & ejusdem *Kirchneri*, *Caroli* item *Paſchalii*, *Alberici Gentilis*, *Friderici Marſelaër* operibus *de Legato*, *& Legationibus*. Nam & in Cancellario (qui plerumque inter Conſiliarios præcipuus habetur) & in legato omnes virtutes Conſiliarii debent concurrere. Addatur *Lipſius* 3. *Pol.* ubi pleraque de Conſiliariis complexus eſt.

Nos compendio verba facturi, primum in Conſiliario ſpectamus, naturalem illam ſolertiam, & σύνεσιν πολιτικὴν, civilem intelligentiam, quæ rectè de rebus cogitat, judicat, diſquirit. Nam qui obtuſa ſunt mentis acie, in abdita prudentiæ myſteria non penetrant; neque actionum & rerum agendarum naturam, quæ variis ſæpe involucris obtenditur, liquida æſtimatione penſitant. Neceſſe enim eſt, ut hic fiat, quod nonnemo Græcorum dicit; ut prudentia ſit ὄμμα τῆς ψυχῆς, oculus animæ. (2) requirimus cum Ariſtotele, qui ſubtiliter id notavit, τὴν εὐϐουλίαν, ſive dexteritatem illam repe-

riendi

riendi conſilii, quæ recto judicio & illa ſolertia, quam modo deſcripſimus, adjuta, proſpere rebus ipſis conſilia attemperat & accommodat. Docet enim ipſa experientia, aliquos valere ſolertia cogitandi, cernendi, reperiendi etiam profunda & abdita, quorum tamen conſilia rebus ipſis plerumque non congruunt. Nimirum hic opus eſt ingenio verè practico, cujus peculiaris character eſt illa εὐϐουλία, conſultandi dexteritas felicitasque. Utraque hæc dos ſe explicat in tertia dote; quæ licet non aliunde conſtituatur, diſtinctionis tamen & conſiderationis ergo vocetur à nobis Judicium practicum, ſive politicum. Cujus hæc eſt vis, ut, quod *Corn. Nepos & Thucydides in Themiſtocle* laudant, veriſſimè aliquis poſſit judicare de præſentibus. Addidiſſem pæne etiam de futuris; niſi judicium de futuris eatenus fieret, quatenus quodammodo præſentia ponuntur. Quantæ autem molis ſit, rectè judicare de præſentibus, declaravimus olim uberius in *Commentario Nepotis*. Nunc uno aut altero exemplo illuſtrabimus. Cum bellum ortum eſſet inter Julium Cæſarem & Pompejum, ſub initium ſtatim Pompejum gravis tenuit conſultatio, an ſedem belli in Italia, ipſaque urbe, an vero extra Italiam in Macedonia aut alibi deberet conſtituere. Hic quidem Pompejus, ut in ſubitis fieri ſolet, ne futura quidem rectè providit; ſed præſertim impegit in judicio de præſentibus: non æſtimata ſcilicet opportunitate & façilitate rerum præſentium, & ante oculos poſitarum; quem errorem Pompeji *Plutarchus*, & ex eo *Appianus* notant. Minus mirandum eſt, quod poſtea prœlio Pharſalico fuſus iterum malè judicavit de præſentibus, parumque æſtimavit vires prope aut procul ſitas, quibus bellum reſurgeret. Quarta dos Conſiliarii eſt Providentia, ſive divinatio, & ſolers conjectatio futuri: qua ea, quæ accidere poſſunt & ſolent, ita proſpicit, ut conſilii ſui rationes inde moderetur. Hoc eſt apud *Nepotem, callidiſſimè conjicere de futuris.* Quamvis enim de futuro nemo ſatis callidus ſatisque prudens eſt, multa tamen humana induſtria poſſunt provideri, ne toties dicendum ſit, non putaram. Commendat hanc providentiam facundè *Ambroſius in Officiis* 1, 38. Et *Seneca epiſt.* 5. *maximum bonum conditionis humanæ* vocat.

Hæ

Hæ ſunt dotes, quæ propriè Conſiliarii prudentiam conſtituunt: Sunt tamen & alia, quibus plurimum inſtruitur perficiturque; qualia vel à Studiis, vel ab Experientia accedunt.

De Studiis hominis Politici ſupra diximus, hic ea tantum quæruntur, quæ proximè prudentiam deliberandi attingunt. Poſt præſuppoſitam ergo ſcientiam juſti injuſtique, quatenus ea ex ſacris literis & ſana ratione petitur, hiſtoria Conſiliario propria ac pæne unica magiſtra eſt, in qua poſſit & reſpicere ad præterita, & ex præteritis præſentia ordinare, futura proſpicere. Id quod prolixe demonſtrari poſſet, niſi ſupervacuum eſſet, rem omnium pragmaticorum teſtimonio confirmatam, argumentis inſuper declarare. Legatur vel unius *Cominæi* digreſſio, quam *L.* 2. de uſu hiſtoriæ in capiendis conſiliis inſtituit.

Experientiam adfert quodammodo tum ipſa hiſtoria, quæ interdum ex lectoribus ſpectatores & arbitros facit; tum peregrinatio, ſi diligens percunctatio & obſervatio accedat. Sed tanta eſt negotiorum civilium profunditas, varietas, perplexitas, ut cum omnia tractaveris diligentiſſimè, non poſſis tamen ſemper definire aut perſpicere, quid optimum factu ſit: imo maxima quæque conſilia humanis ingeniis aliqua ſui parte ſupervehuntur. Itaque aſſumendum eſt deliberantibus aliud ſubſidium, quod primo loco ponere debebamus, niſi explicationi ſerviremus, in demonſtranda ex prioribus neceſſitate. Pietas nimirum eſt, qua conſulentes Deum propitiare queunt, ut judicium providentiamque illuſtret, conſiliaque Reipubl. proſperet, immittatque cogitationes publicè profuturas. Dictavit hoc etiam gentilibus ipſa ratio. Unde Tiberius apud *Tacitum 3. A. 56. in principio literarum ad Senatum, veneratur Deos, ut conſilia ſua Reip. proſperarent.* Quod & alias ſolenne exordium fuit.

PARS SECUNDA.

De Materia Prudentiæ deliberativæ.

DE Perſonis conſultantibus actum eſt: nunc de materia aliquid dicendum eſt, quam *Ariſtoteles* ponit quintuplicem, (1.) pecunias, (2.) pacem & bellum, (3.) regionum præſidia,

(4.) quæ importantur, & exportantur (5.) leges. De quibus generatim etiam tractant Scriptores Rhetoricorum, præſertim *Voſſius l.* 1. *Inſtitutionum Orator.* 4, 5. Pertinet huc ille *Taciti* locus 13. A. 49. ubi obtrectatores Thraſeæ ita arguunt, *cur, ſi Rempub. egere libertate Senatoria crederet, tam levia conſectaretur? quin de bello aut pace, de vectigalibus & legibus, quibusque aliis Romana continentur, ſuaderet, diſſuaderetve?*

Sunt equidem plura, de quibus conſultari poteſt; ſed hæc præcipua meritò habentur. De quibus ſingulis aliquid nobis eſt dicendum.

De Pecuniis primum. Pecuniarum nomine hic intelliguntur tum reditus civitatis, tum ſumptus ſive impenſæ. De his communis eſt deliberatio, ut tales ſumptus fiant, quales permittunt reditus: ſive ut ratio redituum ac ſumptuum conſtet. Seorſim de Reditibus multa ac magna conſultari ſolent. (2.) In conſervandis reditibus non minimus labor eſt, cum ea ſit rerum humanarum inconſtantia, ut ſemper aliquid ex reditibus minui, aut deficere poſſit. Unde inconſulta fuit & præceps Neronis conſultatio, cum omnia vectigalia voluit abolere, apud *Tacitum* 13. *A.* 50. quæ res haud dubiè diſſolutionem Imperii attuliſſet. Deinde in ipſa adminiſtratione redituum diligenter attendendum eſt, quinam reditus facilius præ cæteris proveniant, & quibus rebus potiſſimum imponi tributa atque onera debeant, quanta item imponi, & quo diſcrimine rerum hominumque; quibus item miniſtris, qua diſciplina exigi poſſint. (3.) Si publica utilitas poſtulet, augeri reditus, unde & quomodo augeri quam juſtiſſimè ac moderatiſſimè poſſint. Qua de re diligenter annotavit loca & exempla veterum, quibus inſtrui poteſt talis deliberatio, *Juſtus Lipſius* 4. *Pol.* 11. extantque toti Commentarii de hoc argumento, inter quos præcellunt *Secreta Politica Georgii Obrechti*, ex quibus ſuum opus inſtruxit *Hermannus Latherus*, qui *de Cenſu* ſcripſit. Sunt & Juris Conſultorum Commentarii, de dubiis & maximè controverſis hujus argumenti capitibus tractantes. In Tributis imponendis & judicandis, quænam ſit regula cenſendi & judicandi tenenda, annotavimus breviter per digreſſionem, in *Notis ad Herodianum pag.* 391. In materia

de

de Ærario (nam ea huc ſpectat) ſciendum eſt, bene conſulere eos, qui reditus eouſque augendos ſtatuunt, ut Reipubl. ſemper præſidium aliquod validum, & copioſum in promptu ſit: ne quotannis erogentur, quæ accepta ſunt, & ita Reſp. nullo robore opum adverſus fortuita munita ſit. Sed patitur hoc conſilium eam limitationem, ne ſubditi nimium graventur, & futuræ felicitatis deſiderio præſentis ſtatus quies corrumpatur. Pertinet ad hoc conſilium conſuetudo ærarii ſancti, quale apud Romanos fuit, in quo ſervabatur aurum viceſimarium ad ultimos caſus, annotante *Livio l.* 37. idem Athenis, & alibi obſervatum. Sumptus civitatis ſatis ſignanter à *Tacito* diſtinguuntur, in neceſſitates & largitiones. 1. *A.* 11. Alia enim impenduntur neceſſitatibus, e. g. in ædificia urbis neceſſaria, in officia neceſſaria, in cuſtodiam & præſidia Reipubl. quæque ſunt ejus generis alia. At nonnulli magnificentiæ lætitiæque ſerviunt, aut ex artibus indulgentiæ publicæ diſpenſantur; quo pertinebant olim Romanorum congiaria, donativa, ſpectacula, ludi, cum ſimilibus. Utraque res cum magnitudine Imperii, aut decrementis creſcit ac decreſcit, indeque conſilio opus eſt, ut & modus impenſarum & diſpenſandi artificium rebus temporibusque accommodentur. In hac tota materia conſultores duplices occurrunt: alteri cordati, æqui, moderati; alteri ſuperbi, avari, violenti: uno verbo, magiſtri rapacitatis, quos graphicè deſcribit in *Panegyr. Plinius c.* 41. ubi in antecedentibus, *à cap.* præſertim 36. plura huc pertinentia tractantur. Profuerit autem cumprimis ad inſtruenda talia conſilia, tum Principi deliberanti, tum Conſultoribus, rationaria Imperii quam diligentiſſimè confici & adminiſtrari, examinarique. Sed & hodie in hos uſus quæcunque extant rationaria de opibus, reditibus, ſumptibus variorum populorum cognoſcenda ſunt: ut promptum in talibus judicium reddatur, ſtatimque exempla, & loci hujus deliberationis ſuppetant.

Sequitur de Bello ac Pace. Cum de bello deliberatio ſuſcipitur, diligenter examinandæ & cognoſcendæ ſunt vires populi aut civitatis, ſive quid poſſit Reſp. in armis. Huc pertinet tum ingenium nationis; (gens enim gentem præcedit

 bello)

bello) tum pecunia, quæ haud fruſtra nervus belli dicitur; tum præſentis temporis Status; tum habitus animorum, alacritas, propoſitum civium, quæ itidem in parte virium meritò numerantur. In quo ipſo cenſu etiam juſtitiam cauſæ ponerem ſive jus belli; cum verè ſit à Poëta dictum; *frangit & attollit vires in milite cauſa*: niſi quæſtio juris ſua natura quæſtionem conſilii præcederet, adeoque etiam cum non dicitur, ſemper tamen ſubintelligeretur. Poſſumus huc trahere illud *Vegetii* ex regulis belli generalibus: *non facile vincitur, qui de ſuis viribus rectè novit judicare.* Nec de ſuis tantum, ſed etiam de adverſarii viribus; qua de re poſtea dicendum erit. Nunc enim pergamus exequi, quod primum eſt in hac deliberatione. Quippe ad intelligendas vires ſuas, facit etiam repetitio bellorum ante geſtorum, è quibus tanquam è domeſticis exemplis cognoſcatur, quæ virtus noſtræ gentis? quæ fortuna in armis fuerit? Unde toties apud bonos authores in orationibus & conſiliis de bello, reperiuntur adducta argumenti loco exempla bellorum ſuperioris temporis. Sunt enim, quod alibi monuimus, hæc domeſtica exempla in utramque partem valida, & taciti cujusdam augurii efficaciam habent in animis hominum. Inſpicienda ſunt etiam bella vicinorum noſtrorum & finitimorum; quorum res quo propiorem ad noſtra ſimilitudinem habent, eò facilius erudiunt cogitationes deliberantium. Quanquam ipſa etiam diſſimilitudo interdum conſilio viam aperiat. Quin imò tranſeundum eſt ad hoſtium arma, priusquam arma capiamus: accuratèque repetendum, quænam bella olim geſſerit hoſtis noſter, quo conſilio uſus fuerit, quo eventu. Ad quæ omnia perficienda, non dicam, quanta vis ſit hiſtoriæ, cum res ipſa ſe oculis ingerat. De cætero, quantum ad jus belli attinet, illud partim ex Sacris Literis, partim ex Jure communi Gentium rectiſſimè petitur. De viribus autem noſtris ut rectè judicemus, in promptu ſunt habendi commentarii & libri cenſuales, quibus virorum numerus, opes, facultas, armorum omnisque militaris apparatus copia perſcribantur; nam de reditibus antea dictum eſt. Conſideratis iis, quæ diximus, tertia de bello conſiderantium cogitatio continet

net ratiocinationem, an noſtræ vires hoſtilibus pares ſint futuræ? Ad quam ſcilicet inſtituendam, priora illa requiruntur. Debet autem præſertim abeſſe à populo nimia confidentia: qualis e.g. eſt in vulgo, cui ſemper placent ſuæ vires, antequam diſcrimen belli experitur: item in hominibus quibusdam nimis acutis aut animoſis, nam qui acutè ſpeculantur conſilia belli, interdum plus tribuunt ſuis ſpeculationibus, quam debeant, & facile ſibi imaginantur eſſe, quod eſt difficillimum; rationes inſuper multas excogitant, iisque excogitatis gaudent, licet poſtea in effectum deduci vix queant. At qui juſto animoſiores ſunt, illis omnia velut minora vidētur, quam ſunt, & omnia præſidia majora quam ſunt. Multum quoque eſt in tempore, e. g. an hoc tempore, quo forte hoſtiles copiæ bello ſunt induratæ, pares ſint noſtri milites è tyronibus lecti, aut diuturno otio deſides? Item in loco. Fit enim, ut noſter exercitus in ea regione, cujus cœlo aſſuetus eſt, multum valeat; in externo autem ſolo diverſi cœli conditione longè evadat inutilior, aut infirmior. Comparanda porro ſunt auxilia, ſocii, fœdera cum ſimilibus, quæ ſupra tetigimus. Una denique eaque certiſſima hujus comparationis regula eſt; ut in viribus hoſtium expendendis, ſemper credamus aliquid ultra eſſe, quam nobis videtur; in noſtris autem viribus aliquid minus ſumamus quam eſt, aut eſſe videtur: neque bellum ſuſcipiamus, ſi pares tantum videmur, ſed ſi probabilia argumenta noſtras vires hoſtilibus prævalituras oſtenderint. Quarto jubet Ariſtoteles generatim quævis bella externa aſpicere, ut ex eventu variorum bellorum capiamus conjecturam de noſtri belli eventu. Quod non ita communiter poſitum accipi debet, ſed præſertim ex cauſis bellorum ſpecialibus judicari; e.g. ſi bellum ſit gerendum ampliandi Imperii cauſa, debet conſiderari, quis fuerit exitus talium bellorum, quæ ob propagandos Imperii fines geſta ſunt. Si deliberatur, an bellum ſit ſumendum recuperandæ libertatis cauſa pridem amiſſæ, proponere mihi debeo ex omni hiſtoria illa bella, quæ pro recuperanda libertate geſta ſunt, quorum eventus magnopere conſultationem moderari poterit; & ſic in cæteris. Ad hoc genus deliberationum de bello, generaliter

ter notamus: (1.) favorabiliorem eſſe conſultationem, adeoque majoris animi conſiliique expeditioris, quando de propulſando bello, quam de inferendo agitur. Nam bella defenſiva, quæ vulgo vocant, plus tam apud homines quam Deum favoris & ſpei videntur habere: ſed offenſivorum bellorum ardua eſt, ideoque diu multumque agitanda deliberatio. (2.) etiam ubi juſtè aut cum bona ſpe ſuſcipi poteſt bellum, præferri tamen ſemper debere viam pacis & transactionum, quamvis oneroſarum. (3.) diligentiſſimè attendendum, an parta victoria majus ſit illud bonum, quod conſecuturi ſumus, quam malum, quod nos victos manebit. Quo pertinent ſalubria monita, quæ de non ſuſcipiendo etiam de juſtis cauſis bello tradidere *Hugo Grotius in fine ſui operis de Jure B. ac Pacis*; itemque *Lipſius in prioribus libri 5. capitibus*. Si quis debitam cæteris quoque talium materiarum locis induſtriam voluerit adhibere, ei non erit difficile, nobiliſſimarum de bello conſultationum hiſtoriam ita velut in locum communem colligere, ut (1.) deliberantium ſuadentiumque ingenia, propoſita, moresque obſervet: (2.) rationes & conſilia ipſa expendat conferatque: (3.) conſiliorum exitus probè conſideret.

Circa pacem deliberari ſolent (1.) tempus e. g. apud *Julium Cæſarem l. 1. de bell. civ.* de commodiſsimo Pacis faciendæ tempore ante tentatum ultimi diſcriminis caſum diſputatur. (2.) Quibus conditionibus pax fieri debeat, cui quæſtioni involvitur (3.) utilitas pacis; ſcilicet qualisnam pax noſtris rebus quam maximè conducat. Ita Alexander apud *Curtium* pacem à Dario aliquoties petitam, nec tempeſtivam ſibi nec glorioſam ſatis aut utilem exiſtimat: nimirum ob rationes primarii ſui conſilii propoſitique, quo deſtructa Monarchia Perſica plenum ſibi dominatum aſſerere optabat. Accedit (4.) deliberatio de ſtabilienda & in ſuo tenore conſervanda pace. Id quod vel *Iſocrates* nos doceat; qui in aurea oratione ſociali, ſive de pace, non tantum ſuadet, pacem faciendam eſſe, ſed præſertim & prolixè diſputat, quomodo impoſterum pax ſit conſervanda. Nam temporaria & brevis pax vix meretur id nomen, quod plenæ fidei æternam pactio-

pactionem notat. Argumenta hujus conſultationis vel generatim à commodo pacis, & periculo bellorum ſumuntur, vel præcipuè ex rationibus ſpecialibus noſtri Status, cui omnia non pacis minus, quam belli conſilia accommodari debent. Difficultas plerumque maxima eſt in his deliberationibus, ex iſtis ferme cauſis. (1.) Affectu partium, ubi vindictæ cupiditas nondum expleta eſt, aut immodica ſpes aut cupiditas animos agitat. (2.) Inæqualitate partium, quando altera infirmior, altera potentior aut felicior eſt; ubi ſemper nimis ſe efferunt potentiores, & infirmiores ſua damna emendari ſublevarique pertinaciter concupiſcunt. (3.) Multitudine partium, quando uni bello populi plures aut principes illigantur. Quod fieri ſolet interdum in bellis inteſtinis potentium populorum, quibus plerumque alii immiſcentur. Neque enim tam facilis in multitudine conſenſus reperitur. (4.) Varietate propoſitorum, quæ præſertim in multitudine partium ſæpe contraria & diverſiſſima ſunt, etiam ubi congruere poterant debebantque. (5.) Æmulatione Mediatorum, quos vocant, ſive Conciliatorum. Quod dupliciter capiendum eſt, vel cum ipſi ſtimulis æmulationum non plane intacti ſunt; vel cum aliorum æmulatio in ipſos nimis arrecta & ſuſpicaciter curioſa eſt. In civili utique bello longè difficilior eſt reconciliatio pacis, quam in externo; quia injuriæ bellorum altius in animos deſcenderunt, & quia vitio humani ingenii domeſtica æmulatio externis inimicitiis potentior eſt. Habenda hic rurſum in oculis ſunt exempla & orationes de Pace, paſſim in antiquis & junioribus monumentis occurrentia, Qua in parte aliquid ſubſidii præſtabit *Lipſius l. 5. Pol. ſub finem.*

Dictum eſt hactenus de Pecuniis, itemque de Pace & Bello: ſequitur tertia deliberationis materia, Regionum præſidia. De his quatuor ſunt deliberanda juxta Ariſtotelem. (1.) Modus cuſtodiendi, e. g. an regio aliqua terreſtribus aut navalibus copiis, aut utrisque tuenda ſit, equitibus item, aut peditibus, denique arcibus, caſtellis, propugnaculis. (2.) Numerus cuſtodum, quot millia armatorum, quot naves, quot arces requirantur. (3.) Forma præſidiorum, e. g. arcium, munitionum.

tionum. (4.) Locus præſidiorum; nempe ubi potiſſimum conſtituendi exercitus, collocandæ naves, excitanda caſtella. Hujus loci generalis eſt conſultatio, an e. g. hoc Regnum, aut Reſp. perpetuò debeat habere ordinarios milites & munimenta? quod omnino ſuadet *Lipſius* 4. *Pol.* 7. Quia autem ſub præſidiis non homines modo, ſed munimenta etiam comprehenduntur, igitur huc pertinet quæſtio de arcibus, & coloniis, non prætermiſſa *Lipſio loco jam laudato.* De arcibus ſeorſim videatur Diſſertatio *Barclaji l.* 3. *Argen.* Quomodo autem tota res præſidiorum ordinanda ſit, non melius intelligitur quam exemplis & deſcriptionibus talis curæ. Pendent enim iſta à circumſtantiis temporum, locorum, ſimiliumque rerum. Videatur omnino rurſus Diſſertatio alia *Barclaji l.* 4. *Argen.* ubi de milite regni cuſtode fusè diſputatur. Inter exempla, ſingulare & præcipuum eſt, Auguſti proviſio, qui laudante *Tacito, legiones, provincias, claſſes, cuncta inter ſe connexuit.* Ad quem locum (1. *A. Tac.* 9, 5.) multa diximus. Cætera ſunt ex *Boteri deſcriptionibus Statuum Orbis*, & ſimilibus libris repetenda. Nec excludi debet ab hac deliberatione Satellitium Principis in Statu Regio. De quo quæritur; quantum illud eſſe pro modo Regni & Statu temporis: qua diſciplina inſtrui regique, è qua natione aut loco legi debeat? adde *Lipſium loco prædicto.*

Sequuntur (4.) ea quæ exportantur & importantur. Quæ deliberatio pertinet ad proviſionem annonariam. Quanti momenti, quantæque ſit res difficultatis cura annonæ in Rep. diſcas licet in *Paneg. Plinij cap.* 29. 30, 31, & 32. ne dicam de exemplis Romanorum, quibus ſæpe in arcto fuit res annonaria. Unde Tiberius apud *Tacitum* 3. *A.* 54. inter præcipuas maximasque Principis ſolicitudines, eam reponit. Cum enim Rerump. moderatoribus ſalus publica debeat propoſita eſſe, certum eſt, eam obtineri non poſſe, niſi Reſp. copiis locuples fuerit. Quapropter in compluribus regnis conſtituuntur ſpectatiſſimi & ſummi viri, qui curam annonæ gerant; curentque abundè importari, quæ uſui eſſe poſſunt, & viciſſim exportari, quæ abundant. Atque hæc eſt origo Mercaturæ ac Negotiationum, quæ maxima ſui parte ad Rempublicam pertinent. Rurſus commendandum eſt exemplum Auguſti, qui,

qui, memorante *Dione*, ipſe ſibi hanc curam depopoſcit: itemque Claudii, qui urbis annonæque curam ſolicitiſſimè ſemper egit, variaque excogitavit, quæ memorat & laudat *Suetonius in Claudio c.* 18. Juvabitur & hæc deliberatio inſpectis deſcriptionibus variarum Rerump. quarum exempla loco diſciplinæ poſſunt eſſe.

Superſunt Leges, de quibus itidem deliberari ſolet. Et (1.) quidem Ariſtoteles hic ponit quæſtionem, quæ & quot ſint formæ Reipublicæ. (2.) quæ unicuique proſint. (3.) quæ unicuique formæ obſint, converſionesque & everſiones adferant. (4.) quod genus Reipubl. noſtræ civitati aut aliis præ cæteris conducat? Ex quibus apparet, Ariſtotelem hic leges ſumere illo ſignificatu, quo univerſæ Reipubl. ſtatum obtinere dicuntur, ſive quibus Respubl. formari aut condi dicitur. Sicut e. g. Lycurgus Spartanorum, Solon Athenienſium Rempubl. legibus condidiſſe dicuntur. Ita, ut leges hic ſint die gantze Policey-Ordnung oder ein gantze Verfaſſung eines Staats oder Regiments; formula Status.

Repetenda equidem ſunt aliqua ex iis, quæ ſupra de prudentia Legislatoria dicta ſunt: ſed diſcrimen facile patet ex capitibus ab Ariſtotele hoc loco propoſitis. Quæ & quot ſint formæ Reipubl. (ut & cætera hujus deliberationis capita) ipſe præſertim *Ariſtoteles in Politicis* accuratè pertractavit. E recentioribus vide *Lipſium l. 2. Pol. c. 2. Arniſæum, Bodinum, Tholoſanum, Grotium 1. de I. B. & P. c. 3.* ne de cæteris dicam. Sunt enim omnia pervulgata, & paſſim obvia. Illud obiter notetur, vix unquam formas ſimplices e. g. Principatum, Ariſtocratiam, Democratiam, ita meras & nudas reperiri, quin altera mutuetur quid ab altera. Unde Ariſtoteles cenſet inter ſupremum regni gradum, & regnum Laconicum (quod nomine tantum tale eſt) complures eſſe ſpecies interjectas. An autem verè poſſint miſceri Rerump. formæ, ita ut nova ſpecies emergat, magis eſt ardua quæſtio. In qua tamen nimis ſcholaſticè, imo ſophiſticè agunt, qui omnem mixtionem negant. Quis enim non malit auſcultare Tacito, qui non negat dari mixtas formas, ſed hanc cautionem addit, non eſſe eas tam ſtabiles, tamque diuturnas; ſive difficilius eas con-

ſtitui & ſervari. Id quod præſertim de ea mixtura exaudiendum eſt, quæ ex omnibus tribus formis unam ſpeciem facit, & quam *Plato*, *Polybius*, aliique omnium optimam præd carunt. Cæteræ mixturæ haud dubiè durabiliores ſunt: ſed vellicantur tamen, & interdum agitantur contentionibus, per quas aliqua pars cupit prævalere, Statuique nomen & formam dare. Et ſane, cum aliqua pars multum prævaluit, videas hinc denominari Rempubl. Ita quia Reſpubl. Romana mixta fuit ex Ariſtocratia & Democratia, factum eſt, ut modo Patres prævalidi eſſent, & Status nominaretur Ariſtocraticus; modo plus poſſet plebs, & tum Status diceretur Democraticus. Quali genere judicandi utitur Tacitus eo ipſo loco, quem hactenus innuimus & explicamus. Secundum caput hujus loci agit de cauſis unamquamque Rempubl. firmantibus, conſervantibus, augentibus. Quo pertinent conſilia tum generalia omnibus Rebuspubl. accommodata, quæ ſatis dilucidè *Lipſius 4. Pol. à cap. 7. uſque ad cap.* 12. complexus eſt; (intelligi autem debent etiam cæteri authores antea laudati) tum ſpecialia & extraordinaria rationi cujusque Status, ſive Reipubl. accommodata. Quæ unicuique Reipubl. obſint, ſive eam deſtruant aut infirment, itidem ſatis copioſè non Lipſius ſolum, ſed cæteri quoque Politicorum tradidere, quos exſcribere non attinet. Summatim complexus eſt multa de hoc argumento *Salluſtius in Orat. de Rep. Ordinanda*. Et quoniam partitè hujus argumenti tractatio inſtitui debet, ſciendum eſt, pertinere huc tractationem tum de morbis Rerumpubl. tum de morborum illorum curatione. Morborum nomine accipi debent, tum vitia univerſim, quæ Reipubl. Statum contingunt; tum contracta ex illis vitiis infirmitas. Quibus ita præmiſſis, regulæ hujus conſultationis ad hunc fere modum tradi poſſunt. (1.) maturè deliberandum, ne Status Reipubl. vitium aliquod capiat. Quo pertinet, ut ſagaciter proſpiciamus, quæ imminent, aut in publicis moribus labem aliquam minantur. (2.) principiis obſtandum, adeoque nihil parvi habendum, quod rei majoris momentum poſt ſe trahere poſſit. (3.) fundamenti loco tenendum, quæ labem aut maculam tantum videntur habere, etiam damnum &

noxam

noxam paulatim adferre. (4.) Optima remedia habenda, quæ nondum ut remedia accipiuntur, id eſt, cum per tempeſtivas proviſiones ordinari potius res aliqua, quam emendari ac corrigi videtur. (5.) extrema remedia primo loco non tentanda, neque durioribus conſiliis inſiſtendum, ubi adhuc moderatioribus locus eſt. Non enim gravior debet eſſe medicina, quam morbus. (6.) ad aſpera tamen nonnunquam perveniendum. Quippe & nautæ, quod ſervare poſſunt ex tempeſtate, jactura quarundam mercium redimunt, & medici gravioribus morbis duriora quærunt remedia. (7.) Videndum tamen, an interdum plus quiete proficiatur, quam motu. Qualis deliberatio eſt Tiberii apud *Tacitum 3. A. 52. & ſeqq.* (8.) de eventu effectuque remediorum prudenter ratiocinandum, ne dum reſtituere aliquam partem cupiamus, aliam debilitemus. Harum regularum numerum ſeorſim augere poſſunt. (9.) circumſpecta judicia de Statu Reipub. e.g. an converſio aliqua rerum ita immineat, ut non tam depelli poſſit, quam ordinari debeat. Et hoc eſt, quod Cicero monet: quando Reipubl. orbis vertitur, ſapientis viri eſſe, dare operam, ut quam minimo ſonitu motuque id fiat; quin imò circumagi tandem debemus, & eo loco ſtare, quo nos converſio orbis ſiſtet. Contumacia enim conſilia tempore tali, non conſultoribus magis, quam Reipubl. exitialia ſunt. (10.) Quid ſi everſio imminet? neſcio an hoc ſit tempus conſiliorum, ubi omnia quaſi in perturbationis aleam conjecta ſunt, faciendum tamen, quod humano conſilio provideri poteſt, & ſi fors ita ferat, ut cadendum ſit, cum dignitate cadendum ſtatuamus. Loci hujus pars quarta deliberationem habet de eo, quænam Reipubl. forma noſtræ civitati potiſſimum ſit accommodata. Ubi notandum (1.) hanc deliberationem potiſſimum habere locum in Republ. primum formanda conſtituendaque, ubi ex indole nationis, ex hominum moribus, & ſimilibus rebus conjectura ſane facienda eſt, quonam regiminis genere facilius ſtatura ſit civitas, quam condimus. (2.) In Republ. conſtituta ordinariè huic conſultationi non eſt locus; quin imò boni civis eſt, præſentem ſtatum, & ſemel conſtitutum regimen amare, tueri, conſervare.

(3.) Incidunt tamen tempora, ubi communis utilitas aliquam mutationem ſuadet. Ita e. g. temporibus Julii Cæſaris & Auguſti talis erat Reipubl. Romanæ facies, ut communi prudentum judicio non niſi per Monarchiam ſervari poſſe videretur, atque hæc conſultatio, longè eſt omnium difficillima & intricatiſſima; vix enim eſt, ut proditoris nomen effugiat, qui citius quam neceſſe eſt, de priſtina forma deſperat. Itaque in talibus mutationibus fortuna magis, quam conſilium dominatur. Quæ aliâs traduntur de ſingulis orbis nationibus, quomodo his aut illis talis vel talis regiminis forma conveniat, memorabilia ſunt, quæ *Bodinus* notavit *in methodo hiſtorica.* Atque hactenus ſignavimus lineas, ſecundum quas materia prudentiæ deliberativæ dirigi poteſt. Nunc de forma deliberationum agendum eſt.

PARS TERTIA.

De Forma Deliberationum:

QUæ huc pertinent, partim ſunt exterioris, partim *interioris* notæ. Exteriorem conſultandi formam *reſpiciunt* e. g. modus rogandarum ſententiarum in Senatu, aut in Conſilio: item an ſcripta exigenda conſilia, an verò ex ore loquentium excipienda? an numerandæ ſententiæ, aut alia ratio tenenda, ut perveniamus ad id, quod *factu* optimum eſt; quæque ſunt ejus generis alia. Interiora ſunt, quæ ad virtutem conſultantium in ipſo conſultandi actu pertinent: id eſt, quæ vel facere, vel vitare oportet eos, qui conſultant. Atque hunc locum ſatis diligenter percoluit *Lipſius 3. Pol.* ubi & Conſiliariis, & Principi conſulenti præſcripſit officii regulas. Eas qui rectè calluerit, illum hiſtoria facile plenius erudiet tot exemplis nobiliſſimarum conſultationum, in quibus Hiſtorici diligenter annotant, quid bene aut ſecus à Conſiliariis dictum factumque ſit. Non omiſerim monere, à forma bona conſilii non ſemper aut plane alienas eſſe ipſas remiſſiones, & joca; præſertim in aula, ubi ſæpe tempeſtivo joco Principi conſilium inſinuari poteſt, quod alias

lias magnis perſuaſionibus vix eidem ſe approbaret. Nec tamen ad morionum dicteria hoc pertinere volumus. Longè enim differt tempeſtiva & elegans Conſiliarii urbanitas, ab officio morionum, quibus non niſi inter aulæ vanitates locus eſſe poteſt.

PARS QUARTA.

De Fine Conſultationum.

OMnium Conſultationum ſcopus eſſe debet, utilitas Reipubl. nam de publicis conſultationibus potiſſimum loquimur. Utilitas inquam, quæ honeſtatem habet incluſam, ſicut ſupra monuimus. Magnificè *Tacitus*, & ad univerſum conſultandi officium appoſitè 2. *Hiſt.* 76. *Omnes qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur. Reip. utile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certè non arduum ſit.* Et quæ ſequuntur. Iterum dico, utilitas publica conſiliorum ſcopus eſt: ſed nimirum utilitas ſolida & conſtans, non temporaria, aut apparens. Si enim quidquam, certè hoc officiis prudentiæ propriè congruit, ne putemus utilitatem, quæ non eſt utilitas, quod imprudentibus ſolenne eſt, & quotidianum. Utilitas, inquam, quæ obtineri bonis rationibus, & citra ſumma diſcrimina poteſt, hic ſpectatur. Qualis e. g. utilitas eſt, amplificationem regni proponere, ſed ad quam perveniendum ſit plurimo ſanguine, ſolitudine civium & populoſarum nationum, depletione ærarii? Hunc ſcopum Conſiliarii ſæpiſſimè deſerunt, vel affectu, vel ingenio: neque enim nunc de ſingulis turbamentis boni conſilii, re à Lipſio quoque tractata, dicemus. Unus nobis affectus nunc exempli vicem præbeat, æmulatio inter conſuaſores ſive collegas, Conſiliarios. Meretur omnino diligenter legi, quod *Strada l.* 6. *Hiſtoria Belgica*, memorat, de conſultatione Philippi II. circa expeditionem in Belgium ſuſcipiendam, in re tanti momenti pleriſque conſiliariis affectus, non cura Reipubl. dictavit conſilium. Quamvis ingenio aliquid tribuat, cum memorabili epicriſi. Ita fit, inquit, Conſilia ſibi quiſque attemperat, & judicium natura extorquente, putamus cauſæ tribuere, quod noſtris interim moribus indulgemus.

CAPUT QUARTUM.

De Juſtitia.

JUſtitiam & Prudentiam ſi quis duo vitæ lumina dixerit, à vero nihil alienum dixerit. Itaque poſtquam de Prudentia aliquid dictum eſt; nunc de Officiis Juſtitiæ meritò dicendum eſt.

Officia Juſtitiæ (neque enim deſcriptiones hic cumulare lubet) ad omnes homines pertinent, adeò ut *Cicero* notaverit, ne latrones quidem ſine particula aliqua juſtitiæ vivere poſſe. Cumprimis autem Principes, quo ſunt eminentiore civitatis loco poſiti, eò magis Juſtitiæ ſtudio, id eſt, Principatus ornamento debent præfulgere. Ac de Juſtitia quidem Principis in ferendis legibus, & in Jure dicendo pleraque potuerunt intelligi, cum antea de Prudentia ferendarum legum, dicendique juris ageretur.

Hoc loco graves aliquas quæſtiones circa Juſtitiam Principis proponemus. Quæritur enim, an ad Juſtitiam Principis pertineat, ſervare leges civitatis, ſive ſubjicere ſe legibus? Alii malunt ita quærere, an Princeps legibus ſit ſolutus? Inter plurimas, quæ ſuper hanc quæſtionem extant, Politicorum Diſſertationes & Tractationes, præcipuè commendamus quæ ſcripſit *Theod. Grasvvinckelius de I. M. c.* 6. ubi veriſſima fundamenta, quibus poteſtas Regum ſumma ſupra leges quoque eſſe oſtenditur, adducuntur. Itemque *Jacob. Gothofredus in Oratione, Ulpiani* titulo præſcripta, ubi abuſus hujus regulæ, & vera mens Ulpiani, qui Principem legibus ſolutum ſcripſit, explicatur. Quæritur amplius: an Juſtitia Principis requirat, ne ullo unquam tempore, etiam ubi ingens commodum publicum ſperari poteſt, data ſemel fides violetur? Ad hanc quæſtionem ingenia priſci temporis tam apertè planeque reſponderunt, ut nullus dubitandi locus ſuperſit; ſecus ac Pſeudopoliticorum novitia dogmata, & genius hodiernæ Politicæ ſpecioſis ſub prætextibus, conantur Principem eximere à neceſſitate perpetua ſervandæ fidei. Sed illorum Philoſophia dilutior eſt, & ad pauca tantum atque præſentia reſpicit, remotiorum ac interiorum ſecura. Meliorem Principi ſapientiam ſuppeditant Lex

Divina, honeſtas publica, dignitas Principatus & auctoritas, certiorque longè ex ſervata fide ſpes commodi in futurum, quam ex perfidia in præſens. Quæritur iterum, quid faciendum ſit, ſi Principi res ſit cum hominibus fallacibus, qui fidem ideo dare parati ſunt, ut paulo poſt ex ſuo uſu fidem fallant? Nam generaliter loquendo facile Principi commendatur Juſtitia & Fides, inquiunt; ſed ubi in tales temporum articulos, in tales hominum mores incidimus, majori jam cum ratione dubitatur, an Principi cum illis agenti, in quibus voluntas fallendi ſeu fallaciter paciſcendi non obſcurè præſumitur, iiſdem artibus uti, parique animo paciſci liceat? Hic primo omnium cavendum eſt, ne conjectura de alterius voluntate ſuſpicio mera ſit. Imò etiamſi conjectura eſſet, nulla ſane conjectura ſuffecerit ad jus dicendum rei tam arduæ; cum prudentes viri ne ad conſilium quidem ſufficere ſemper conjecturas exiſtiment, etiam cum jus aliunde deductum definitumque eſt. Accedit, quod altera ſupereſt via tutior, & conſcientiæ accommodatior. Si enim credis, te certò perſpicere animum fallendi in altero, potius non paciſci debes, quam ſimile fallendi propoſitum ad paciſcendum afferre. Inquis: non ſemper licet à pacto deſiſtere, niſi infinitis difficultatibus novis me ac Rempubl. velim objicere? Ut largiar tibi, incidere hanc neceſſitatem paciſcendi cum eo, cui meritò diffidimus, nondum deficit conſilium melius, ut ad Virgilianum iſtud deſcendendum ſit, quod à Principis conſilio ſemper abeſſe debet:

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta movebo. Retine quin imò animum ſervandi fidem, & ne hoc propoſitum tibi fraudi ſit, à Deo precibus contende. Si fideliter pactus es, multa poſſunt accidere, quæ alterius infideliter paciſcentis perfidiam tibi innoxiam poſſint reddere. Cum præſertim per hæc, quæ hactenus diximus, non adimamus tibi providendi cavendique induſtriam. Nam diffidentia limitibus honeſtioris propoſiti concluſa, indeque natum cavendi ſtudium, à propoſito fallendi ſive fallaciter paciſcendi, longè abſunt. Cæterum harum aliarumque quæſtionum fontes accuratè, ut ſolet, complexus eſt *Cicero* 1. *de Officiis*: ubi duo conſtituit juſtitiæ mu-

munera generalia: (1.) *ne cui quis noceat, niſi laceſſitus injuria*: (2.) *ut communibus pro communibus utatur, privatis ut ſuis.* Ad primum illud caput pertinent omnes quæſtiones de vindicatione injuriarum, & damnorum datorum, quæ plerumque judiciis terminantur, aut ubi judicia ceſſant, bello publico aut privato occaſionem dant. Alterum caput partim confuſionem prohibet, ne e. g. aliquis de communibus ſibi aliquid decerpat ut privatum; aut ſi res in dominium ivit, prætextu communitatis aliquid inde ſibi vindicet. Atque huc pertinent quæſtiones de omni jure dominiorum, poſſeſſionum, quæque his ſunt affinia.

Injuſtitiæ duo ponit genera: (1.) *cum infertur injuria*, (2.) *cum illata non propulſatur ab iis, qui propulſare poterant.* Utriusque generis cauſas & origines poſtea inquirit. Diſtinguit etiam injurias deliberato animi propoſito illatas, ab iis quæ affectu aliquo inferuntur. Qua occaſione infert quæſtiones illas: an omne promiſſum, omnis conventio ſemper & ubique ſervanda ſit? item: an in pactione aut conventionibus uti liceat callida interpretatione, ſive verborum æquivocatione? Porro: an etiam ei debeantur officia juſtitiæ, à quo injuriam acceperis? Tranſit poſtea ad Jura Belli, quæ tum in ſuſcipiendo, tum quæ in gerendo bello ſervanda eſſe monet, & quibusdam exemplis oſtendit. Ita quidem Cicero breviter fontes illos, unde officia juſtitiæ fluunt, recludit: in quo illud quoque humanæ vitæ uſibus per eſt accommodatum, quod officia Juſtitiæ alia publica, alia privata facit. Ad publica pertinent, quæ tum Reipubl. tanquam civitati ſive civili cœtui debemus, tum quæ hominibus in univerſum, quatenus ſunt homines. Privata autem rurſum ex relationibus, quibus homines inter ſe conjunguntur, aut disjunguntur, definienda ſunt: e.g, quæ officia debeantur parentibus, quæ præceptoribus, quæ amicis, quæ vicinis, &c. Ex quo apparet, longè latius patere officia juſtitiæ, quam ut legum formulis comprehendi poſſint. *Ariſtoteles* Juſtitiam diviſit in Univerſalem & Particularem: quarum illa per omnium virtutum objecta diſcurrit, & quod juſtum eſt, ubique ſectatur. (Ita enim forte commodius explicaveris Juſtitiam Univerſalem, quàm ſi in-

ſi indefinitè dixeris, Juſtitiam Univerſalem nihil aliud eſſe, quam omnes virtutes ſimul ſumtas.) Hæc, ſcilicet Particularis, rurſum diſtinguitur in diſtributivam & commutativam. Pro commutativa potius dicendam eſſe Expletricem Juſtitiam, *tradit Grotius pr. ſui operis de I.B. & P.* Et Ariſtotelicam quidem ſententiam, præter alios, eximiè declaravit *Hornejus in Ethicis.* Quæ autem ad fundamenta officiorum Juſtitiæ de cætero pertinent, *Grotius* cumprimis excoluit in memorato opere. Sed quia ampliſſimè patent iſta officia, non in ſola Juris quæſtione hic ſubſiſtendum eſſe, ſed officiis juſtitiæ includi totam rationem æquitatis, aut, ut meritò nobis loquendum eſt, civitatis Chriſtianæ: Cumque ad eam rem prudentia præſertim opus ſit, etiam illud patet: Juſtitiam & prudentiam in omni vitæ parte conjunctas operas præſtare, actionumque omnium moderamen ſubminiſtrare. Non fuerit itaque fortaſſe inconſultum, ſi illuſtri aliquo exemplo ad uſum communis vitæ, maximorumque negotiorum accommodato, veluti per digreſſionem, oſtenderimus, quomodo prudentiæ juſtitiæque rationes in opere ipſo conſpirent, & viciſſim adjumento ſibi & ornamento eſſe ſoleant.

Cauſa Philotæ ex Curtii Lib. 6.

Philotas ex prima cohorte amicorum Alexandri delatum ad ſe indicium conjurationis in Regem, biduo texit. Rex certior factus per alium, ſuſpicatur Philotam pravo conſilio ſuppreſſiſſe indicium. Is cum appellatus eſſet, contemptum à ſe non celatum indicium, teſtatur, culpamque ſilentii deprecatur. Rex accepta excuſatione Philotam abſolvit; ſed communicata poſt re cum amicis, decernitur quæſtionem de Philota tanquam participe ſceleris habendam. Philotas ultimis cruciatus dilaceratus, tandem confitetur, ſe ſceleſta in caput Regis conſilia iniiſſe. Poſt confeſſionem ultimo ſupplicio afficitur. *Expoſitio facti.*

Exercitationis cauſa quæritur: (1.) an juſtè prudenterque quæſtio in Philotam decreta ſit. (2.) & poſt quæſtionem confeſſionemque ſupplicium ſumptum? *Diviſio quæſtionis.*

Pro Tormentis & Supplicio Philotæ.

Pars affirmans.

Quæſtio propoſita partim de Jure, partim de Conſilio agit. Rationes juris quoad tormenta, ſumuntur (1.) ab officio interioris aulici, qui nihil cum periculo Regis conjunctum, aut ad caput Regis pertinens debet negligere aut diſſimulare. (2.) à conjecturæ evidentia, cum nullo modo veriſimile ſit, aliquem conjurationis indicium ſuppreſſurum, niſi auctor aut particeps fuerit. (3.) à ſalutis publicæ neceſſitate. Quippe etiamſi ordinarii juris regula non permitteret quæſtionem in tali caſu, tamen ſecuritatem Principis, adeoque Regni, tanquam ſupremam legem id efflagitare. Huc accedere poſſunt ex parte rei, exempla Cebalini ac Metronis, qui minore ſapientia & dignitate præditi, tamen viderunt, quantum ſubeſſet tali diſsimulationi nefas. Ex parte Alexandri, exempla Regum afferri poſſunt, qui ad ſecuritatem ſui ſtatus ſtabiliendam, tormenta judicaverint idoneum inſtrumentum eſſe. Diximus de rationibus Juris quoad tormenta Philotæ. Nunc videndum eſt, an conſultum fuerit torqueri Philotam? Equidem rationes jam allatæ partem jam conſilii continent, quibus tamen addi poteſt neceſſitas & defectus alterius remedii in tanto periculo. Aliâs quidem non conſultum eſt, viros illuſtres ſuſpectos tormentis ſubjicere: hic vero plusquam ſuſpicio occurrit, & major habenda eſt Regis quam aulici ratio. Nemo judicabit ſcilicet ſatisfactum ſecuritati Regis, niſi hæc quoque veritatis exhibendæ fides adhibeatur. Si quid enim forte mali impoſterum exoriretur in caput Regis, omnes clamabunt Regem negligentem, aulicos inertes ac impios fuiſſe, qui, cum debuiſſent & potuiſſent ad mali tanti cubilia pervenire, id facere omiſerint.

Contra Tormenta Philotæ.

Poteſt ex diverſo dici, quæſtionem in Philotam nullo jure decerni poſſe. (1.) Quia à Rege ipſo excuſationem accipiente abſolutus ſit. (2.) Quia tormenta non debeant adhiberi, niſi

niſi in ſontes, & capitalium criminum manifeſtos, cum Philotæ cauſa adhuc ſit incerta. (3.) Quia injuſtum ſit extrema primo loco tentare, ſi omnino amplius inquirendum ſit, interrogari poſſe Philotam varia arte inquiſitorum. Sed nec conſultum eſſe, tormentis lacerare virum tantum, (1.) quia tormenta non ſemper afferunt neceſſitatem vera fatendi, ſed ſæpe cauſam dicendi falſa; quod aliis patientia, aliis infirmitas mendacium ſuadeat. (2.) Quia tormenta Philotæ facile poſſent novos tumultus excitare, & multorum hominum animos jamdum à Rege alienos avertere. Pertinere huc proverbium: *ignem gladio non fodiendum eſſe.* (3.) Quia detecto jam periculo nullius metus ſuperſit; itaque omnem agendi conſulendique aſperitatem, quam neceſſitas tantum & pericula excuſaret, vitandam eſſe. (4.) Multa concurrere in perſona Philotæ, ſive magnitudo viri, ſive merita, & vitæ prioris ſeries conſideretur, quæ non facile ſinant decerni tormenta in cauſa nec dum ſatis clara.

Deciſio hujus partis.

His itaque in utrumque allatis, ineunda eſt decidendi ratio. Eſt autem in cauſis gravioribus duplex decidendi forma: quarum altera præciſè agit, & rem ſimpliciter probat, aut improbat; altera intra certos limites & cum quadam conditione de re pronunciat. Prior illa ratio in hac quidem cauſa, fortaſſe miniſtris & magiſtris dominationis, aut ut hodie ſalutari volunt, Statiſtis ſe approbaverit. Dicet enim aliquis: tormenta in Philotam & juſtè & prudenter decreta ſunt: juſtè, quia ſceleſti animi indicia non obſcura ſunt, in hac diſſimulatione. (2.) Quia vel ſola negligentia tam ſupina, tam inaudita, meretur capitalem pœnam in tanto aulico, quidni ergo tormenta? Nec obſtat, quod Rex veniam ei dedit & dexteram, reconciliati animi pignus obtulit. Præterquam enim, quod actiones Regis ab ipſo Rege in talibus revocari optimo jure poſſunt (neque enim e. g. ſi Rex aliquem ſubito abſolverit, poſtea damnari non poterit, ſi interim res melius fuerit deliberata:) in hac cauſa novæ ratio-

nes ultrò concurrunt, de quibus Rex non potuit cogitare, cum Philotam abſolveret. Tum enim Rex de ſe tantum cogitavit, & bonitatem animi ſui ſecuriſſime & abundantiſſime expromſit, nunc autem de Republ. cogitandum eſt, quæ diſſimulatione Philotæ in ſummum & præceps periculum eſt adducta. Accedit, quod cognitio de talibus facinoribus (ſemper enim hic diſſimulatio toti Reipubl. pæne exitialis capitalibus delictis accenſenda eſt) ad Macedones propriè totumque exercitum ſpectabat: cui Rex præcipitata clementia non potuit jus ſuum intervertere. Prudenter: quia in criminibus uſitatis ac pæne inauditis, unicum idque certiſsimum remedium ab omnibus Politicis commendatur ſtrenuiſsimum quodque ſtatuendi exempli conſilium. Quanto enim in periculo verſaretur ſalus Regum regnorumque, ſi aulicis, præſertim interioribus, quibus publica ſecuritas ſe tuendam ſæpe committit, liceret eſſe tam negligentibus. Si Philotas ita dimiſſus fuiſſet, nemo unquam ejus exemplo factus eſſet cautior. At quia diſsimulationis ſuæ facinus cruciatibus tormentorum expiavit, omnibus aulicis eſt, eritque præſentiſſimum exemplum, vigilantiæ, promptæque & expeditæ fidei colendæ. Id quod ita futurum eſſe, in utramque partem prævidere poterant, & haud dubiè præviderunt, qui Philotam tormentis ſubjecerunt.

X.
DISSERTATIO DE
COMPARANDA LATINÆ LINGUÆ FACULTATE.

§. I.

QUomodo comparetur facultas Latini ſermonis, nemo fere eſt, qui ſe credat neſcire, licet paucisſimos omnino reperire poſsis, quorum conſilia & labores propoſitum ſcopum & optatos profectus obtinuere; cujus rei cauſa non minima in eo ipſo conſiſtit, quod facillimum

limum creditur plerisque hoc ſtudium, adeoque ut in talibus ſolet, negligentius aut præfidentius tractatur. Verum enim vero habent omnia ſuum ordinem & rationem & modum. Neque ullum ſtudiorum genus eſt, quod ſine idoneis induſtriæ cautionibus & moderatione artis ac diſciplinæ penetrari queat.

§. 2. Definiendum autem ante omnia hîc eſt, quæ & qualis facultas Latini ſermonis intelligatur à nobis; nimirum non ea oratorii apparatus magnificentia, quæ omnes ornandi amplificandique rationes complectitur, de qua aliàs agitur: ſed potius ea latine loquendi ſcribendique promptitudo, quæ proprietatem linguæ & venuſtatem & elegantiam quandam ubique exprimere poteſt, & in aptos uſus novit diſpenſare.

§. 3. Conjungimus ſcribendi loquendique peritiam ut vulgi error refutetur, qui, ut alibi, ita hîc omnia ad volubilem oris promptitudinem refert; quæ ſine facultate ſcribendi nullum omnino æſtimium aut favorem meretur. Sermo enim ore prolatus multa occultare poteſt, quæ in ſcriptione clarius apparent. Denique ſcriptio ſola Lydius ille lapis eſt, ad quam notitia Linguarum exigi debet & referri.

§. 4. Ut igitur hîc ordine progrediamur, agendum erit

1. De Autoribus ad hunc ſcopum præcipuè & propriè accommodandis.

2. De accommodatione ipſa, h. e. de tractatione horum Auctorum.

3. De exercitationibus ad imitationem eorum ducentibus, ſeu de ipſa imitatione Auctorum.

4. De adjumentis quibusdam totius laboris.

5. Denique de obſtaculis nonnullis & turbamentis hujus ſtudii.

§. 5. Quando itaque quæritur, quinam ſint illi Scriptores, quorum exempla præcipuè iis proponenda atque commendanda, qui Latinæ Linguæ puritatem & elegantiam quærunt: ſtatim cavenda eſt confuſio promiſcuæ nomenclationis. Neque enim ſufficit, ut boni ſint, qui commendantur; ſed de-

 bet

bet commendationi ſua ratio & ordo conſtare. Videnturque mihi in tres claſſes tribuendi Autores illi, tali diſtinctionis ratione obſervatâ, quam mox ſubjiciemus.

§. 6. In prima Claſſe nominandi ſunt Cicero in Epiſtolis & Dialogis, Terentius, Plautus, Cornelius Nepos, Aurelius Victor de Viris Illuſtribus, Suetonius, Julius Cæſar, Ovidius, Horatii Epiſtolæ, & ſi quid proximè ad tales accedit. In his enim omnibus elucet illa Latina puritas & venuſtas, quam quærimus; hi omnes ſunt ad facilitatem & captum & initia hujus ſtudii mirifico temperamento accommodati & bene compoſiti, quod ut rectius intelligatur, agendum eſt de ſingulis.

§. 7. Ciceronis ergo Epiſtolas & Dialogos in fronte collocabimus. Nam is ſicut haud dubiè & citra omnem controverſiam Latinæ linguæ princeps eſt & magiſter incomparabilis; ita hoc habet ſingulare & eximium. Quod in omni gradu & genere eloquentiæ excellit: ſive rectam puramque venuſtatem cum ſimplicitate junctam quærimus, hîc exemplum habemus: ſive aſſurgentem in robuſtiora argumenti uſusque indolem ſequimur, Cicero præibit viam: ſive in excelſa amplitudo & ſpiritus & majeſtas Oratoris attollitur, Tulliani oris gravitas in ſummo ſtabit. Sed nunc ſimpliciora & prima illa ſpectamus in epiſtolis & dialogis; ubi & proprietas ſermonis admirabilis eſt, & facilitas expedita, & nativa venuſtas. Sed diſtinguenda tamen eſt ætas, cui Epiſtolæ tales commendantur. Mos tenet vulgo, ut primi puerorum in Grammaticis rudimentis hærentium conatus Ciceronianis Epiſtolis fatigentur. Quaſi ſufficeret optimum eſſe, quod proponitur. Conſideranda autem eſt in omni juventutis diſciplina cum argumenti conditio, tùm captus diſcentium: aliàs fiet, ut & cum moleſtia diſcantur, quæ diſcuntur, & ſero percipiantur, & difficulter etiam retineantur. Citò effluunt, quæ ingeniis invitis ſunt obtruſa. Atque ut firmus ſit profectus, ante omnia placere debent ea, unde profectus petitur. Jam vero argumenta Epiſtolarum Ciceronianarum vel ſunt familiaria ex eo genere, quod virorum tantùm curas ex rei familiaris notitia tangit, pueris nec curæ, nec voluptati eſt; quippe

quippe quorum ætas adhuc à rei familiaris tractatione remota eſt. Vel ſunt civilia & politica de ſtatu temporum periculis Reipublicæ, conſiliis prudentum & ſimilibus rebus: quæ bis tranſcendunt captum puerilem; primo quod non explanantur commemoratione, ſed attinguntur ſummatim, aut ἀκροτυχῶς perſtringuntur; deinde quia requirunt notitiam Reipubl. & hiſtoriæ, itemque judicium πολιτικὸν; qualibus ſubſidiis caret pueritia. Nam eſt, quod aliquis dicat, illa præceptorum operâ & expoſitione ſuppleri poſſe. Duplicabit laborem & minuet profectus, quicunque pueris ea cupit enarrare, quæ licet copioſe pariter & perſpicue fuerint enarrata, tamen ab hac ætate per meram caliginem, nec ſine moleſtia & horrore, accipiuntur. Igitur meo judicio magno delectu curaque opus eſt, ut eæ Epiſtolæ excerpantur pueris proponendæ, quæ cum ætatis captu, ſtudiis, inclinationibus conveniant; cæteræ adultioribus profectibus ſunt ſervandæ. Nam licet nativa illa ſtyli puritas & ſimplicitas inter prima Latine proficientium ſtudia poni debeat, nunquam tamen deinceps ejus cura deponenda, ſed per omne ætatis ſtudiique tempus continuanda eſt. Exempla ad Atticum πολιτικώτατον opus ſunt, ſicut vel ex teſtimonio Corn. Nep. in vita Attici intelligi poteſt; multamque rerum Romanarum notitiam requirunt. Igitur fruſtra fuerit, qui de ſtylo tantùm cogitet. Nam is nunquam poteſt eſſe diſcentibus utilis, niſi materia fuerit intellecta, quod notanter & cum emphaſi monemus.

§. 8. Ex Dialogis Ciceronianis libri de finibus, Tuſculanarum & Academicarum quæſtionum videntur mihi difficultatem non parvam habere propter Philoſophorum diſputationes & controverſias, ibi tractatas: ſed redduntur dulciores facilioresque exemplis, hiſtoriis, locis communibus, perſpicuè planeque interpoſitis. Qualia pro captu ætatis ſunt vel excerpenda, vel ad ſuavitatem cæterorum conciliandam demonſtranda diſcentibus. Juvat autem labores diſcentium ipſa Dialogorum forma, & excipiendi mutuo reddendique ſermonis ratio, quæ ſemper hominum ingeniis amica & cæteris amœnior credita eſt. Lælius & Cato præſertim legendi, imo ediſcendi ſunt.

§. 9. Priusquam hunc de Cicerone ſermonem mittimus, non omittenda eſt admonitio ad ſtylum Autoris unice neceſſaria. Eſt oratio ejus, ut perſpicua, pura, venuſta; ita profundiori & occultiori quadam compoſitionis & circumductionis arte concinnata; quod artificium quia non penetrari à pueris, ſæpe ne à præceptoribus quidem poteſt, adeo, ut decedat aliquid ſuavitati apud juniores. Itaque non erunt vituperandi, qui pro pueris ex toto opere Ciceroniano jucundas hiſtorias, narrationes, locos communes & ſimiles particulas colligant, quibus imbuantur animi ad amorem dictionis Ciceronianæ. Tum enim cum ſucceſſu fiet illud Quintiliani L. 2. cap. 6. *Cicero, ut mihi quidem videtur, & jucundus incipientibus & apertus eſt ſatis; nec prodeſſe tantum, ſed etiam amari poteſt.* Addendæ ſunt etiam ſubinde adhortationes tum efficaces tum jucundæ, quibus præſtantia hujus ſtyli deſideriis & ſpei puerorum cum quodam prægustu voluptatis offeratur. Nam ut penitus placeat, fieri nequit, niſi poſt aliquos profectus. Quo ſenſu illud Quintiliani l. 10. c. 1. uſurpamus: *Ille multum profeciſſe ſe ſciat, cui Cicero valde placebit.*

§. 10. Terentius & Plautus ſequuntur, quorum merito in hac claſſe præfulgent nomina. Quippe quorum ſtudium in efformanda quotidianæ orationis conſuetudine verſatur; adeoque nativam linguæ proprietatem & puritatem ſibi propoſitam habet, ſed longe longeque præferendum duco in comparanda ſtyli facultate Terentium. Nam Plautus, præterquam quod obſcœnus ſæpè & ſcurrilis animum frequentat, etiam ideo periculosè ab imperitioribus legitur, quoniam plurima ex trivio & viliſſimorum hominum conſuetudine repræſentat, quæ cum frigore & ineptiis plena ſint, rudioribus pro elegantia & ornamentis placent. Itaque valdè opus eſt, ut iſta dignoſcantur, & à puræ orationis venuſtate ac civilitate ſeparentur. Quo facto cætera Latinis auribus egregie ſervient. In Terentio pleráque iſta cautio ceſſat. Ita enim ſcribit, ut omnia linguam eleganter loquentis decere poſſint.

§. 11. Corn. Nepos, qui vulgo Æmil. Probus fertur, terſiſſimæ caſtigatiſſimæque orationis autor, ita ſimplicita-

tem

tem refert, ut graviſſimis tantùm & argumentis & viris convenire poſſit. Utitur enim illaborato contextu & verbis, quæ videantur è vulgi potius conſuetudine, quam è Doctorum ſcholis petita: ſed ſubeſt exprimendi dexteritas & congruentia & electio, qua de re plenius diſpeximus in commentario ad Nepotem.

§. 12. Inter Hiſtoricos neminem habet ſimiliorem, quam Jul. Cæſarem, de quo propterea ſtatim ſubjiciemus. Prorſus eadem dici poſſunt de Julii dictione, quæ de Nepote dicta ſunt. Admirabilis utrique candor & facilitas & proprietas, non quæſitæ, ſed innatæ, ut ſic dicam, virtutes. Nihil ibi calamiſtris inuſtum, nihil conatu artis moleſtum: omnia nuda, venuſta, recta, ornatu orationis tanquam veſte detracta, ut loquitur Suet. in Julio cap. 56. pertinetque huc, quod de Auguſti oratione idem Hiſtoricus tradit in Auguſt. cap. 86. *præcipuam curam duxit, ſenſum animi quam apertiſſimè exprimere. Quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque propoſitiones verbis addere, neque conjunctiones ſæpius iterare dubitavit, quæ detracta afferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam augent.* Hæc Suetonius. Neque caret interim eloquentiâ ille ſtylus, ſed dum non videtur quærere, aut ab arte mutuari, invenit tamen ex ſe & præfert decorem, quem facilius fuerit amare, quam imitari.

§. 13. Suetonii par in puritate & proprietate ſtudium & majori etiam in emendatè loquendo cura: ſed quo minus facilitati priorum comparari poſſit, argumenti copia in brevitatis gyrum redacta, & tot antiqui ritus, & quædam indicata potius, quam explanata, efficiunt. Vehementer enim cognitio hujus characteris, ut ſic dicam, juvabitur, ſi quis facilitatem & promtitudinem Nepotis Cæſariſque cum diligentia Suetonii comparet, dicam an contemperet; ſuntque, ni fallor, in magna ſimilitudine ſtyli & eodem charactere ſubtiles quidam gradus, ut maxima facilitas in Cæſare, proxima in Nepote reperiatur, quem Suetonius excipit; cujus oratio jam amplius oſtendit, poſſe & curam venire in partem ſimplicitatis nativæque venuſtatis.

§. 14. Aurelius Victor in viris illuſtribus (nam Cæſares ejus & Epitomæ diverſiſſimo ſtyli genere utuntur) non quidem Nepotis & ſimilium politæ venuſtati comparari poteſt; ſed eſt tamen candidus & præ cæteris ſimplex, quippe primas orationis formandæ lineas ſtudioſo Latinitatis ſignare poſſit.

§. 15. Ovidium etiam ad proſæ eloquentiæ genus commendavimus. Falluntur enim, qui pangendis tantùm carminibus deſtinant Poëtas. Detractis ergo, quæ merè ſunt poëtica, & cuivis attendenti facilè ſe produnt; admiranda eſt in Ovidio orationis puritas, agilitas, facilitas tam in verbis, quam in ſenſibus contextuque, i. e. ea omnia habet Ovidius, quæ in prima hujus claſſis dictione & Autoribus commendamus. Et quando copiâ & argumenti varietate abundat, valde propagari poteſt cognitio Latinitatis ex illo Autore. Elegiæ ejusdem prono & liquido alveo defluunt, ut nullis metrì rivis legibusque contineri, ſed libero ſolutoque curſu uti videantur. Etiam in Metamorphoſi, ubi gravitatem & artem admiſit, facilitatem & profluentis elegantiæ venuſtatem non excluſit. Si quis ſubtiliter partiri vellet, poſſet Elegias primæ claſſi ex iis, quas conſtituimus, tribuere; Metamorphoſes in ſecundam reſervare. Quanquam ſunt nobis cauſæ, cur in prima ſerie etiam iſtas legendas cenſeamus: quippe quæ amœnitate argumenti alliciunt potius diſcentium animos, quam Elegiæ: præſtantque adeo, ut nequaquam ſit difficilior tractatio exactioris operis, quam illius minus elaborati.

§. 16. Horatii Epiſtolas ſeparavimus ab Odis. Nam licet ubique purus, terſus valdeque Latinus ſit ille Autor, tamen Odarum lectio, cum & res profundior, majori profectui ſervanda eſt. Epiſtolæ ſermonem & proſæ orationis ſimplicitatem imitantur, ſicut ipſe profitetur.

§. 17. Atque hi præcipui ſunt, quos in prima claſſe ad imbuendam veræ puræque Latinitatis ſapore orationem demonſtrandos exiſtimavimus. Quod ſi quis nunc interroget, an hoc, quo recenſuimus, an vero alio ordine ſint tractandi? Reſpondemus, difficulter aliquid univerſim & in ſummam determinari poſſe. Nam nec omnes Latinitatis Studioſi ſingulis iſtis ordine perlegendis immorari poſſunt, nec ingeniorum par eſt ratio; neque parum hic ſpectari debet docentium conſilium, facultas & ſimilia, quæ tempori & perſonis, ut alibi, ita & in hoc negotio attemperari poſſunt ac debent. Quo reſpectu etiam hæc, quæ dicemus, intelligenda, interpretanda, moderanda ſunt. Si e. g. res eſt cum diſcipulo, cujus ingenium allici potius per jucunda cupit, quam trahi per utilia: ibi haud dubiè rectius inci-

incipietur ab Hiſtorico. Eſt enim Hiſtoria animis hominum, ob ingenitam ſciendi rerum eventa cupiditatem, valde familiaris, & obrepit velut naturali oblectatione. Itaque Aur. Victor ſuâ ſimplicitate poſſet veluti præludere diligentioribus ſtudiis, poſſent collectæ ex Ciceronis operibus hiſtoriolæ & Apophthegmata rudes adhuc animos majorum rerum voluptati paulatim aſſuefacere; ſuccederet Corn. Nepos, Terentius, Plautus, Jul. Cæſar, quibus ex Epiſtolis Dialogisque Ciceronis, item Ovidio & Horatio modo hæc modo iſta interponi, præponi aut poſtponi, prout ratio poſtulat, poſſent; quanquam & iſte, quem diximus, ordo aliter atque aliter easdem ob cauſas concipietur.

§. 18. Sequitur media Claſſis eorum, qui oratione utuntur jam, ſed infra præcipuam ſtyli majeſtatem, retenta atque in civilem quaſi cultum caſtigata beneque compoſita. In his primas merito ſuo tenet Cicero; cujus Officia & ſcripta Philoſophica jam propriè huc pertinent, è quibus prima claſſis quædam, meditamenti & prægustus cauſâ, delibavit.

§. 19. Succedit Q. Curtius, candidiſſimæ elegantiæ Hiſtoricus, qui an plus eloquentiæ artisque, aut perſpicuitatis & facilitatis habet, vix diſcerni poteſt. De cujus laudibus cum alii ſatis multa dixerint, nos illud tantùm monemus, eloquentiæ Latinæ Studioſis vix alium magis terendum verſandumve eſſe.

§. 20. Vellejus quoque Paterculus in hac Claſſe ponendus eſt; qui ubique eleganter & ſupra vulgi conſuetudinem loquitur. Terſa ejus oratio eſt & decore polita, de qua prolixè diximus in Oratione de Hiſtoria Vellejana.

§. 21. Nec Juſtino deeſt eloquentia, qualis hic ſpectatur & ſufficit. Itemque Valerio Maximo, qui ſtudioſus & expreſſionis gravioris & ſententiarum crebritatem ſolidâ philoſophiâ munit; licet filum totius orationis non ubique ſatis expeditum videatur, cui rei tamen paratum eſt à judicio attenti Lectoris remedium.

§. 22. . Plinii Epiſtolæ multum conferunt in ſtylo proficientibus, ſi tamen vitetur affectatio Atticiſmi. Cum enim paucioorum indoles capiat illam orationis formam, nihil ſupra vires ingenii tentandum aut præter naturæ voluntatem, ut ita dicam, æmulandum. Verborum expreſſio, pondus, nitor, & de ſubtilibus peritè loquendi autoritas, hæc ſunt, quæ in illo Scriptore hâc vice commendamus.

§. 23. Nec Macrobium hîc omiſero, decorè & perſpicuè loquentem. Sed & Lactantius atque Auguſtinus de Civitate Dei hîc nominandi ſunt propter eos, qui etiam Latinitatis ſtudium malunt jam tum ad Theologiæ ſcopum conferre. E quibus Lactantius quidem puriſſimâ elegantiâ & Ciceronianæ orationi æmulâ percellit. Auguſtinus cum judicio legendus eſt, qui præter orationis copioſæ & eruditæ facultatem etiam antiquitatis cognitionem multum juvabit.

§. 24. E Poëtis huc traxero Horatii Odas, Ovidii Metamorphoſes, ſupra delibatas, nunc pertractandas; Silium Italicum, Claudianum, Catullum, Tibullum, Propertium.

§. 25. Hinc ad conſummatiſſimi eloquii viros & Claſſem Scriptorum tertiam progrediendum eſt, qui non Latinâ modo puritate & venuſtate præcellunt; ſed inſuper omni cultu atque magnificentiâ ſtyli exſplendeſcunt. Ubi rurſum cum excellentiæ notâ memorandus eſt Cicero, cujus orationes ab iis tantùm legi tractarique poſſunt, quorum in Latinitate feliciter jam inſudavit ſtudium; contra quam vulgo exiſtimant, qui pueris promiſcuè eas proponunt. Quippe naturæ is ordo eſt, ut prius purè & venuſtè loqui diſcamus, poſtea ornatè ac magnifice.

§. 26. Et quoniam ab Oratore cœpimus, conjungatur ſtatim ille alter incomparabilis Atticiſmi Autor, Plinius Panegyriſta, in quo recondita Latinitas cum arte & facultate ornandi veluti concertat.

§. 27. Interim præter vulgi captum, ſed minimè præter rem & veritatem, ſtatim his Florum addo; Panegyriſtam verius, quam Hiſtoricum, quod præter alios etiam Auguſtinus advertit. Falluntur haud dubiè vehementer, qui Hiſtoriæ convenire illum ſtylum opinantur.

§. 28. Sequuntur cæteri Panegyriſtæ, Latinus Pacatus, Nazarius, Mamertinus, & reliqui, quorum oratio ut novitatem quandam redolet, ita multum Latinitati ſtudet & inventioni, & arti.

§. 29. Neque aberrabit, ſi quid ad Hiſtoricos in hoc genere prævertet, quales nobis ſuperſunt nonnulli. Quid enim Livio copioſius? lætius? validius? ſplendidius? quid fortius ad ſenſum, accommodatius ad vitam dici poteſt? Legant, qui diſcere cupi-

cupiunt, quid ſit majeſtas ſtyli ad imperii & reipublicæ majeſtatem quodammodo exacta.

§. 30. In Salluſtio major eſt gravitas, ſed nec imitationi tam opportuna, & cum judicio diſcernenda. Ne quis in ea incidat, quæ in Aruntio carpit Seneca Ep. 114.

§. 31. Tacitus ſeveriſſimæ & profundiſſimæ orationis autor ſine exemplo haberi debet. Sed cum duplex ſit gravitas; horrenda ſeu inſolens, & accuratè compoſita ſive congruens; valde errant, qui illam potius, quam hanc, Tacito tribuunt; qua de re jam alibi diximus.

§. 32. Annæus Seneca ſingularis cujusdam ſtyli & propriæ gravitatis nomen meruit. Pleraque terſæ Latinitatis, penetrantia acumine, placentia inventione; ſed manet tamen adhuc manebitque illa cautio circa ſtylum Senecæ, quam ſuppeditat Quintilianus, quicquid contradicat Lipſius in prolegom. in Senecam & Carol. Paſchalius in libro de optimo dicendi genere.

§. 33. Etiam Plinii Hiſtoria Naturalis huc referri debet, itidem gravitate ſtyli eximia notabilis, quæque non niſi ab eruditioribus intelligi poteſt.

§. 34. E Sacris Scriptoribus unum os Hieronymi omnem dicendi majeſtatem implevit; quem fere in eloquentia cæteris præferas. Nam in Africanis ſcriptoribus ſunt, quæ tolerare, quàm imitari, malis.

§. 35. E Poëtis hanc Claſſem ſibi vendicant Virgilius in Æneide, & diſcipulus Virgilii imitatorque Statius, ac Tragœdus Seneca (ſeu plures ſunt) An & Juvenalis, itemque Perſius? Ita poſtulat & cultus eorum & latinitas.

§. 36. Priusquam finiamus hanc Autorum recenſionem, tollenda eſt ſuſpicio negligentiæ, quæ in nobis forte notari poſſit. Ubi enim Quintilianus? ubi Agellius & Apulejus? ubi ex Hiſtoricis Spartianus, Lampridius & cæteri? Nonne & hos in eloquentia magnos imitari debemus?

§. 37. Diſtinctè hic reſpondendum: & primum quidem de Quintiliano ſciendum eſt, præcellere eum omnino in temperato & medio dicendi genere. Sed quoniam artem dicendi profitetur atque technicam inſtitutionem in XII. ſui operis libris; non ratione ſtyli, ſed ratione argumenti eſt à nobis prætermiſſus. Stylum

lum enim vehementiſſime probamus, atque nunc adeo commendamus in exemplum Libros Inſtitutionum & Dialogum de cauſis corruptæ eloquentiæ, qui vulgo Tacito adſcribitur. Nam de Declamationibus ipſi adſcriptis non adeo magnifice ſentimus.

§. 38. Agellium quod attinet, verſatur & is circa particulas antiquitatum & obſervationum, adeoque tam commode iis jungi non poterat, qui ſcriptione magis continua & perpetua ſtylum plenius informant. Eſt autem in medio genere; ſive potius in primo & ſimpliciſſimo: hoc potiſſimum nomine legendus, ut nos de facie antiquioris ſtyli admoneat. Neque ſine cautione interim. Non pauca enim ſunt, quæ nolim in quovis argumento admittere.

§. 39. De Apuleji ſtylo nihil eſt cauſæ, cur nimis præclare ſentiamus, aut ad imitationem juventuti proponamus. Sed nec Spartianus, Lampridius cæterique ſequioris ævi ſtylique ſcriptores eam laudem eloquentiæ adſecuti ſunt, quam hic ſpectamus, & ad imitationem unice idoneam judicamus. Quem autem uſum in hoc illi quoque habeant, infra commodius dicetur.

CAP. II.

De Tractatione horum Autorum.

§. 1.

PRæcipua hujus ſtudii vis in eo verſatur, ut optimos feliciſſimosque Autores optimo ſelectoque tractandi genere legamus atque cognoſcamus, ut inſtituatur accurata ſtyli obſervatio, ſecundum ea momenta, de quibus deinceps erit agendum.

§. 2. Conſiſtit autem omnis ea obſervatio ſtyli, primo in delectu verborum & copia. Deinde in compoſitione & concinnitate, ſub qua ornatum comprehendimus. Eſt enim legendi diſcendique methodus quodammodo διαλυτικὴ, qua Autores reſol-

ſolvuntur in illa principia, ſecundum quæ ab initio ſcribebantur. Cum enim iſta duo ſcribentibus unice neceſſaria ſint; inde patet ad legentium curam eadem illa pertinere.

§. 3. Rectiſſime dixit Cæſar: delectum verborum eſſe originem eloquentiæ; ſicut comparandæ nimirum, ita & judicandæ. Cæterum in hoc delectu legentibus præcipue & ante omnia reſpiciendum eſt ad ſingulorum verborum proprietatem, κυριολεξίαν & ſolennitatem. Ejus curæ quædam ſubinde ſpecimina licet reperire apud veteres Scholiaſtas, Servium Virgilii, Donatum Terentii, Acronem Horatii, Cornutum Perſii, cum Juvenalis Scholiaſte & ſimilibus. Inter recentiores egregiam navavit operam Barnabas Briſſonius in formulis ſolennibus colligendis, quæ quaſi concepta verba certa ſcil. in certis rebus, ex ſolenni priſcorum more, adeoque graviter & cum pondere uſurpantur.

§. 4. Sed hæc ipſa obſervatio deducit nos ad diſtinctionem proprietatis, quæ duplex eſt: alia enim proprietas eſt Latinitatis & primæ, alia uſitatæ ſignificationis; alia ſolennitatis. E. g. aliud eſt, quando rem exprimo propriis vocabulis, quibus vel tales ſignificationes vel etymologia vel autoritas; aliud, cum ſolennibus formulis & conceptis verbis rerum fidem gravitatemque confirmamus. Sub illa priori proprietate continetur puritas, quæ in lingua Latina Latinitas, in Græca Græcitas dicitur.

§. 5. In Latinitate ergo obſervandum, quinam Autores præ cæteris eligendi obſervandique ſint. Nam ſicut e. g. olim in Græca lingua puriſſimos quoſdam tantum & citra omnem controverſiam ubique & ſemper ἑλληνίζοντας in exemplum & fundamentum Græcitatis exhibebant, ut Demoſthenem, Platonem, Ariſtotelem, Xenophontem, Herodotum, Thucydidem, & ſi quis proxime ad hanc formam accedebat; ita proprietatis ſtudioſiſſimi inter Latinos fuere Cicero, Ovidius, Horatius, Suetonius & Curtius.

§. 6. In tranſcurſu notabimus hîc errorem eorum, qui exiſtimant, proprietatem linguæ ex Lexicis comparari & addiſci poſſe. Sed illos facilè refellit 1. penuria Latinorum Lexicorum ſatis ſuperque nota. 2. ipſius rei ἀδυναμία. Revera enim

ſtatu-

ſtatuendum eſt, eſſe opus unius hominis labore majus & difficilius, congerere genuinos vocum ſignificatus; ex omnibus Autoribus abſolutum & perfectum corpus non vocabulorum (quæ plerique tantum in oculis habent) ſed variæ interpretationis & eruditæ philologias in unum congerere ac componere. Certè nemo hactenus tale quid præſtitit, nec fortaſſe præſtiturus eſt. Notandum enim hâc occaſione eſt non leve dubitandi argumentum; an conduceret, ſi maximè extaret tale Lexicon, ex eo potius quam ex ipſis Autoribus addiſcere genuinam Latinæ Linguæ indolem?. Quod nemo peritus ac doctus affirmabit, opinor. Et in promptu eſt ratio: quia pleraque non ſatis plenè & liquido intelliguntur, æſtimanturque, cum à corpore ſuo avulſa ſunt. Quin ipſe contextus, ipſe orationis tenor optime ſua verba interpretatur pariter ac oſtendit. Atque ſicut aqua ex fontibus in rivos derivata facile aliquid in rivorum alveis contrahit, quod à puritate fontis prima atque genuina eſt alienum: Ita etiam vix fieri poteſt, quin in tanti operis tumultu, ut ſic dicam, & ambitu multa aliquid nativi decoris & ſpeciei amittant.

§. 7. Sed revertendum nobis eſt ad obſervanda ſingula verba in tractandis Autoribus, de quibus cœpimus dicere. Hic igitur occurrit non una differentia: Primo enim ratione temporis discriminanda ſunt; quædam enim antiquiora tempora decent; quædam Latiniſſimo tempori, id eſt, cum Latina lingua ad ἀκμὴν veniſſet, conſentanea ſunt; quædam ad tempora παρακμῆς, id eſt, inclinatæ Latinitatis reſpiciunt. Circa quem delectum hac judicii cautione verſandum eſt, ut obſervemus aliqua e. g. in perfectiſſimam Latinitatem ex vetuſtiori ac minus perfecto ævo eſſe translata, ſed cum judicio & ratione in loco & tempore: itemque inter recentiorum quoque exactiſſima Latinitatis ſtudia aliquem locum datum verbis è ſuperiori ævo petitis, ſed nec omnibus, nec ſemper, nec ſæpe. 2. Diſcrepant verba ratione translationis. Alias enim ita translata ſunt, ut nativis non ſint abſimilia, & locum nativorum ordinarium occupent: alia transferantur elegantiæ & ornatus gratia: alia delicatius, alia gravius & ſublimitatis augendæ ergo. 3. Etiam ratione ſtudiorum ita diſtinguuntur ſingulæ voces, ut aliæ e. g. dicantur Poëticæ, aliæ Oratoriæ, aliæ Philo-

Philoſophicæ; & inter Poëticas aliæ Comicæ, aliæ Tragicæ, & ſic deinceps. Eſt quidem generalis obſervatio, orationi ſolutæ non convenire voces Poeticas; interim tamen magno cum judicio & decore à Panegyriſtis, e. g. Plinio, Mamertino & cæteris, quædam admiſſæ ſunt; ubi diligenter obſervanda eſt admiſſionis ejus ratio & ars profundior. 4. Sunt præterea aliis quoque vitæ generibus artibuſque ſua quædam vocabula; ita ſuis utitur quibuſdam appellationibus JCtus, ſuis Medicus, ſuis Theologus, Architectus, Geometra, & ſic deinceps. Qualibus dictionibus non niſi tempeſtive & congruenter in eleganti contextu utendum eſt, quanquam alii liberius hic agant: ſicut e. g. Tertullianus in omnibus ſuis operibus frequenter JCtorum ore loquitur. Cæterum qui hæc penitus & in præſentiori obſervatione & applicatione cognoſcere cupit, illi coſulendi ſunt Pollux, doctiſſimus Criticus Græcus, Demetrius Phalereus, Dionyſius Longinus, Dionyſius Halicarnaſſeus, Hermogenis quædam, & Quintilianus paſſim; videatur præſertim L. 1. c. 5. L. 8. c. 1. L. 10. c. 1. E recentioribus nemò ſubtilius ferme judicavit differentias vocum, quam Dan. Heinſius in erudito Commentario de conſtitutione Tragœdiæ.

§. 8. Verum enim vero judicium de ſingulis verbis non tam ſeorſim inſtituendum eſt, quam congruentia rei metiendum. De cætero varia notanda ſunt ad futuros opportunoſque uſus ſeponenda, quæ non ſatis obviam & promtam vel dijudicationem habent, vel approbationem merentur. e. g. cum apud Auguſtinum legimus *appetitor regni*, itemque *dicaciſſimus*; apud Cyprianum, *affabre*; apud Quintilianum *diſſimulatim*; apud Ciceronem *immortaliter gaudere*; apud Panegyriſtam Maximini & Conſtantini *præſentare ſe votis gentium*, & ſimilia. Hæc, inquam, diligenter obſervanda ſunt, & tanquam in ſecreta cuſtodia aſſervanda. Erit enim forte, ut aliquid tale cum venia, nec citra gratiam admittamus, aut certe comparationi temporum, adeoque ſtyli, qui tempora ſequitur, accommodemus. Apud Vopiſcum, Lampridium & Spartianum, & ejus generis alios multa leguntur, quæ non aliter, quam ad cavendum, obſervanda ſunt. Quis enim cum Vopiſco vellet *nimietatem* dicere?

§. 9. Summa eorum, quæ hactenus diximus, eo redit, ut verbis elegantiſſimis utendum eſſe obſervemus in exemplis &

ſcriptis Autorum. Eſt enim, quod ſæpe monet Cicero, veluti ſumma eloquentiæ, verbis ſelectiſſimis & optimis ſententiis uti.

§. 10. In contextu orationis toto prima eſſe debet συνθέσεως i. e. compoſitionis cura. E. g. in lectione Corn. Nepotis & Julii Cæſaris obſervandum eſt, quam ſimpliciter & illaborate, convenienter tamen & jucunde, omnia ſint collocata, ut vere poſſimus dicere, quod Halicarnaſſeus de ſtylo Lyſiæ Oratoris Græci, eſſe in eo σύνθεσιν τὸν ἰδιώτην μιμουμένην, i. e. talem compoſitionem, quæ videatur proficiſci ab aliquo, qui artis ignarus eſt. Et hæc ſane eſt ſpecies illius compoſitionis, licet revera ad eam ſimplicitatem vix doctiſſimus quiſque adſpirare poſſit. Ita in cæteris accuratior jam comparatio ſuiſque membris, conſonantiis, numeris diligentior occurrit. Præcipue apud Oratores. Vide Quintil. l. 9. 4. Et ſimul obſervetur, Oratoribus quidem præcipue hæc talia præcipi, ſed pleroſque cæteros Scriptores magis minuſque ab iſta arte συνθέσεως trahere.

§. 11. Secundo in contextu obſervari debet τέχνη, ars, cum omnibus figuris, de quibus breviter & ſummatim ac velut ſub uno conſpectu egit Cicero l. 3. de Orat. c. 39. & 40. & L. eod. c. 53. & ſeqq. Ubi obiter monemus, non debere quemquam ſuperſtitione nominum nimis occupari, ſed potius ad æſtimationem & decus figurarum animum convertere.

§. 12. Tertio in contextu obſervandæ ſunt ſententiæ, de quarum obſervatione & differentia idoneum præceptorem damus Quintilianum l. 8. c. 5. Differentiæ autem iſtæ multæ ac pene infinitæ ſunt. Nam quod Cicero de optimo genere dicendi c. 2. dixit, *ſententias docendi acutas, delectandi quoq; argutas, commovendi graves eſſe debere*: generale monitum eſt ad officia Oratoris reſtrictum. Interim ut de pluribus iſtis differentiis & cenſura ſententiarum aliquid cognoſcatur, legendus eſt M. Seneca Rhetor, in Suaſoriis & controverſiis, ubi ſubtiliſſimam κρίσιν exercet in ſententias veterum Declamatorum.

§. 13. Quartum inter ea, quæ in contextu Orationis obſervanda ſunt, eſt τὸ ἦθος. Neque enim habemus commodam Latinam vocem, qua id exprimamus. Significat autem ἦθος hoc loco non tam mores, quam proprietatem, notante Quintiliano l. 6. c. 2. præſtatque illud in Oratione, ut fluere omnia ex rerum homi-

hominumque natura videantur. Sicut amplius explicat Cicero in Oratore c. 37. Eſtque adeo ἐν ἤθει γράφειν nihil aliud, quam ita ſcribere, ut oratio cum rebus perſoniſque proxime & proprie conveniat, quæ & *Morata* dicitur. Sunt quidem ſeorſim, præſertim apud Halicarnaſſeum, diverſi gradus τοῦ ἤθους; e.g. aliud ἦθος eſt gentile, cum barbaro barbara, Romano Romana, Græco Græca, i. e. moribus harum gentium conſentanea tribuuntur. Ut cum apud Curtium lib. 7. legatis Scytharum Scythiæ ſimplicitatis oratio tribuitur. cap. 8. Aliud ἦθος eſt fortunæ; e.g. aliter ſeſe habet ratio felicis, aliter infelicis. Aliud eſt ἦθος, conditionis & ſtatus: ſic Regi regia, civi civilis, militi militaris oratio competit. Aliud ætatis eſt ἦθος, atque ſic alia oratio ſeni, alia juveni convenit. Eſt denique ἦθος ad mores proprie relatum, ita, ut ſuam habeat expreſſionem manſueti oratio, ſuam magnanimi, ſuam fortis: & in vitiis ſuó ex ingenio loquatur avarus, ex ſüo ſuperbus, & ſic deinceps. Verum hæc omnia ad deſcriptionem τοῦ ἤθους jam antea allatam ita pertinent, ut includi continerique videantur.

§. 14. Quinto obſervandus eſt character totius orationis. Quod cum dicimus, non intelligimus communes iſtas differentias, quibus vulgo dividitur ſtylus in orationem illuſtrem ſeu grandem; temperatam ſeu mediocrem; & tenuem ſeu gracilem; quæ ut in formis & vultibus humanis, ita in Oratione cumprimis varia eſt & multiplex. Hoc voluit Cicero 3. de Orat. c. 7. cum *ſuavitatem Iſocratis, ſubtilitatem Lyſiæ, acumen Hyperidis, ſonitum Æſchinis, vim Demoſthenis* commendat, & unumquemque in ſuo genere excellere monet. Obiter hic adjicimus exempla triplicis illius vulgo conſtituti characteris. Nam orationis humilis & tenuis ſuppeditant exempla Comici & Epiſtolæ Ciceronis. Mediocrem repræſentant ſcripta Ciceronis Philoſophica, Jul. Cæſar, Nepos, Suetonius, & ſimiles. Grandem Characterem expreſſum habemus in Saluſtio, Livio, Ciceronis Orationibus, Panegyricis & ſimilibus.

§. 15. Verum ut profundius & penitius cognoſcantur, quæ hactenus diximus, legendi ſunt præſertim libelli Dionyſii Halicarnaſſei περὶ λόγων ἐξετάσεως, & τῶν παλαιῶν χαρακτῆρες. Etiam quæ Horatius de arte Poëtica habet, non ad carminis tantum pan-

gendi facultatem, ſed ad omnis ſtyli obſervationem pleraque pertinent.

§. 16. Afferemus & nos adjumentum aliquod propoſito uno atque altero obſervationis ejuſmodi exemplo. Sumamus ex vita Attici, quam elegantiſſimâ ſimplicitate Corn. Nepos deſcripſit, caput 13. atque ibi primo omnium conſideremus Phraſeologiam ſive ſermonis particulatim conſiderati proprietatem & nativam ſpeciem. Ut omittamus vulgaria & obvia, quam Latinè loquitur, cum *ædificatorem* ponit pro eo, qui ædificandi ſtudio tenetur; cum *bene habitare* eum dicit, qui in domo ſatis idonea & inſtructa habitat; cùm *omnibus optimis rebus uti* de rei familiaris αὐταρκείᾳ & ſufficienti copia uſurpat? Mox: *amœnitas domus conſtat ſylvâ, uti familiâ optimâ, mediocri, pulchrè facere aliquid,* earum ſc. artium, quæ præceſſerant, *cultus domeſticus hæc deſiderat, dominatus factuſque* i. e. educatus inſtitutuſque; hæc, inquam, & ſimilia ipsâ annotatione & exceptione ſeſe ut Latiniſſima ita & convenientiſſima monſtrant. Jam quanta eſt ſublimitas pariter & proprietas in diſtinctionibus illis, cum *elegantem* à *magnifico, ſplendidum* à *ſumptuoſo* diſtinguit, & medium illud genus οἰκονομίας, quod interjacet inter exceſſum & defectum, *mundiciem non affluentem* facili & perſpicuâ expreſſione appellat? Atque hic non ſtatim intelligitur, quid ſit *elegans*, quid *magnificus*, niſi quod ex circumſtantia textûs & conſideratione ſententiæ apparet, *elegantem* dici, qui rei familiaris inſtructu modico, ſed ad mundiciem & commoditatem exacto utitur; *magnificum*, qui rei familiaris inſtructu ad pompam, ad eminentiam ſpectaculumque diſpenſat: ſicut mox *ſplendidus* à *ſumtuoſo* in eo differt, quod ſplendidus gravitatem ſuæ fortunæ congruam & ornamenta ad modum autoritatis exacta uſurpat; *ſumtuoſus* mavult abundantiâ & affluentiâ oſtentare, quam ornatu competenti ſuſtinere dignitatem ſuam. Atque hæc de dictione & phraſi ſeorſim conſiderata. Quoad contextum orationis ipſum, ultro ſe prodit talem, qualem ſupra deſcripſimus; omnia videntur ſimplicia, familiaria, ſponte nata, non facta. Et interim tamen in ipſa illa comparatione, quæ quotidianam loquendi conſuetudinem referre videtur, inimitabilis latet gratia; cujus vis ita rectiſſime intelligetur, ſi in corporibus humanis nativam inornatamque ſpeciem cum ornamentis, quæ luxus aut ſtudium formæ adhibere ſolet, comparemus. Atque ut

ut ex illa elegantia aliquid delibemus, occurrunt nobis ſtatim periodi breviter concluſæ, membra geminata ad æqualitatem contemperata, in vita Attici Corn. Nep. qua Atticus εὐεικότατος ἅμα καὶ εὐδαπανώτατος deſcribitur. Sententias quod attinet, nemo non videt, totum caput ſententioſa expoſitione conſtare. Sic ab initio ſtatim cum inquit: *neq; enim minus ille vir bonus paterfamilias habitus eſt, quam civis*: ſtatim adparet ſententia, conjungendas ſcilicet eſſe has laudes in ſtudio viri boni officioque. In illis, quæ ſequuntur, non minus Hiſtoricum, quam Philoſophum Practicum, agit. Quis non agnoſcit officium & virtutem boni patrisfamilias in iſtis: *nemo illo minus fuit emax, minus ædificator, &c*? Sed & directas ſententias, veluti nervos orationis, interſerit; præſertim in formanda ἐπικρίσει: qui proprius eſt Hiſtoricis Philoſophandi modus; ut cum dicit: *ſignum non ſolum eſſe continentiæ, ſed & diligentiæ, ſervos habere dominatos, domiq; factos.* Et poſtea ſubjicit ſententioſa ἐξηγήσει: *nam & non intemperanter concupiſcere, &c.* In diſtinctione & contentione ſelectorum propriorumque vocabulorum ſponte latet dicam an ultro emergit ſententia; ut in illis: *elegans, non magnificus, ſplendidus, non ſumptuoſus.* Generatim hic notandum eſt, ſententias, quæ hic occurrunt, ſimplicitate ſenſus & civilitate expreſſionis, unde per ſe emergit vis quædam orationis, & quantum hic requiritur, pondus, judicandas eſſe. Denique τὸ ἦθος qui volet æſtimare in hac expoſitione, is ad indolem & praxin rei familiaris, quæque in ea utilia aut minus proficua, decora aut alia habentur, reſpiciat. Quibus intellectis, pronum erit judicare, οἰκονομικώτατα loqui Nepotem, omnemque ejus dictionem velut ex ipſa natura domeſticæ adminiſtrationis profluere. Adjiciemus nunc exemplum deſcriptionis expreſſioris in alia ſtyli forma ex Q. Curtii l. 3. c. 11. Deſcribit ibi Hiſtoricus Alexandri prælium cum Dario, & inter alia ipſam prælii ἀκμὴν ita exhibet: *tum enim multum ſanguinis fuſum eſt.* Hac emphatica denotatione velut orditur momentum τῆς ἀκμῆς, & ſimul evidentiam ſequentium tali introitu commendat. Itaque mox tanta vi expoſitionis rem figurat, ut de lectoribus ſpectatores redigere videatur. *Duæ quippe acies,* inquit, *ita cohærebant, ut armis arma pulſarent, mucrones in ora dirigerent.* Cujus evidentiæ vis ut altius æſtimetur, ſententioſa ἐπεξηγήσει addit Hiſtoricus: *non timido, non ignavo ceſſare tum*

 licuit:

licuit: collato pede quaſi ſinguli inter ſe dimicarent, in eodem veſtigio ſtabant, donec vincendo ſibi locum facerent. Verum quia ardua illa prælii totius & ἰσόῤῥοπος τάξις his verbis innititur, atque ſicut in dramate fieri ſolet, implexa pars fabulæ proponitur; itaque conatu quaſi quodam & impetu opus eſt ad evadendam illam perplexitatem, & abſolvendum, ſeu potius rumpendum, exercitatæ molitionis nodum. Itaque ſubjecit conatus iſtius molimina, & imparatum quidem, ſed validum violentumque progreſſum, inquiens: *tum demum ergo promovebant gradum, cum hoſtem proſtraverant*; promovebant gradum, ſed ita, ut mox ſiſterent; eluctabantur difficultatem, ut novam reperirent. Itaque ſubjicit Curtius: *At illos novus excipiebat adverſarius fatigatos; nec vulnerati, ut alias ſolent, acie poterant excedere, cum hoſtis inſtaret à fronte, à tergo ſui urgerent.* Reliquit adhuc in ipſis anguſtiis, ut ſic dicam, irritatæ neceſſitatis pugnantes exercitus, & ferventes, & magnis noviſque inſtinctionibus inter ipſa pericula accenſos. Inter quæ nihil validius & præſentanea vi efficacius, quam exemplum & conſpectus utriuſque Regis. Ex illo ſole, ut ſic dicam, accenſus eſt denuo pugnæ æſtus; quem Curtius ita exſequitur: *Alexander non ducis magis, quam militis, munia exſequebatur, opimum decus cæſo Rege expetens. Quippe Darius curru ſublimis eminebat, & ſuis ad ſe tuendum, & hoſtibus ad inceſſendum, ingens incitamentum.* Certe ingens. Quis non videt incitatum in hoc ſpectaculo iraſque & ſanguinem ſpirantem Alexandrum, & per medios hoſtes ſua vi impetuque, totoque felicitatis inſtrumento ad eminentem curru Darium ruere? Sed hic ruentis impetus Regis, qui homine major poterat videri, quia herois erat, qualem inſpiravit Macedonibus virtutis æmulationem atque contentionem? Ruit ergo jam non Alexander, ſed cum Alexandro potentiſſimus quiſque, & totas Macedoniæ virtutis vires veluti ſupremo conatu in Darii caput intentant. Quibus ex hac parte conſideratis, mutua contemplatione in oppoſitas partes eundum eſt, ut vis totius prælii & æſtus τῆς ἀκμῆς recte intelligatur. Non enim ſegniores ſane pro ſalute ſui Regis fuere Perſæ, quam pro victoria ſui Alexandri Macedones. *Ergo frater Darii Oxathres, cum Alexandrum inſtare ei cerneret, equites, quibus præerat, ante ipſum currum Regis objecit.* Atque ut intelligatur, quanta hic contentio ſit oritura, noſcendus autor contentionis inſtinctorque Oxathres *armis & robore corporis multum ſupra cæteros* *emi-*

eminens. Magnum hoc in prælio momentum, niſi majus eſſet, quod ſequitur: *animo vero & pietate in pauciſſimis.* Tam valido inſtructus ad pugnandum adparatu quale prælium edidit? Reſpondet Curtius, brevius an gravius, vix dixerim: *illo utique prælio clarus, alios improvide inſtantes proſtravit, alios in fugam avertit.* Diceres, neminem ſuſtinuiſſe vel pugnantis vim, vel impetum ruentis, vel conſpectum furentis. Acuitur ferrum ferro. Itaque *Macedones*, ignari ſuccumbere in certamine virtutis, *ut circa Regem erant, mutua adhortatione firmati cum ipſo in equitum agmen irrumpunt.* Cœperat jam ſibi quisque dux fieri, quiſque exſtimulator ſui; Regiſque ac ſuo furore veluti vis cœlo miſſa irruunt in hoſtem. Quo effectu eventuque? Eum Curtius non tam memorare circuitu verborum, quam oſtendere uno conſpectu videtur: *Tum vero,* inquit, *ſimilis ruinæ ſtrages erat.* Poteſt vis hæc verborum nobis quodammodo magnitudinem cladis oſtendere: ſed amplius etiam ſic cum mora per partes & per ſeriem, ut dicam, cruentiſſimi ſpectaculi Curtius rem exprimit in iis, quæ ſequuntur: *Circa currum Darii jacebant nobiliſſimi duces, ante oculos Regis egregia morte defuncti, omnes in ora proni, ſicut dimicantes, procubuerant, adverſo corpore vulneribus exceptis.*

CAP. III.

De Exercitatione, ejusque variis generibus, ut & de Imitatione bonorum Autorum.

§. 1.

LEctionem ea, qua diximus, cura inſtitutam ſemper comitari debet Exercitatio. Nam hæc & in diſcendo validiſſima eſt, ſive potentiſſimum diſcendi genus ex Quintiliani ſententia L. 2. Inſt. Orat. c. 7. & in conſervandis, quæ didiceris, mirificam vim habet. Unde Cicero in Bruto c. 89. & 90. teſtatur, ſe quolibet die legiſſe, ſcripſiſſe, commentatum eſſe, audiſſe concionantes, Philoſophis dediſſe operam, ab exercitationibus denique Oratoriis nullum ſibi diem vacuum fuiſſe. Et Quintilianus L. 5. Inſt. Orat. c. 5. teſtatur, Ciceronem jam non eloquentiæ tantum, ſed & Reipublicæ ſuæ principem theſium exercitationi operam dediſſe.

§. 2. Ex his ipſis locis potuit intelligi, lectionem ſub Exercitationibus generatim ſumtis alias contineri. Quo ſenſu nimirum

potiſſima

potiſſima Exercitationum genera conſtituuntur lectio, meditatio, ſcriptio, actio ſeu pronunciatio. Sed ex noſtro inſtituto ſeparatim & aliter de lectione agendum fuit. Cui nunc ſubjungimus vel potius conjungimus cæteras illas Exercitationes. Et de Meditatione quidem non eſt opus, ut multa hic tradamus, quippe cum lectio, qualis à nobis deſignata eſt, jam involvat aſſiduam meditationem: niſi quod tamen ſeorſim commendari meretur illa meditandi diſciplina, cum e. g. abſoluto quodam Lectionis penſo rem fideliter lectam atque intellectam meditamus nobiſcum paulo altius, & partim memoriter repetendi, partim interpretandi, partim de futuris uſibus & applicationibus cogitandi curam miſcemus, qualis meditatio ſi interponatur lectioni, non tantum reficit lectoris animum; ſed præſertim judicium acuit, ingeniumque, ut colorem ex ſtudiis ducat, imbuit. Eſtque eo nomine etiam jucunda, quod inter deambulandum velut in parte ac loco remiſſionis tractari poteſt.

§. 3. Pergendum ergo eſt ad exercitationem Scriptionis, de qua præcipue hic nobis ſermo eſt. *Caput* enim *eſt, quod, ut vere dicam, minimi facimus, (eſt enim magni laboris, quem pleriq; fugimus) quam plurimum ſcribere. Stylus optimus & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter.* Verba ſunt Ciceronis l. 1. de Orat. c. 33. Fuerit igitur primi hac in parte & ingentis conſilii, ſi quotidie ſtylo aliquid temporis tribuatur. Hoc, inquam, volo, ubi ad plura otium non ſuppetit, ut vel pauciſſima quædam & breviſſima ſcribantur; cum nihil æque hanc rem promoveat, quam ipſa ſcribendi continuatio.

§. 4. Præſertim cum facilitas ſcribendi non parum juvetur recenti lectione. Ecce, legiſti aliquid ex bono Autore; dum animus eo igne calet, dum memoria ſpirat, dum judicium fervet, ad ſcribendum te compone, atque de illa materia aliquid commentare: ſubibunt acumen ſtyli verba ex recenti lectione bona; ſententiæ aliquam ſui ſimilitudinem animo memori proponent; conformatio ipſius textus trahet aliquid ex ſpecie, colore, ſpiritu, indole ejus Autoris, à cujus lectione recens es.

§. 5. Sunt autem in ſcribendo (ut hoc ſtatim præmoneamus) duo præcipue vitanda; nimia temeritas ſive negligentia, & nimia moroſitas ſeu ſolicitudo. De priori vitio nota ſunt pleraque: niſi quod hic unum tironibus eloquentiæ inculcatum cupimus, ne indiligentes ſint in verbis vel eligendis vel undecunque colligendis: id

eſt,

eſt, ne ponant aliquid, niſi quod boni Autoris exemplo ſit ſufſultum, vel quoad conſuetudinem & connexionem totius contextus.

§. 6. Alterum vitium, nimiæ ſolicitudinis, blanditur virtutis ſpecie, ideoque diligentiſſime eſt cavendum. *Sunt* enim, *quibus nihil ſit ſatis; omnia mutare, omnia aliter dicere, quam occurrunt, velint; increduli quidam, & de ingenio ſuo peſſime meriti, qui diligentiam putant, facere ſibi ſcribendi difficultatem. Nec promtum eſt dicere, utros peccare validius putem, quibus omnia ſua placent, an, quibus nihil. Accidit enim etiam ingenioſis adoleſcentibus frequenter, ut labore conſumantur, & in ſilentium uſque deſcendant nimia bene dicendi cupiditate.* Eſt hæc obſervatio & judicium maximi præceptoris Quintiliani l. 10. c. 3. quod totum huc pertinet.

§. 7. Itaque quæ ad ſcriptionis præcepta potiſſimum pertinent, petantur interim, unde petenda diximus. Nunc revertemur ad ipſas variæ ſcriptionis multiplicisque exercitationis ſpecies. Et primo quidem uſitatas veteribus breviter percenſebimus; poſtea aliquid de noſtra ſententia adjiciemus; præmonentes interim, deſcriptione ἐν λόγῳ προγυμνάσματος, ſive præparationis ſtudioſæ ad ſeria & gravia in vita actuque civili opera hic ſermonem eſſe. Occurrit autem ex veteribus exercitiis primo verſio ex Græco; hanc enim antiqui maximo probabant & frequentabant. *Mihi placuit*, inquit Cicero, ſive apud Ciceronem Craſſius l. 1. de Orat. c. 34. *eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum Oratorum Græcas orationes explicarem; quibus lectis hoc aſſequebar, ut, cum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem, non ſolum optimis verbis uterer, & tamen uſitatis; ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.* Hæc Craſſus, quæ confirmantur ipſius Ciceronis exemplo. Hoc is non inter primordia, ſed & cum jam dicendi gloria præſtaret, ſubinde uſurpavit induſtriæ genus. *Convertit enim*, inquit de optimo genere Oratorum c. 5. *ex Atticis, duorum eloquentiſſimorum nobiliſſimas Orationes inter ſe contrarias, Æſchinis Demoſthenisque: nec converti ut interpres, ſed ut orator, ſententiis iisdem, & earum formis, tanquam figuris, verbis ad noſtram conſuetudinem aptis; in quibus non verbum pro verbo*

neceſſe habui reddere, ſed genus omnium verborum vimque ſervavi. Non enim ea me annumerare lectori putavi oportere, ſed tanquam appendere.

§. 8. Sed & illud veteribus uſurpatum conſtat, ut ex Latino orationem redderent atque immutarent, ſenſusque alia orationis veſte inducerent. Quæ converſio ſive inverſio Orationis *Variatio* dici poteſt. Apud Ciceronem l. 3. de Orat. c. 34. Craſſus de ſe inquit: *In quotidianis cogitationibus equidem mihi adoleſcentulus proponere ſolebam illam exercitationem maximè, qua Carbonem, noſtrum illum inimicum, ſolitum eſſe uti ſciebam, ut aut verbis propoſitis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria poſſem comprehendere, eam rem ipſam, quam legiſſem, verbis aliis, quam maxime poſſem, lectis pronunciarem.* Hæc eſt deſcriptio hujus exercitii, de quo quid ſentiendum ſit, non una fuit doctiſſimorum virorum ſententia. Nam Craſſus ipſe mox ſubdit: *Sed poſt animadverti, hoc eſſe in hoc vitii, quod ea verba, quæ maxime cujusque rei propria, quæque eſſent ornatiſſima atque optima, occupaſſet aut Ennius, ſi ad ejus verſus me exercerem; aut Gracchus, ſi ejus orationem mihi forte propoſuiſſem. Ita ſi iisdem verbis uterer, nihil prodeſſe; ſi aliis, etiam obeſſe, cum minus idoneis uti conſueſcerem.* Sed præclarius ſentit, adeoque magna cum ratione diſſentit à Craſſo Quintilianus l. 10. Inſt. Orat. c. 5. inquiens: *Ab illis diſſentio, qui vertere orationes Latinas vetant, quia optimis occupatis, quicquid aliter dixerimus, neceſſe ſit eſſe deterius, nam neque ſemper eſt deſperandum, aliquid illis, quæ dicta ſunt, poſſe melius reperire; neque adeo jejunam ac pauperem natura eloquentiam fecit, ut una de re bene dici, niſi ſemel, non poſſit. Sed eſto, neque melius quod invenimus ſit, neque par; eſt certe proximus locus. An vero ipſi non bis ac ſæpius de eadem re dicimus, & quidem continuas nonnunquam ſententias? niſi forte contendere nobiſcum poſſumus, cum aliis non poſſumus. Nam ſi uno tantum genere bene diceretur, fas erat exiſtimari, præcluſam nobis à prioribus viam. Nunc vero innumerabiles ſunt modi, plurimæque eodem viæ ducunt: ſua brevitati gratia, ſua copiæ; alia translatis eſt virtus, alia propriis. Hoc oratio recta, illud figura declinata commendat. Ipſa denique utiliſſima exercitationi difficultas.*

§. 9. Eleganter expoſuit ipſam hujus exercitationis ratio-

rationem Quintilianus: ſcilicet quod contractius alius autor dixit, nos diffundere poſſumus; quod effuſius, ſubſtringere; quod ſimplicius, exornare. Adſtringit ille figura? non utimur; uſus eſt prolixitate? adſtringimus; acumen adhibuit? tentamus & nos; ſententiam dixit? audemus nos aliter dicere; inventio placuit? varia nobis æmulandi vel imitandi occaſio ſupereſt; perpetuo ſcilicet circa eosdem ſenſus certamine atque æmulatione: qualem in Rhetorum olim auditoriis obtinuiſſe, magna cum voluptate, è M. Seneca cognoſci poteſt, cujus ſuaſoriæ & controverſiæ non vitia tantum orationis indicant & damnant; ſed præſertim etiam crebris exemplis nos docent, ſenſum bene dictum dici tamen poſſe melius. Sic Suaſoria 2. poſtquam forte alterius dictum laudaſſet, addit: *cum tam magna & nobili ſententia certavit Attalus Stoicus, ut mihi dixiſſe videatur animoſius, quam prior.* Sic, quod ille unica voce graviter dixerat: *belli mora concidit Hector*; quam copioſe Virgilius extulit, quam nitida παρϕράσει illam belli moram explicavit Æn. 2.

Quicquid apud duro ceſſatum eſt mœnia Trojæ
Hectoris Æneæque manu, victoria Grajum
Hæſit, & in decimum veſtigia retulit annum.

Idem qui L. 9. Æneid. contractius idem expreſſit:
—— —— *Decimum quos diſtulit Hector in annum.*

In quibus non variationis tantum & immutationis, quam diximus, ſed imitationis quoque pulcherrimæ, ſpecimen licet obſervare. *Nec* autem *aliena tantum transferre, ſed etiam noſtra pluribus modis tractare proderit; ut ex induſtria ſumamus ſententias quasdam, easque verſemus quam numeroſiſſime; velut eadem cera aliæ atque aliæ formæ induci ſolent.* Iterum verba ſunt Quintiliani loco prædicto.

§. 10. Obſervare licet in Exercitationibus veterum, interpoſita ſubinde proſaicis ſcriptionibus carmina. Eſt enim per ſe jucundum, varietate orationis ſolutæ ac ligatæ quaſi interſtringere induſtriæ momenta. Et habent præſertim carminum elaborationes aliquid, quod ad ingenium acuendum, ſpiritus reficiendos, inventiones promovendas eximie confert.

fert. Sed obſervandum eſt (id enim ſtatim de noſtrö adjiciemus) ne vago aut incerto propoſito, vel etiam ſine idoneo exemplo, incidamus potius in argumentum carminis, quam id eligamus. Facilior enim & expeditior ratio erit, ſi e. g. aliquid eligimus in Hiſtorico ſoluta oratione enarratum, & poſtea adjungimus rem eandem poëticè deſcriptam à Poëtis. Nam & plures in eodem argumento verſantur. Tum enim recens à poëtica lectione animus facilius concipit indolem & imitationem Latini & eruditi ſermonis.

§. 11. Etiam Dialogi erant in parte exercitationis apud veteres: nempe ut, quod abſque perſonis erat tractatum, perſonarum colloquiis illigaretur. Qua re duo potiſſimum ſpectabant & aſſequebantur ut familiarem quotidianæ vitæ conſuetudinem eo felicius, quo liberius, exprimerent; & ubertatem quandam elegantiamque orationis ſibi proponerent. Verum enimvero magna eſt differentia inter dialogos illos ſimpliciores ſeu familiariores, & inter alterum illud genus ſcribendi διαλογιστικὸν, quod ex veteribus præſertim Plato, & imitator ejus perpetuus Cicero, frequentabant. Illud genus exercentium, hoc eruditorum & perfectorum.

§. 12. De cæteris, quæ in Progymnaſmatis veteres tractabant, non opus eſt, ut expoſitionem hic ordiamur, cum paſſim obvia ſint illa omnia, & præter Ciceronis & Quintiliani recenſionem, Aphthonio præſertim & Theoni Sophiſtis pertractata. Sufficiat vel nominaſſe pleraque: qualia erant Fabulæ, Narrationes, Chriæ, Laudationes, & Vituperationes, Sententiæ, Confirmationes & Deſtructiones, Loci communes, Comparationes, Ἠθοποιΐα, Deſcriptiones, Theſes, Commentationes legum, Accuſationes, &c. Hæc inquam, non opus eſt, ut explicemus nunc: illud tantum annotamus, in his ſingulis Progymnaſmatis non tam ſpeciem exercitationis, quam modum & rationem exercendi, eloquentiæ uſibus inſervire, qua de re alias.

§. 13. De Theſibus ſeorſim hoc admonemus, *fuiſſe* eam exercitationem veteribus valde æſtimatam, adeo ut Cicero jam Reipublicæ ſuæ princeps, non deſierit theſibus exerceri, teſte Quintiliano l. 10. c. 5. Quanquam aliis plus placuerunt

cuerunt Suaſoriæ & Controverſiæ, quæ circa Demetrium Phalereum in Græcia, Romæ autem extremis Craſſi temporibus inſtitutæ ſunt, ſicut rurſus ex Quintiliano diſcimus l. 2. c. 4. Ex quibus Suaſoriæ quidem leviores & juvenili redundantiæ latiorique conatui magis opportunæ habebantur; Controverſiæ autem, judiciorum quandam imaginem continebant, argumentoſæ erant, & proinde maturo quaſi judicio, utpote difficiliores, opus habebant. Utrarumque ſpecimen dedit Quintilianus & M. Seneca Rhetor, nequaquam leviter doctus aut proletarius ſcriptor, ſicut non nemo temere judicavit. Sed doctiſſimi vir ingenii, ſingularisque induſtriæ. Anima & ſpiritus harum exercitationum in actione civili erat, cui præſertim attendebant veteres. Videndus eſt poſt Quintilianum l. 8. c. 3. & l. 9. c. 7. Ludovicus Creſollius in Theatro Rhetorum l. 4.

§. 14. Atque hactenus quidem recenſuimus pleraque Veterum exercitamenta. Hinc ad propoſitum noſtrum redeundum eſt, atque dicendum, *quanam ſcriptionis genera ſtudioſo Latinitatis & elegantiæ veluti per gradus profectuum & ſtudiorum commendanda ſint?* Exiſtimamus itaque primum, quod occurrit ad hunc ſcopum, exercitium eſſe verſiones ex Latina lingua in vernaculam. Sicut enim ſupra audivimus, Romanos ex Græco multa exercitii cauſa in Latinam transtuliſſe, nempe ex lingua minus nota in notiorem: Ita nobis hodie utiliſſimum fuerit transferendis in noſtram vernaculam Latinis ſermonibus occupari. Dicat aliquis: *rem notam & in puerili inſtitutione paſſim uſitatam hic nos adferre.* Verum huic reſpondendum eſt, primo quidem in recenſendis per gradus & ſeriem exercitiis ne illa quidem, quæ notiſſima ſunt, omitti debere. 2. Optandum ſane eſſet, rem iſtam tam notam eſſe, ſicut plerique credunt & jactant. Aberratur enim circa hoc tam notum, ut pleriſque videtur, exercitii genus graviſſime; idque duobus modis: (1) dum negligitur proprietas idiomatis vernaculi, e. g. Germanici. (2) in evolvenda Latini idiomatis proprietate. Quod ut rectius intelligatur (eſt enim operæ pretium prima quævis principia & fundamentales propoſiti rationes

paulo propius rectiusque ſpeculari:) ſub exemplo nobis agendum eſſe animadvertimus. Jubentur itaque plerumque pueri ex latino in Germanicum aliquid transferre, cum tamen nec Latinum recte intelligant, nec Germanicæ verſionis aut proprietatis ullam cognoverint formam. Itaque fit, ut generaliſſimos ſenſus pro ſpecialibus ponant, verſionemque exiſtiment, quæ neque ſermonis genuini faciem præfert. Sermonis enim Germanici (proh dolor!) à multis jam annis tanta eſt apud pleroſque Germanos ignorantia, ut rariſſimus quisque pure aut proprie loqui poſſit aut ſcribere. Nam vulgaris ſermo omnis corruptiſſimus eſt & inquinatiſſimus. Hinc ergo exiſtunt illæ verſiones non verſiones. Et augetur talis exercitii abſurditas, dum nec Latina à plerisque interiori notitia & ad mentem ſcriptoris intelligantur. Nam id neceſſe eſt illis accidere, qui omnem ſuam Latinitatem præceptiunculis Grammaticis & Lexicis debent. Eſſet itaque hoc exercitium ſæpiſſime & diligentiſſime frequentandum: quippe quod & in Latinitatis penetralia nos deducit, & ad vernaculi idiomatis etiam promtiorem uſum invitat.

§. 15. Sed & hodieque valde eſſet frequentanda verſio ex Græco, ſicut jam ſupra monuimus, nempe ſi prius aliquod argumentum legiſti Latine, e. g. partem hiſtoriæ Alexandri in Curtio, feliciter poteris mediocri habita diligentia ex Arriano aliquid in Latinum convertere, & Latinam Curtii dictionem ad Græcum Arriani textum interpretandum adhibere.

§. 16. Eſt hoc genus exercitii reciprocum; id eſt, etiam Latina quædam ſubinde in Græcum transferenda ſunt. Atque id quidem hac ratione poſſit inſtitui, ſi legiſti e. g. Plutarchi Themiſtoclem, poteris haud dubie facile Cornelii Nepotis Latinum Themiſtoclem Græce interpretari. Ita ſi in Dione & Appiano legiſti hiſtoriam Triumviratus, facili negotio poteris deinde interpretari Triumviratum Latine à Floro & aliis deſcriptum. Idem tractandum eſt in ſingularibus eventibus aut exemplis, ut ſic dicam, & Hiſtoricis. Sicut in deſcribenda e. g. Julii Cæſaris, Ciceronis, Bruti & Caſſii nece, &c.

§. 17. Eo-

§. 17. Eodem conſilio retinemus adhuc hodie pro utili exercitio illam converſionem & immutationem, quæ ſupra fuit accuratius deſcripta. Atque hac occaſione ſuppeditamus conſilium variandæ orationis ex ipſis præclaris ſcriptoribus; quorum exempla ſcilicet longe efficaciora ſunt, quam præceptiunculæ nonnullæ Grammaticæ, quarum nec vis extra contextum apparet, nec uſus apte & erudite ſatis doceri ſolet. Tu vero ſume e. g. ſuaviſſimam Curtii hiſtoriam, & unam tantum pagellam lege, interque legendum obſerva, quam eleganter, apte & opportune variet orationem, ſimilesque ſenſus diverſis formulis exprimat; denique omni ſtudio caveat, ne oratio ex repetitione ſimilium aut earundem formularum tædium aliquod contrahat.

§. 18. Progrediamur nunc ad ea exercitia, quæ ab ipſo ſcribentis ingenio aliquid mutuantur; ſi tamen præmonuerimus, non repetenda hic eſſe, quæ ſupra de Progymnaſmatis Veterum annotata ſunt. Illa enim ſubinde adhiberi poſſunt & debent illo conſilio modoque, quem alibi deſignamus. Nunc enim de aliis quibusdam dicendum eſt, inter quæ occurrit ſtatim orationis contractio & diffuſio, hac ratione ordinanda. Si legiſti e. g. hiſtoriam Lucretii ex Livii l. 1. & Dionyſio Halicarnaſſeo, tanquam copioſioribus rei geſtæ narrationibus; adi poſtea Valerium Maximum, Florum, & alios breviori ſtylo eandem hiſtoriam complexos; inde exemplum tibi ſume, quomodo & tu aliam diffuſiorem expoſitionem debeas in ſummam contrahere; & rurſum, quomodo contractius propoſita per circumſtantias, quas vocant, & ſeriem poſſis diffundere. Pertinet ad hoc exercitii genus epitome e. g. totorum librorum, ut ſi quis librum 1. Curtii, & ſic deinceps cæteros, ut in ſummam contrahat; quod in Livio præſtitit notus Epitomator. Aliud eſt, ſed affine tamen, genus Epitomarum, qualem in Trogum Pompejum Juſtinus, in Dionem Caſſium Xiphilinus ſcripſere. Nam hi paulo fuſius id præſtant, & excerpunt totas particulas ex Autoribus, quos breviant.

§. 19. De Diſſertationibus ac locis quanquam ex ſuperioribus aliquid colligi potuit, tamen hoc loco ſeorſim ipſa

ratio

ratio inſtituendi talis exercitii declaranda eſt. Eligatur ergo (nam ſub exemplo facillime hæc talia expediri poſſunt) materia aliqua moralis, aut politica, aut ex alia etiam diſciplina deſumpta. E. g. ſit agendum de conſcientia, quæ eſt ad vitam actioneſque civiles neceſſaria. Hic ante omnia danda eſt opera, ut philoſophiam hujus argumenti probe explorateque habeamus cognitam. Fruſtra enim fuerit, quicunque ad ſcribendum vel animum vel calamum applicare voluerit, niſi ſeria & idonea argumenti cognitione ſit inſtructus. Videndum igitur eſt, quid de conſcientia his uſibus deſtinata Lipſius l. 1. Pol. c. 5. ubi ſcilicet ex profeſſo hoc argumentum tractat, annotarit; adjicienda ſunt, quæ in ſubtioliori ac methodica Philoſophia Hornejus in Ethicis majoribus, vel alius ſimili inſtituto tradidit. Hinc poſtquam ſcire cœpimus, quid ſit conſcientiæ, quæ obligatio conſcientiæ, quibus quouſque conveniat; quomodo item hæc omnia ex theſi morali ad ὑπόθεσιν πολιτικὴν ſint accommodanda: ſupereſt, ut de plura elegantique oratione ſimus ſoliciti. Neque autem hic confundenda eſt aut horrificanda Latinitas *iſtis* vocabulis, &, quos vulgo vocant, terminis, quibus in docenda Philoſophia utiliter quidem alio ſcopo conſilioque utimur. Quippe quæ τεχνικὰ ſunt, (ut nunc ſequamur communem loquendi conſuetudinem) maneant in ſua domo patriaque, id eſt, intra methodicæ diſciplinæ limites; quos ſi egrediantur, nulla peregrinantium gratia eſt. Itaque adeundi ſunt tales præſertim Autores, quales nominatus antea Lipſius conſignavit; illorum ore exemploque feliciter poterimus exprimere, quod ex aliis & ſyſtematicis tractatoribus, aut etiam diſputatoribus, antea didicimus.

§. 20. Sed hæc ſimplicior eſt exercitatio: cujus occaſione ad illuſtrius ſtyli exercendi genus, quodque majores jam profectus requirit, progrediendum eſt. Rurſus autem delineatione potius exemplari, quam deſcriptione ſubtili *hic* defungemur. Fingamus, mihi ſcribendum conſilium aliquod de ſuſcipiendo aut non ſuſcipiendo bello cum hoc aut illo principe. Hic præſertim in exempla orationeſque eorum,

qui

qui valide & eloquenter ſuaſere, inſpiciendum erit; reperientur tales conſultationes in antiquis præſertim hiſtoriarum ſcriptoribus. Habet etiam recentior ætas ſuæ hac in parte facundiæ prudentiæque laudem; qualia qui cum cura legit ac expendit, illi non deerit vel philoſophia hujus argumenti, vel idonea expoſitio. Non enim linguam tantum calamumque hinc informabo; ſed præterea, quæ ex ratione temporis, ex ingenio perſonarum, ex decoro conſultationis, ex variis vitæ civilis prudentiæque artibus acceſſere, omnia velut in clariſſima luce poſita intuebor: adeoque annitar, nec recta modo ſuadeam, ſed ut recte etiam, id eſt, ſicut ratio civilis artisque virtutisque poſtulat.

§. 21. Non debet omitti hoc loco Epiſtola, ſive nova quædam ratio inſtitutioque Epiſtolaris commercii. Ita enim vocamus, ut diſtinguantur à communi vel qualicunque uſu ſcriptionis epiſtolaris, de qua tot extant præceptiones ac libelli. Ipſa enim exercitii ἐπιχείρησις fortaſſe haud adeo nova fuerit. Id ut clarius oſtendi poſſit, rurſus ſub exemplo agendum eſt. Scripſerunt præſertim Tacitus & Dio Sejani nova conſilia & molitiones, tum Tiberii, quibus ipſum ſubvertit, artes. Hanc ubi hiſtoriam legerimus, ſument ſibi præclari aliquot juvenes totum negotium epiſtolari ſimplicitate tractandum; tenebit unus perſonam Sejani, molitionumque ſeditioſarum conſilia, propoſita, cauſas, rationes ad familiariſſimum ſibi hominem perſcribet; ille diſſuadebit rurſum per exemplum, arduum inceptum conſilii tam præcipitis, incertum aut horribilem eventum ſuggeret, cautiſſimam Tiberii ſenectutem formidare jubebit. Hæc inter duos deliberatio aliquoties repetita epiſtolarum viciſſitudine propagari poteſt, donec ad novam facti totius periodum reſpectabit. Poterunt mox etiam confici literæ ex perſona Sejani ad ipſum Principem deſtinatæ, quibus per ambages & velut ex occulto talia audebit petere, quæ ſuis exiſtimet conſiliis profutura. Atque hic jam tertius pro Principe reſpondebit, declinabitque inſidioſam petitionem, & in longe alia, quam quæ proferebantur, tendentem. Idem detectam poſtea conjurationem

per literas Senatui teſtabitur, queretur, ultionem & ejus rationes mandabit. Qua occaſione quartus debet accedere, qui artes evertendi Sejani communicato cum Tiberio conſilio præſcribet. Componet & quintus nomine Sejani literas ad Tiberium, decretumque Senatus, & rem geſtam exponet. Denique erit ſexto quoque locus. Hic, tanquam in aula verſari ſuetus, rei totius ſeriem ad amicum abſentem perſpicuâ narratione transmittet. Atque ſic graviſſima rerum indoles fortius, ſed & familiarius animo inſinuatur, proprietateque idonea exponitur, & in perſonis decorum exprimitur: (quod inter difficillima non ſine cauſa retulit Quintilianus l. 3. c. 8.) & elicitur ingenii ſagacitas.

§. 22. Dicendum etiam nobis aliquid eſt de *παραφράσει*, licet enim inter veterum exercitia jam obtinuerit, quædam tamen hic monenda duximus. Equidem ſtatim ab initio, ſeculi noſtri mores ſuppeditant nobis neceſſariam obſervationem, ut longiſſime abſimus ab illa perſuaſione, qua inepta aut qualiscunque dilatio extenſioque ab imperitis pro paraphraſi habetur. Certe enim Paraphraſis inter ea eſt, quod & Quintilianus monuit, quæ plurimum pariter eruditionis ac judicii requirunt; adeo quidem ut haud dubie inter ſingulariſſima ſpecimina reconditioris doctrinæ paraphraſis idonea numeretur, quod ut amplius adſequamur, è *μεταφραστικῇ* licentia, & libertate *ἑρμηνευτικῇ* diligenter eſt diſtinguenda *παραφράσεως* proprietas. Videmus e. g. Pæanium magna licentia uſum eſſe in metaphraſi Eutropiana: at vero Paraphraſtæ munus longe eſt caſtigatioris menſuræ; quippe cui præter aut ſupra ſenſum autoris nil licet addere, ut adeo omne illud vitioſum ſit in *παραφράσει* proprie dicta, *παραφρασθέντος*, quodcunque modum excedit, ſive poſtea inſerviat declarationi negotii, ſive ampliationem ſapiat & polliceatur.

§. 23. Longum eſſet per ſingula ire, omniaque exercitationum genera, quæ vel antiquitas uſurpavit, vel recentior ætas excogitavit, prolixius commemorare: cum præſertim dubitandum non ſit, quotidie aliquid reperiri poſſe ab ipſis exercentibus, quo hujus induſtriæ labor & facilior fiat & cautior.

§. 24. Il-

§. 24. Illud unum adjicimus, ſemper exempla & formam probatiſſimorum Autorum in oculis eſſe oportere.

§. 25. In qua ipſa tamen imitatione tum ſervilis curioſitas, tum ſecura negligentia ex æquo caveri debet. Nam non poteſt cogi cujusque natura & indoles, ut exprimat præciſe e. g. ideam ſpecialem vel Ciceronis, vel Livii, vel Plinii; ſed in hoc genere ſtudii ſufficere utique debet, ſi ex omnibus probatiſſimis ſcriptoribus ingenium noſtræ orationis inſtruamus, in unius autem verba nequaquam juremus.

CAPUT IV.

De Adjumentis hujus ſtudii & Obſtaculis.

§. 1.

CUm de adjumentis hujus ſtudii aliquid adjicimus, præter ea, quæ ſupra indicata ſunt, volumus intelligi, alia quædam adminicula eſſe, quibus Latinæ eloquentiæ ſtudioſus in ſuo labore propoſitoque non parum poſſit juvari. Inter quæ minime hoc loco prætererire debemus accurati peritique doctoris diſciplinam, ſcilicet multa ſunt in ſtudio Latinæ linguæ, omnibusque ejus ſtudii partibus, quæ ſola lectione, meditatione, cæteraque privata induſtria nunquam aut certe ſero à mediocribus aut minus accuratis ingeniis obſervantur, niſi vivæ vocis erudita quadam & efficaci inſtillatione habeantur.

§. 2. Sed & ipſorum diſcentium inter ſe valde utilis erit collocutio, & familiaris eloquentiæ veluti quotidiana communicatio. Quod ut recte intelligatur, rurſum comparatione utendum eſt. Multa obſervat lectio, multa invenit aut concoquit meditatio, multa ſuis uſibus attemperat & quaſi facit propria ſcriptio. Sed eſt tamen in collocutione literata aliquid, quo judicium præſentius ac magis familiariter tentari, exerceri, acui poteſt aut informari. Habet tamen illa collocutio ſuas has cautiones, ut inſtituatur cum conſilio & propoſito, exerceatur cum attentione & judicio.

§. 3. Sed quodnam à libellis aut adverſariis præſidium expectare poſſum, inquis? conſtat enim, veteres ſubſidiario quoque uſu habuiſſe ſuos commentarios, libros elegantiarum, excerptorum, obſervatorum; ex quo tanquam penu ad quoscunque hujus ſtudii uſus depromerent, quæ collegerant vel obſervaverant. Verum hic non repetimus ea, quæ jam ſupra de Lexicis diximus, ex quibus propterea parum ſubſidii hic poſſumus haurire. Ergo, inquies, mihi ipſi erit hic labor ſumendus & compingenda totius Latinitatis opulentia in phraſeologicum quoddam opus? Atqui illa res tantum temporis requireret, quantum rariſſimum cuique vivendo contigit implere, ut propterea de alia ratione cogitandum ſit. Commendabimus autem hic formulas ſolennes Briſſonii; cujus operis non tantum inſignis in tota Romana antiquitate uſus, ſed peculiariter illuc collimat, ut ad obſervandam linguæ Latinæ proprietatem, autoritatem, puritatem ſtudioſi eloquentiæ rite imbuantur. Habuit aliquid in hos uſus idoneum in animo Lambinus in Indicibus quibusdam ad Latinos Autores probatos, ut in Indice Ciceronis & aliorum. Sed & doctiſſimus Giphanius Indicem Lucretii tali conſilio adornavit. Quos ex recentioribus aliqui ſecuti, accuratiorem inſuper operam poſuere in Phraſeologicis indicibus, quibus hoc unum agitur, ut genium Latini ſermonis promtius peritiusque juventus ſtudioſa queat pernoſcere.

§. 4. Longe tamen ſolicitior eſſe debet obſervatio totius contextus & orationis conſtructæ, quam ſingularum vocum, phraſium ac formularum, ſicut jam ſupra monuimus. Ergo, quid adjumenti poſſimus reperire, videndum eſt, qua in parte primo omnium conſideranda ſunt judicia veterum Magiſtrorum, cum ſingulos Autores modo brevius, modo fuſius; modo univerſim, modo particulatim ſuo metiuntur æſtimio; qualia apud Ciceronem, Quintilianum aliosque plurimos concurrunt. Inter recentiores itidem multæ & eximiæ variorum cenſuræ exſtant in præfationibus, vel in annotationibus, aut in orationibus Autorum ſingulis. Pertinent huc cum elogio excellentiæ Orationes & Præfationes ac judicia

dicia Dan. Heinſii, quo nemo ſubtilius aut diligentius hanc viam inſtituit; item Caſauboni, Lipſii, Camerarii ſimiles curæ, quarum inſignis poterit ad ſtudioſum eloquentiæ uſus redundare, ſi non tantum legat ejusmodi judicia, ſed & applicationem, ut ſic dicam, eorum in Autoribus ipſis quærat ac meditetur. Cum recentiores in hoc genere laudamus, non id volumus, quaſi apud Veteres non omnia de ſtylo judicia eſſent & ſubtilius & accuratius tractata. Sed primo quidem ut nauſeanti ad vetera ſtomacho aliquid de recentioribus ſubſidii indulgeamus; tum autem, ut, qui diligentiores ſunt, cordatioreque propoſito ipſos eloquentiæ fontes ſitiunt hauriuntque, habeant occaſionem conformandi judicii ſui inſtituta inter veterum ſententias & novorum imitationes comparatione.

§. 5. Quoniam autem omni ſtudioſo eloquentiæ nihil prætereundum eſt, quod meditanti legentive obſervatu dignum: non diſſuademus, quin commendamus potius adverſaria quædam & quaſi promtuaria eruditæ venuſtæque Latinitatis. Quorum collatio ut facilior ſit, primo quidem ſimpliciſſimus ordo, i. e. Alphabeticus, maxime tenendus videtur; cum diſpoſitio per argumentorum ſpecies, & formales, ut loquuntur, conceptus, plus habeat forte affectatæ ſubtilitatis ac induſtriæ, quam expeditæ utilitatis, quæ hic unice ſpectanda eſt. Deinde ut immenſæ moli coacervationum aliquid detrahatur, in ſubſidium adhibendi ſunt tales, quos antea commendavimus, libri. E. g. quod jam Briſſonius notavit in Formulis, aut alius vir doctus in Indice quodam ſimilibusve libris; id non opus eſt denuo deſcribere in adverſaria, aut exemplorum congeriem annotare: ſed remittenda eſt quibusdam indigitamentis illa opera ad ſuos Autores, ſicut etiam alias in colligendis locis communibus ad vitandam infinitam prolixitatem certi & primarii quidam libri in crebro uſu & familiari notitia habendi ſunt, ad quorum capita pleraque collectio ita referenda eſt, ut, quod ibi locorum non invenitur, in peculiaribus demum adverſariis & memorialibus libellis conſignetur. Rurſum exemplo utemur. In civili pru-

dentia totaque Politices tractatione referenda ſunt pleraque ad capita & partes politices Lipſii, itemque ad Taciti Annales & Hiſtorias, ſi quis eum ſibi autorem ad familiares uſus redegit, atque ita per plures pro ratione inſtituti ac conſilio utentis licebit ire; quæ autem illuc commode referri non poſſunt, illa in peculiari libello Politicarum annotationum notanda erunt. Sicut in ejusmodi adverſariis ordo & digeſtio ſub ſingulis titulis, non quidem ſolicita, ut ſupra monuimus; ita tamen aliqua requiritur in diſtinguendis eis, quæ proprie & pure Latina ſunt, & quæ certæ tantum ætati aut Scriptori conveniunt; cujus rei proviſio ex ſuperioribus petenda eſt; ubi indicavimus, quinam Autores vere ac Latini in hos uſus advocandi ſint. Nam cæterorum lectio cum judicio, & electio cum cautione inſtitui debet.

§. 6. Adjecimus hactenus quædam hujus ſtudii ſubſidia & adjumenta; nunc removenda ſunt Obſtacula & Impedimenta. Inter quæ primo ſtatim occurrit erratum ſeu maxime familiaris & longe lateque fuſa de eloquentia & ſtylo Latino præpoſtera opinio: dum plerique exiſtimant, eloquentis & Latinæ ſcriptionis laudem conſtare locutionum phraſiumque inſolita ſpecie, inuſitatis ambagibus, inſolenti varietate, promiſcua & undecunque collecta mixtura. Itaque dum hoc propoſito ſenſuque aliquis accedit ad ſcribendum, ſtruit figuras, corripit locutionum ac formularum manipulos, luxuriat Hiſtoricis, Oratoriis, Comicis, Tragicis & Technicis confuſionibus dicam, an congeſtionibus; neque curat, an ex fonte ipſo tale quid hauſerit, ſeu libellis anthologicis, qui ſub nomine Theſaurorum ſæpe plus carbonum, quam probæ monetæ, continent. Qui error tantopere plerorumq; animis inſedit, ut Latinæ eloquentiæ, quid eloquentiæ dico; Latinæ puritatis ſtudium apud ſolos remanſerit, qui hæc ſtudia ex profeſſo tractarunt, inſigni utilitatum humanarum damno. Cur enim diſcenda eſt vel Latinæ, vel cujusque linguæ puritas, niſi ut omnium ſtudiorum, omnium *diſciplinarum*, omnium in humana vita ſocietatum uſibus ſerviat? Verum huic opinioni paratum eſt remedium per ea, quæ ſupra

pra paſſim de Latinæ linguæ genio & nativa indole diximus. Quanquam non magis opinio ipſa nocet, quam exempla errantium, ſive erroneam opinionem ſua autoritate probantium. Difficilis eſt hujus loci cenſura, quoniam nemini aliquid detractum volumus; interim tamen certum eſt, pleroſque etiam ex iis, qui doctiſſimi habentur, non abſtinere inquinamentis ſtyli & ſermonis Latini vitiis. Hinc eſt, quod videmus plurimos affectione gravitatis ac ſplendoris in rumorem & faſtum compoſitam orationem adornare: quoſdam affectatione ſimplicitatis in languorem & enervem ſtyli ignaviam procidere: omnium autem plurimos mixobarbaris locutionibus & confuſanea illa varietate, de qua antea dictum, omnem nativæ orationis faciem ac colorem corrumpere. Quo magis illud præceptum in omnium animis eſſe debet: neminem in ſtylo Latino ſequendum, niſi optimum & præjudicatæ autoritatis ſcriptorem: quales ex antiquis ſupra notavimus; ex recentibus autem oppido cenſemus pauciſſimos eſſe. Nimirum in eo quoque plurimum erratur, quod ſtudium Latini ſermonis memoria tantum & quadam colligendi induſtria æſtimatur, judicio vel nullo, vel minus accurato adhibito; quæ confuſio judicii & ἀταξία plurimum in hac re dedit damni, ſemperque dabit. E. g. quicquid legunt plerique, quod vel Latinitatis nomine celebratur, vel quacunque opinione toleratur, illud indiſcriminatim ad ſuam ſibi imitationem rapiunt; cum tamen longe alia deceant alios, argumentique diverſitas, inſtituti ac propoſiti ratio, eloquentia ipſa per certas ætates ætatumque gradus & intervalla longe aliam poſtulent in talibus cautionem. Idcirco non ſtatim nobis debet ſubjici illa cogitatio: ita loquitur aut ſcribit ille aut iſte vir doctus; hac formula utuntur illi, quorum ſcripta non ſunt ignobilia; & quæ ad hanc formam plura animum diſcentis poſſunt diverſe trahere. Nam judicium de Autoribus & ſtylis non eſt incipientis aut proficientis ætatis, ſed maturæ perfectæque eruditionis. Itaque ſi in ulla re, certe in ſtudio eloquentiæ, opus eſt tantiſper probatiſſimorum magnorumque virorum conſilia ſequi, donec

donec ad eam profectuum maturitatem pervenrum erit, quæ jam poſſit ipſa ſubtiliſſimo huic negotio propius mentem intendere.

§. 7. Priusquam plane concludamus, non poſſumus, quin repetamus admonitionem noſtram de frequentiori ſcribendi exercitio. Certè inter præcipua hujus ſtudii intertrimenta merito numeramus communem illum & longe lateque diffuſum ſcriptionis neglectum; dum plerique credunt, ſe auſcultando, legendo aut meditando poſſe attingere eum finem, qui hic ſpectatur. At vero res longe aliter ſe habet, quippe niſi aſſidua ſcriptione eliciantur profectus memoriæ & judicii, nihil agas, quantumvis de cætero ſatagas.

§. 8. Atque hæc ſunt, quæ in hanc Diſſertatiunculam ex infinita ac longe lateque patente diſciplina viſum eſt contrahere; partim ut compendioſam haberent ſui ſtudii judiciique regulam, qui Latinæ elegantiæ ſtudio tenentur; partim ut his velut indiciis ad fontes ipſos deducerentur, qui pleniores hac de re informationes deſiderant.

§. 9. Claudimus voto, Deumque ter Optimum Maximum precamur, ut inter alia liberalia ſtudia Latini quoque ſermonis, quo plurima maximaque humano generi bona voluit communicare, puritatem conſervet, animosque diſcentium à perfunctoria diſcendarum linguarum ratione ad ſolidioris profectus amorem ſuo numine nutuque traducat, ut hæc quoque pars ſit Divinæ Gloriæ, ſi munera nobis divinitus conceſſa paulatim incipiamus reverentius ac diligentius tractare.

SCEPTRUM

XI.
SCEPTRUM APOLLINIS.
Ad
Illuſtriſſimum Comitem
GUSTAVUM DE LA GARDIE &c.
cum
UBSALIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
munere fungeretur.
cIↄ Iↄc LXVI.

ILLUSTRISSIME DOMINE,

SI, ut Poëtis, ita Sermonum ſcriptoribus, mos eſſet, Deos Deaſque loqui, & immortalitatem dare hominibus, vitamque & lucem in terris ingenii & facundiæ ope attribuere iis, quæ ſplendere, audirique ac cerni deſierunt; pulcerrima mihi ſurgeret commemorationum ſeries, ex nuntiis, de Tua virtute, & ſceptro tutelari â Muſis Ubſalienſibus in manus tuas juſte pieque tradito, ad nos magnificos rumores ſtrenue perferentibus. Conſentanea enim eſſet oratio, ſi quis diceret: communi Deorum Dearumque, quibus ſæculi novi condendi cura eſt, annuente conſilio; Muſis agentibus; quarum voluntati, ut ſemper, Charites ſororia harmonia congruerent; Apollinem delegiſſe, Juvenem ſibi ſimillimum, ſtirpis celſitudine, animi corporiſque elegantiâ, morum ſuavitate, doctrinarum varietate, Juventutis longe Principem; cui ſceptrum, & vices ſuas, regimenque Muſicum, cum elogio Muſagetæ, in

in Helicone Septentrionali, antiquiſſimæ celebritatis, applaudente Cælo, congratulantibus Horis, conferret atque demandaret. Sed, quæ Maronem aliquem poſtulant, relinquenda ſunt delicatioribus ingeniis. Mihi ſuffecerit, quaſi inter obſequia Te cotidie officii cauſa venerantium, aſſiſtere, & (quandoquidem ſecundiſſima, quæ de Te fertur fama, pridem efficit, ne abſentem credere queam, cujus præſentiſſima inſpicio merita) citra ſolicitudinem artis ac verborum, Comitatis Tuæ genium ſecurius & indiſerte propitiare. Quanquam enim, & hæc de Poëticis mutuata fabulis videantur, quæ de Sceptro Apollinis, ſi vacat aures præbere, cœptabam dicere: dudum tamen ætatem, in familiarem loquendi & philoſophandi conſuetudinem venit, ut ſapientia & animorum diſciplina, morumque & ſtudiorum compoſitio ac æqualitas, MUSARUM, & APOLLINIS vocabulis non minus, quàm propriis uſitatiſque nominibus, intelligeretur. Ea Platoni, ea ante Platonem Pythagoreis, ſevero ſciendi ſapiendique ſtudio incitatis hominibus, ratio placuit, ut divinum haberetur, quicquid muſicum nominarent. Abſit, quicquid in verbis à veritate alienum, vel temporum vel hominum ingenio, ſuſpectari poteſt: intelligatur pura & ſimplex falſique incomperta ſententia: qua Muſas, id eſt, ſapientiæ ſtudium, literarumque cognitionem ac intelligentiam, Apolline Duce & auctore opus habere, cujus & cithara demulceat, & auctoritas contineat, & pharetra propulſet, quicquid alumnas pacis artes & manſuetudinis magiſtras haud æquis oculis animiſque patitur, non jam vane aut ambigue credimus. SCEPTRI quoque vetuſtiſſima & ſanctioribus etiam literis non improbata religio, nil niſi decorum, honeſtum, illuſtre ſignificabit, quando Tua manu, ILLUSTRISSIME DOMINE, teneri ſceptrum Apollinis, Ubſalia, tanti Rectoris læta felixque auſpicio, promulgavit.

SCEPTRO regium imperium, & juris reddendi poteſtatem, & oratorium decus, ſignari, ita traditum eſt antiquis; ut omnem tamen hujus loci dignationem, ad divinam originem referrent. Per Deum jurare credebatur, qui ſceptri ſanctitatem nominabat; id quod magnum jusjurandum Homero dicitur. *Dei* vicem fungi, qui regeret imperio populos, aut jus gentibus diceret, videbatur. Sic regum erat ſceptrum, ſic judicum & magiſtratuum, ut illi à Deo, hi à regibus, auſpicia ſui muneris poteſtatiſque arceſſerent. Apud Platonem Minos ſceptro honeſtatur, ut

diſciplinâ divinâ eruditus intelligeretur. Ut enim regendi poteſtas, ita ſcientia, divinis cenſenda eſt natalibus: & eloquentia, validum boni regiminis inſtrumentum,eodem ſignificandi ſecreto, ſceptrum oraturi, ut inſigne præfert. Sceptrum Apollineum, ſub graviore quidem regno, regium tamen eſt: à Rege hominum Deorumque Regibus traditum, Regibus ipſis in parte muneris regalis habitum, & hinc vice ſacra gerendum, quibus viſum eſt, permiſſum. Imperatorii & Regii operis eſt, ut Academias inſtituere, ita regimen & conſilium Academiis deſcribere. Regum radiis fulget, quicquid in Academiis, honoris, juriſque eminet. Suam majeſtatem interpretantur Reges, cum Sceptrum Apollinis magnifico rerum verborumque honore attollunt. Submittunt merito ſceptra ſua Regibus auctoribus, Academiæ: & ubi Rex eſt, ceſſant omne regimen, & regiminis pignora: niſi quatenus Rex ordinis à ſe inſtituti ſpectaculo frui, & auctoritatem commendare voluerit. Cujus generis comitas in Ferdinando Hiſpaniæ Rege celebratur: qui in Academia Complutenſi, Sceptrum Apollinis, noluit Regiis inſignibus obſcurari, cum diceret: fas eſſe, ut in ædibus Muſarum, Muſis initiati regnarent. Et Jaſonem Mainum Juriſconſultum ſui temporis incomparabilem, non audire modo voluit Ludovicus Galliæ Rex Ligurum triumphator, ſed Academiæ appropinquans, cum exterior Jaſoni incedere cœpiſſet, Nunc, inquiebat, incipit regnum Tuum, Jaſon. Præclare autem in primis conſulunt rebus ſuis Academiæ, quæ non raro Sceptrum Apollineum, Principibus Juventutis deferunt, & ſummo loco natos Rectores ſibi præficiunt. Non enim jucundius modo ſplendet hoc ſceptrum in generoſa manu: ſed Regiæ originis propiorem refert indolem, cum ab iis geſtatur, qui àd latus Regum aſſidui ſunt eruntque. Gratulandum igitur eſt Ubſalienſi Academiæ, de more, ſemper quidem pulcre, nunc etiam exquiſite uſurpato, cum Rectorem optavit ex illâ Domo, in quâ tot Regum Oculi & Manus exſplenduerunt; quæ Regiarum totiens curarum Mens & Anima fuit. Cujus hoc quoque merito eximium fertur, quod non præmatura modo GARDIORVM, ſed longa ac diuturna Rempublicam virtus beavit. Avus Tuus, GVSTAVE, cum viginti quatuor annorum eſſet, jam magnis exercitibus ſummo cum imperio præfuit: rebuſque excellenter fortiterque geſtis in juventute, Neſtoris ſenectam Sueciæ inter ardua curarum negotiorumque repræſentavit. Parentem

quoque Tuum, prudentiæ maturitas juvenilibus in annis auguſto Senatorum Regni concilio inſertum, omni pacis bellique munerum, honorum, conſiliorum tractatu, ad principatum civilium artium, Magni Cancellarii officio debitum, provexit. Neque ad ulteriora eundum eſt, ut oſtendamus, ſatis te amplis doctoribus inſtructum eſſe, Majoribus ac Parentibus Tuis. Cum præſertim Materna, non animi modo ornatiſſimi virtus, ſed ortus Sereniſſimi indoles, domeſtica Tibi & ingenita bona, exuberent. Quanquam vero Tu ſponte Tua pridem meditari aſſueveris, quod magnus parens, filio non minores in ſpes nato, graviter præcepit;

Tu facito, mox, cum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et PATER ÆNEAS, & AVVNCVLVS excitet HECTOR:

Naturæ tamen dotes, & fortunæ beneficia, iis artibus munienda ſtatuis & adornanda, quibus Reſpublica nunquam ulla niſi invita, nec impune, caruit. Eos Te feciſſe in hac contentione ad gloriam profectus memorant, quibus contigit Tuis ſermonibus recreari, Tuis ſtudiis intereſſe; ut ſcientiæ & judicii de Muſarum & Apollinis negotio, tibi præcipuum, & ſupra ætatem, vere GARDIUM decus aſſerendum ſit. Quam belle convenit iſta laudatio tempori? quo Ubſalia viris literiſque præſtantibus excelſiſſime florens, non modicam incrementi ſui partem Parentis Tui elegantibus ac felicibus curis debet. Hunc enim, ut Regno, ita Academiæ, Cancellarium Fortuna Reipublicæ dedit: hunc Apollinem, Muſis Suedicis præfecit: hujus meritis ſuffragari & reſpondere Rectoris Filii imitatricem induſtriam voluit: ut jam nunc, immortalitatis, ad quam Te fata Tua ducunt, auſpicium faceres, & regiminis electiſſimi experimento, tanquam omine & pignore futuri complementi, primulum patriſſares. Semper quidem cogitationibus Tuis honeſtiſſimæ jucunditatis voluptas, alacritatem & gratiam adſpirat; non alias magis tamen Te dulci hilaritatis genio affici crediderim, quàm cum inter viros eruditos verſaris; modo hujus, modo illius ſapientia frueris; omnibus ut Patribus, ut Doctoribus, Sceptri Apollinei Veneres benignitate concilias. Juvat Te, videre, audire, laudare, cœtus egregiorum juvenum, decora ſtudia æmulantium: Commilitones vocas, Amicos, Cives; incorrupto Rectoris honore; qui nunquam felicius, apud cordata pectora,

quam

quam remittendo, intenditur. Adjicis conſilium, & conſilio illuſtrius exemplum Tuum, ut intelligatur: hæc illa eſſe tempora, quibus Patria in profectu, virtus civium in æmulatu, non inæquales ſucceſſus portendant, ſi conſtantia adſit, & laborum contentio, & induſtriæ diſpenſatio. Non ſine admiratione & applauſu hactenus deprehendi in Suecis hac tranſeuntibus & ad me familiariter inviſentibus, non vulgaris doctrinæ ſpecimen, & ad ſolidiora ſemper connixuri ſtudii propoſitum. Minuitur admiratio rei, ubi Principum, quibus placere eruditi civis haud poſtrema laus & cura eſt, exemplo in majus attolli, & decora Sceptri Apollinei auctoritate invitari ad Muſarum ſacra, induſtriam Academiæ, comperimus. Aureum eſt Sceptrum Apollinis, ad inſtar luminis, quod Soli debent, quæcunque non involvuntur caligine. Muſarum enim, quas regis, GUSTAVE, ſcientiis ac doctrinis Orbem terrarum illuſtrari, nemo niſi in meridie cæcutiens, negaverit. Nec fulgor tantum, metalli illuminantis, ſed gratia, pulcritudinem oſtentantis, Tui meriti imaginem habet. Aurei oris elogio Eloquentia, patrium tibi decus, ſignatur. Sceptro manum antiquitus inſtruebant, qui benignas aures, diſertis orationibus ſuis poſtulabant. Quàm eſt impetrabile genus audientiæ faciendæ, Sceptrum Apollinis Illuſtriſſimo Juventutis Principi prælatum, in officina Sapientiæ, in æde Muſarum! Nihil niſi prudenter meditatum, ornate expreſſum, exibit ex ore Rectoris, cujus pectus Muſæ, vultum inſedere Gratiæ; qui Apollinis perſonam gerit, cui facundia gentile bonum eſt. Talem eſſe oportebat Rectorem, quem Academia, non ut ceteros elegit, ſed præ ceteris expetivit, ut ſuis rebus in meliorem ſtatum vertendis, & felicitati conſummandæ neceſſarium uniceque unicum. Itaque ſceptrum Tuum non minus ad poſteritatem inſigne, quàm in præſentia venerabile, habebitur: atque in memoriis Ubſalienſibus, velut in peplo Minervæ, eminebit argumento, placebit titulo. Interea compoſita ad reverentiam & cultum, non GARDII magis nominis, quam meriti Tui, Academia Tibi aſſurgit, Te concinit, Tuum tribunal circumſtat. Non enim Præſidis tantum curam & ſolicitudinem agnoſcit; ſed Judicis quoque gravitatem veretur. Quanquam vix opus eſt, ut judicis cenſurâ corrigantur, qui exemplo Tuo emendari, pulcerrimum obſequii genus credunt. Non abeſt tamen Sceptro Apollineo aut abeſſe poteſt ampla juris dicendi poteſtas. Mirari ac pæne

indignari ſubiit, quod inter Academias juris reddendi facultate maxime inſignes, Ubſaliam non enumeravere, qui hoc ſibi negotii argumentique ſumſerant. Vidi ipſe, & interfui, cum me conſeſſu concilii, ut partem ſui corporis, dignaretur Academia, quanta cognitionis diligentia, quanta juriſdictionis auctoritate, etiam capitis ſententia in reum ſtudioſum pronuntiaretur, à Senatu Academico, cui Rector præſidebat. Ei in Aulam miſſæ, ſi non intercedit manus Regia, executio ſtatim ſequitur. Præſto etiam eſt ſemper numeroſa manus, imperii Academici miniſtra, apparitoribus, vigilibus, quos vocant, horumque præfecto conſtans. Quali apparatu, nec Apolline, nec Themide dignius quicquam nominari poteſt. Id quod, in honorem regiminis Tui, prætereundum non exiſtimavi, inter eximia ejus Academiæ complura: quæ accuratius literis ad exteros prodi, publice, ni fallor, intereſſet.

Sed geſtitas Tu quidem, ILLUSTRISSIME DOMINE, Sceptrum, ut Regis Tui auſpicio, Apollinis decore, Gardii nomine, Rectoris officio, Academiæ famâ, dignum eſt; ſed geſtitas circumſcripto menſium numero: niſi quod memoriam hujus meriti Tua Virtus & Hiſtoriæ genius æternam præſtabit. Eſt autem, eſt profecto ratio in mundo, in Tua Domo, in Tua indole, nihil mortale aut caducum ſpirante, quæ efficiat, ut Sceptrum Apollinis nunquam manu Tua excidat. Ea Tibi cum Apollinis artibus, cum Muſarum doctrinis, cum Gratiarum elegantiis, commercia intercedere cœperunt, ea familiaris conſuetudinis jura, mutuis invicem documentis, ſancita ſunt; ut neceſſitudinem tanta religione contractam, nullus caſus interrumpere, nulla dies intermittere queat aut finire. Perpetuus Tuus in literas, in literarum alumnos, amor; perpetua de ſtudiis liberalibus quaquaverſum bene merendi voluntas, proprium Tibi faciet hujus ſceptri honorem. Nunquam Muſæ Te Duce volent carere: ſive Apollinis auſpicio, ſive Herculis tutelæ, quem & ipſum Muſageten celebrarunt, meritum Tuum fas fuerit aſſimilare. Interioris & reconditioris eſt elogii gloria, vere Apollinea, quæ principatum omnis Muſici generis Tibi perpetuat; rariſſima nimirum illa ingenii doctrinæque excellentia, & quæſitiſſima virtutum policies, jam tum ad eminens longe lateque decus progreſſa, ætatiſque deinde incremento, cœlo itura. Quicquid eſt ubique eruditorum, huc ora obvertet ſua: & in Septem Trionibus ſplendorem, ipſis ſideribus pulcriorem, venerabitur.

Ibit

Ibit in Poëtarum carmina, in Oratorum numeros, in Sapientum commentarios, Tuum nomen, Apollineis plenum deliciis, Apollineo celebre Sceptro. Nullum erit Muſeum, nullus hominum bonas res intelligentium aut amantium conventus, ubi non in argumentum jucundioris ſermonis veniat: Eſſe in Suecia Illuſtriſſimæ Domus inclytum germen, cui familiare ſit, præſidia ad rempublicam tractandam ex nobilioribus literis petere; Apollinis ſecreta, Muſarum opes, optimum civilis vitæ theſaurum credere; ingenio ſcientiarum utilium amplitudinem complecti, judicio abdita penetrare; virilibus curis animum, ſapienti eloquentia linguam exercere. Ita Te deſignabunt non Juventutis modo, ſed ingenii & doctrinæ principem; & ſceptri Apollinei honorem Tuo Nomini, Tuæ Familiæ proprium perpetuumque ominabuntur, conſentientia nationum ſtudia ac officia: ut in poſterum hoc Sceptrum Apollineum, more Homerico, ad inſtar Agamemnonii ſceptri, ſucceſſione laudis in plures ſceptri dominos propagatæ, prædicandum ſit: niſi quod ibi diverſis è locis, hìc in eadem domo GARDIA, inventa ſunt & invenientur nomina complura, ſuſtentato hoc decore inſignia. Frueris hac fama Tui in Gallia, quo mox contendis: atque tum alia ſæculi ornamenta, tum hujus quoque gloriæ, novæque in Apollinem & Muſas munificentiæ Regiæ conſilia, opera, miniſteria demiraberis. Denique, quo Te cumque Tua, noſcendis regnorum populorumque moribus, provehet ſtrenuitas, Tui mores, Tuæ laudes Tibi occurrent: Teque felicem ſceptri, teſtabuntur.

Quid? ſi patereris, ILLUSTRISSIME DOMINE, me, ad itinera ſapientiæ augendæ deſtinata accincto Tibi, ex Muſeo narrare, non fabulam, ſed conſilium, quod Apollini pridem curæ cordique eſt, interque ſæculi noſtri erudita deſideria merito numerari debet. Procopii hiſtorica monumenta, quàm ſint neceſſaria integrando ejus ævi argumento, & ponendæ in conſpectu Reipublicæ, non ignoras. Hœſchelianis curis Græcam editionem debemus. Latinè, qua fide ac ingenio interpretati ſint complures eruditi viri, vetus & juſta querela eſt. Niſi quod Hugo Grotius Vandalicorum & Perſicorum elegantem (ut erat ſingulari dexteritate in hoc munere obeundo verſari ſolitus) verſionem dedit: & Arcanam Hiſtoriam egregie Latinam fecit Nicolaus Alemannus. Eſt autem Romæ in Vaticano, Codex Hœſchelianis longe plenior melior-

meliorque: ex quo ſi ſupplerentur, quæ habemus, & cæteris quoque improſpere converſis libris contingerent interpretes, non minore, quam modo laudati, diligentia aſſueti, prodiret Opus totum Procopianum Græcolatinum, eâ integritate ac dignitate, qua nunquam publicatum eſt. An Byzantinorum Scriptorum in Galliâ Editoribus, hoc totum, quod dixi, Procopii ſpecimen, debiturus ſit in poſterum Orbis, in expedito Tibi erit cognoviſſe. Quod ſi autem hîc accideret, quod in Codino accidit, cui nondum acceſſere, quæ ex Vaticanâ Bibliothecâ inſignia & copioſa poterant adjungi ſupplementa: in medio palmam adhuc repoſitam, ut ambiant Mæcenates, & Apollini ac Muſis amica capita, conſilii & fati eſt. GARDIA virtute, cui nihil impervium, digna corona. Cumque in Bibliothecis etiam Arcana Hiſtoria à Vaticanis Codicibus diverſa ſuperſit, hinc quoque bene de Muſis merendi occaſio eminet. Neque deerunt, qui interpretationi omnium eorum, quæ nondum cum cura & fide converſa ſunt, auſpicio Sceptri Apollinei adjuti, manum admoveant. Sed quo dilabor? Tibi conſilia Muſis & Apollini gratificandi, domi naſcuntur; neque Tuam perſpicaciam facile præterierint, quæ huc ſpectant. DEUS Te, ILLUSTRISSIME DOMINE, cui debes tantum hactenus decoris, tantum deinceps ſpei, ſoſpitet! DEUS Te conſervet! DEUS hunc annum, totius ævi Tui (quod longiſſimum eſſe, Reipublicæ cauſa optandum eſt) ut ornamentum, ita ſpecimen conſtituat! Vive ſæculi gemma, ſpes Patriæ, ſolatium & præſidium Muſarum; Vive, & Sceptri Apollinei decus immenſum locupleta. DEUS faxit! Scr. Argentorati 3. Januarii 1666.

Illuſtriſſimo Nomini
Stemmatique Tuo

demiſſo obſequio & reverentia
dicatiſſimus

JO. HENRICUS BOECLERUS.

IN-

INDEX.

A.

Aron ſ. Acheron, Perſ. R. 10. 29.
Abbates armati in hoſtes irruentes. 155. *ſq.*
Abbo Monachus S. Germani. 150.
Abdirhaman Saracen. Rex. 92.
Abotriti. 8. 24. 42. 67. *ſq.* 186. 205. 287. *ſq.*
Abrahamus Carveni Rex. 65.
Accuſatores, eorumq; officium. 507.
Academ. ſceptra. 570. *ſqq.*
Adalbero Epiſc. Metenſis. 208.
Adalbertus Berengarii Ital. R. filius. 243. 246. 248. 260.
Adalbertus Ep. ſcriptor vitæ S. Hariolphi. 171.
Adalbertus Pragenſis Epiſc. 291.
Adalbertus primus Archiep. Magdeburg. 278.
Adaldagus Archiepiſ. 260. *ſq.*
Adalgarius Epiſcop. 139. *Hamburg.* 162.
Adalgiſus Beneventanus Dux. 102. *ſq.* 107.
Adalochus ædis & monaſterii Thomani Argent. inſtaurator. 73.
Adalbertus Tuſciæ Marchio. 170.
Adelheidis Ludovici Balbi uxor. 136.
Adelheidis Henrici Auc. ſoror. 185.
Adelheidis Henrici Auc. filia. 187.
Adelheidis Ottonis I. uxor. 214. 234. *ſq.* 251. 265. 269. 281. 283.
Adelheidis Lotharii Ital. R. uxor. 242. *ſq.*
Adelheidis Ottonis II. filia. 270. *ſeq.*
Adelmus ſ. Ademarus Benedictinus. 18. 39.
Ado Viennenſis Archiep. 150.
Adrevaldus ſ. Adelbertus, l. Albertus, Floriacenſis Monachus. 163.
Adventius Metenſis Epiſc. 123.
Advocatorum officium. 507. *ſq.*
de Paulo Æmylio judicium. præfat. p. 2. 24.
Ærarium. vid. Reditus.
Ærarium ſanctum quid fuerit apud Romanos. 515.
Æthelſtanus, Adelſtanus, ſ. Alſtanus, Angl. R. 203. 207. 210. 213. 240. 259.
Agapetus Pontifex Rom. 149. 243. 258. 262.
Agareni (vid. Hungar.) 91. 179. 253.
de Agellio judicium. 541. *ſq.*
de Agrariis militibus leges Henrici I. 198. *ſq.*
Aimoinus. 76.

Alanvicus ſ. Altuvicus Epiſc. Arg. 292.
Albategnius Syrus, 171.
Albertus ſ. Adalbertus Comes Bamberg. 167. *ſq.* 172. *ſq.*
Albertus ſ. Adalbertus Bonifacii filius. 139. 141.
de Albizii Stemm. Princ. judicium. 350. 500.
Albuinus Carolum, Caroli Calvi filium, confodit. 134. *ſq.*
Alcuinus. 34. 39.
Aldelmi carmen. 40.
Alemannia. 132. *ab Hungaris vaſtata.* 177. 179. 204.
Alexander M. quare cum Dario pacem facere noluerit. 318.
Alexander M. per medios hoſtes ad eminentẽ curru Dariũ ruens. 550.
Alexander Conſtant. VIII. tutor. 179.
Alexander III. Papa an collum Frider. Barbaroſſæ calcaverit? 439.
Alexander VI. Papa. 119.
Alodum, Alode. 18.
Alphonſus II. Aſtur. & Legion. R. 10. 30.
Alphonſus M. Hiſp. R. 64. 114. 148. 161.
—— *IV. Hiſp. R.* 180. 207.
—— *V.* 288.
Alſatia vaſtata. 204. 238. (*vid. Eliſacia.*)
Alſtanus Epiſc. Angl. 92.
Altfridus Epiſc. Monaſter. 97.
Althaimenſ. Concil. ſ. Synod. 177. 182.
Amalphitani. 130. *ſq.*
Ambroſii liber de Officiis commendatus. 490.
Amicitia exter. ad tutelam Imp. pertinet. 10.
Amici Principum. vid. Conſiliar.
Ammiani Marcellini hiſtoria commendata. 508.
Amſivarii. 7.
Amundus, Olai Suec. R. filius. 289.
Anaſtaſius Presbyter, Bibliothecarius. 96. *ſq.*
Anaſtaſius III. Papa. 169. *ſq.* 181.
Anathematum fulmina temp. Caroli M. 37.
Andelahenſe cœnobium. 146.
Apud Andernacum clades. 128.
Angelberga ſ. Ingelberga Eximperatrix. 139.
Angelfredus Aquilejenſ. Patriarcha. 260.
Angelomus. 97. *ſq.*
Angelſcalco orient. Boj. præfecto oculi exſculpti. 159.
Angelus ante Henricum I. geſtari ſolitus. 203.
Anglia à Danis omni genere calamitatum vexata. 288. (*vid. Britann.*)
Angli à Carolo M. adjuti. 24.
Angl. parricidarum barbaries. 309.
Anglorum bella contra Danos. 114.
Animorum notitia. 362. *ſq.*
Annonæ cura. 520. *ſq.*
Annos Chriſti Epiſtolis &c. primus addidit Carolus Craſſus. 147.
Ambroſius Ansbertus Gallus monachus. 163.
Anſcharius Archiep. 72.
Anſegiſus Epiſc. 138.

INDEX.

Anſgarda Ludov. Balbi uxor. 136.
Anſgarius. 114.
Antipater Boſtrenſis. 39.
Apollinis ſceptrum. 569. *ſqq.*
de Apulejo judicium. 541. *ſq.*
Apulia Ott. I. vectig. facta. 255. *ſq.*
Aqua calida & frigida innocentiam demonſtrandi mos (vid. Ferrum) 133. 149.
Aquila Aquiſgranenſis. 275. *ſq.*
Aquiſgranenſe Concilium. 70 *ſq.*
Aquiſgranum. 6. 16. *ſqq.* 217. *ſq.* 220. 247. 272. 274. *ſqq.* 281. *amiſit ornamenta.* 90.
Aquitania, Aquitani. 110. 140.
Arabes in plures princip. diſperſi. 29.
Arabum libido 30.
Aragoniæ juſtitia. 65.
Arcana Politica. 379. *ſq.*
Archicancellariatus Gallicus. 469.
in Archiepiſcopos quantũ jus habuerit Carolus M. 32. *ſq.* 259. *Otto I.* 259. *Otto II.* 278. *Otto III.* 291.
Architectura civ. & mil. politico commendata. 497.
Archiva ſub Carolo M. 17.
Arelatenſi præfecturæ præfectus Hugo. 158.
Arelatenſis regni Epiſcopi proceresq; Boſonem Regem faciunt. 132.
Areopagiticum judicium. 506.
Argburg, Horburg. 56.
Argentaria, Argentuaria, Argentina, (vid. Strasburg) 56. 82.
Argentinenſis Epiſcopus in Lotharingiam profugit. 238.
de Argentorati excidio fabula. 252.
Argent. Bibliotheca multi libri ab Erkanbaldo Ep. traditi. 263.
in Ariſtotelem peccans Miltonus 307.
de Ariſtotelis Polit. & Eth. judicium. 355. 498.
—— *de ejusdem Rhetor.* 368.
Arlus ſ. Carolus VI. Suec. R. 115.
Arneſia, Harniſch. 197.
Arniſæus commendatus. 343. 498. *ſq.*
Arnulphus Imp. 142. *ſq.* 147. 152. *ſqq.* 185.
Arnulphus Metenſ. Epiſc. 143.
Arnulphus (ſ. Arnoldus) Bavariæ Dux, 173. *ſqq.* 178. 186. 189. *ſqq.* 192. 200. 206. 208.
—— *ejus filii Ottoni I. Imp. rebell.* 236. *ſq.*
Arribannus. 109.
Arſenius Ortenſ. Epiſc. 116. 118. 120.
Artabasdus Conſtantino Copronymo oppoſitus. 26.
Artaldus Archiep. 208. 262.
inter Artemenem ſ. Artobazanem & Xerxem de ſucceſſionis jure controverſia. 231.
in Artes liberales ſtudium Caroli M. 38. *ſqq.* *Ludov. Pii.* 75. *ſq.* 80.
Aſſer, ſ. Aſſerius, ſ. Aſſerio. 171.
de Aſtrologia judicium. 496. *ſq.*
Aſturum à Pelagio inſtauratum. 29.
Aſtyages ſtrenuus belli Dux. 432. *ſq.*
Aſylum an in ædibus Legatorum. 420.
Atho Canuſſius. 243

de Atlantis Tabb. Geogr. judicium. 349.
Attila flagellum Dei. 169.
Attuarii. 7.
Avaricum ſ. Hunnicum bellum. 25.
Auceps cur Henricus I. dictus. 187.
de Aventino judicium. præf. p. 1.
Auguſtana Comitia. 246. 262.
Auguſtinus de Civ. Dei commendatus. 540.
Auguſti tit. 221. 225. 229.
Aulæ diſciplina temp. Ottonis I. Imp. 250. ſq.
de viro Aulico quis ſcripſerit. 344. ſq.
Aumonius ſ. Ammonius monachus Floriacenſis. 292.
Aurelianus Clericus Rhemenſis. 163.
de Aurelio Victore judicium. 534. 537. 539.
Aurelius frater Froilæ. 29.
Aurei Velleris Equ. Ordo. 474. ſq.
Aurum viceſimarium. 515.
Auſtregæ. 245.
inter Auſtriæ Archid. & R. Bohem. famil. pactum ſucceſſ. 457. ſqq.
Autorum Latin. 3. claſſes. 534. ſqq.
—— quomodo tractari debeant. 542. ſqq.

B.

Baba Henrici I. ſoror. 185.
Bajazetis Turc. Imp. clades. 471.
Balduini Flandr. Com. ſatelles Fulconem Archiep. Rhem. interficit. 170.
Baldus Epiſc. Argent. 278. 292.
Baltrannus ſ. Baldramus, ſ. Waldramus, Ep. Arg. 170.
Barcinonæ fatum temp. Lotharii I. 91.
Barclaji ſcripta commendata. 345.
Bardas. 91. 98.
Barones an fuerint temp. Caroli M. 16.
Baſileæ vaſtatio. 177.
Baſilius Macedo Imp. Conſtantinop. 103. ſqq. 113. 123. ſq. 150.
Baſilius junior. 276.
Baſilius Pontifex. 149.
Baſilius & Conſtantinus Romani III. Imp. Conſtantinop. filii. 254.
Baſilius Eunuchus. 255.
Bavaria, Bajoaria. 132. 136. 236. ſq.
Bavari Hungaros vincunt. 178. ſq.
—— ab Ottone I. tranquillati. 213.
Bavar. Nobilitas pleraque clade abſumta. 167.
Beda venerabile nomen. 38.
Beheimenſium regnum. 132.
Belgarum mores. 394.
apud Belgas minus celantur arcana. 301.
Belgica Hiſtoria commendata. 347. 349.
Beliſarius an innocens oculis orbatus fuerit. 439.
Bellare an fas ſit Chriſtianis. 308.
jus Belli unde petendum. 516.
in Bello civili difficilior eſt reconci-
liatio

liatio pacis quam in externo. 519.
de Bello ſi deliberatio ſuſcipitur, quid attendendum. 515. ſqq.
Bellum gloria paranda cauſa ſuſceptum an ſit legitimum. 429. ſq.
Benedictus III. Papa. 95. 115. 124.
—— IV. 169. ſq.
—— V. 258. ſq. 261. ſq.
—— VI. 277.
—— VII. 277. 289.
Beneficii ſ. Feudi amiſſio. 248. ſq.
Beneficia ſ. Feuda morte accipientis finita. 250.
Beneventani. 91. ſq. 101. ſqq. 131. 276.
Beneventanus Princeps in fidem Ottonis I. ſe tradens. 255.
Benno Ep. Metenſis excaecatus. 208.
Berchtoldus, Suevus Conr. I. Imp. rebell. 175. ſqq. 179.
Berengarius Forojulienſium Dux. 131. 145.
—— Italia Rex. 153. ſq. 157. ſq. 165. ſq. 168. 171. 175. 179. 185. 205. ſq. 242. ſq. 246.
Bern, Suec. Rex. 72. (v. Biorn.)
Bernardus Hiſp. limitis Comes Cubiculo Ludov. Pii praefectus. 46. 49. 54. 88. 92.
Bernardus Italia Rex. 43. ſqq. 50. ſqq.
Bernardus Epiſc. Hildesh. Capellanus Regius & Magiſter Ottonis III. 281.
Bero Comes Barcinonenſis. 49.
Bibliorum verſio à Carolo M. emendata. 34.
Bibliorum verſio in Ling. Theudiſcam. 73. (vid. Scriptura S.)
Bignonius laudatus. 296. ſeq. 299.
Biorno, Biornus, Suec. R. 31. 66. 72.
—— IV. 115. 149.
Haraldus Blaatand Dan. Rex. 257. ſq. 288. (vid. Harald.)
de Guil. Bleau lib. de Globis judicium. 349. 500.
Bochardus laudatus. 309.
de Bodino judicium. 345. 499.
Bodo Diaconus Judaeus factus 74.
Boëmanni ſ. Bohemi. 8. 112. 186.
—— baptizati. 97.
—— tributarii facti. 204.
Bohemica bella temp. Ottonis II. 270. ſq. 273. ſq.
—— temp. Ottonis III. 283.
inter R. Bohem. & Archid. Auſtr. famil. pactum recipr. ſucceſſ. 457. ſqq.
Boineburgius El. Mogunt. Miniſter laudatus. 325. ſqq.
Boleslaus, ſ. Boizlaus, ſ. Bolizlaf, Bohemia Princeps fratrem Wenceslaum occidit. 237.
Bolizlaus Bohem. Dux. 274. 283. 287. ſq.
Bonifacius Comes Corſica. 61. ſq. 65.
Bonifacius VI. Papa. 161.
—— VII. 277. 289.
Bonna Carolus IV. coronatus. 17.
Bonnenſe Pactum inter Henr. Auc. & Carol. Simpl. 195. ſq.

Bonnenſis Synodus. 262.
Borna Dalmatiæ Dux. 61.
Boſo Caroli Calvi uxoris frater. 131. *ſq.* 140.
— *Provinciæ Regulus.* 139.
— *Comes.* 194. 196. *ſq.*
Brandeburg. urbs devicta. 211. 287.
— Brennaburg. 204. 287.
Brandenburg. Princip. & Electoratus ſeculo XIV. *vacans.* 452.
Brautamundus Suec. R. 66.
Bredæ obſidionis deſcriptio notata. 299.
de Bremenſis Eccleſiæ diœceſi litigantes Homburg. & Col. Epiſcopi. 162.
Joſephus Bringas. 254.
Briſacenſis obſidio. 231. *ſq.* 238.
Britannia fanaticis hominibus plena. 308. (*vid. Angl.*)
Britanniæ Regum cædes ac diſcordiæ. 31.
Britannorum mores. 394.
Britones. 42. 110. 112.
Britonum Reges. 108.
de Britonum regno certamina. 133.
Bructeri. 7.
Bruningus. 232. 244.
Bruno Ottonis I. *filius.* 214.
Bruno Colonienſ. Præſul, Henrici Auc. filius. 187. 239. *ſqq.* 252.
Bulgaria, Bulgari. 141. 148. 168. 180.
Bulgari ad Chriſt. relig. perducti. 123.
Bulgarica bella. 26. *ſqq.*
Bulgarica pax. 91.
Bulgarorum inſolentia. 62. 112.
Burcardus, Suevorum Dux. 175. *ſqq.* 206. 266.
Burchardus Dux Thuring. 168.
Burchardus Alemanniæ Dux. 186. 190. *ſq.*
Burgundia. 140.
Burgund. Jurenſ. regnum. 155.
Burgundus, Nic. commendatus. 349.
Byrca, Byrcanum jus. 72.
Byzantinorum ingenia. 29.

C.

CAduceatores. 387. *ſq.* 401.
Calabria Ottoni I. *vectigalis facta.* 255. *ſq.*
Cambyſes ad Ammonis templum expugnandum exercitum mittit. 436.
Camera nuntii. 176.
Camerarii officium. 216. *ſq.*
Campanarum conſecratio. 265.
Campania à Saracenis vaſtata. 285.
Campi vox duellum notans. 14.
Campus mendacii, Campus mentitus. 56.
Cancellarius eſt inter Conſiliarios præcipuus. 511.
Canis Hungar. legatis datus. 204.
Canum portatio. 244.
Canuſſii obſidio. 243.
Canutus Lodnecnud Dan. Rex. 181.
Capitula ſ. Leges Ludovici Pii. 48.

Capi-

Capitula Ludovici II. 106.
—— *Caroli Calvi.* 131.
Capitulare Caroli M. 12.
Cappidus Staurienſis. 183.
Capua à Saracenis capta, ab Ottone III. *recepta.* 285.
Capuanus Princeps in fidem Ottonis I. *ſe tradens.* 255.
Carinthiæ Ducatus conceditur Ottoni Auſtr. Duci & Fratri Alberto. 450. *ſqq.*
de Carionis Chronico judicium. 346. 499.
Carlomannus, Caroli Calvi filius, oculis privatus. 134. *ſq.*
Carlomannus Ludov. Balbi filius. 136. 140.
Carlomanni rebellio. 112.
Carnutum, Carantanum. 132.
Carolingi. 224. *ſq.*
Carolinæ periodi fatalis terminus. 143. 154. *ſq.* 173. 175.
Carolus M. 2. *ſqq.* 143. *ſq.* 154. 217. *ſq.* 224. 259. 265. 282.
Carolus II. Calvus. 57. 80. *ſqq.* 86. *ſqq.* 93. 108. *ſqq.* 116. *ſq.* 127. *ſqq.* 163.
—— *ejus filii.* 134. *ſq.*
Carolus III. *Craſſus.* 140. 142. *ſqq.* 155. 225.
Carolus Simplex. 136. 143. 154. *ſq.* 175. 177. 192. *ſqq.* 195. *ſq.*
Carolus Ludovici Germ. filius. 127. 132. *ſq.*
Carolomannus Lud. Germ. filius. 127. *ſq.* 132. *ſq.* 136. 139. 143.
Carolus Martellus. 154.
Carolus Pulcher Gall. Rex. 453.
ſub Carolo IV. *Imp. pactum ſucceſſionis recipr. inter Regiam Bohem. & Archid. Auſtr. familiam.* 457.
Caroli IV. *proſpera & adverſa fama.* 465.
—— *diploma de occultis judiciis ſ. tribunalibus liberis.* 460. *ſqq.*
—— *diploma Cunoni Archiep. Trevirenſi datum.* 467. *ſqq.*
Coroli V. electio. 480. *ſq.*
Carolus V. non æſtimabat Ordinem Aurei Velleris. 475.
Carolus Lotharii R. Franc. frater. 272. *ſq.*
Carolus VI. Suec. R. 115.
Caroli Burgundi clades & interitus. 479. *ſq.*
de Caſtalionis notis in S. Script. judicium. 492.
Caſtellæ provincia quare à Regibus Legionis defecerit. 161.
Catti. 7.
Ceadragus Abotritorum Rex. 53.
Celeadragus Wilzorum Rex. 53.
Cendeboldus. vid. Zundiboldus.
de Cenſu quis ſcripſit? 345.
Centenarii. 108.
Chamavi. 7.
Characteres politici. 363. *ſqq.*
Charta Principis nomine in imo ſignata Legatis dari ſolita. 399.
Chauci. 7.
Chemiſſem, monaſteriũ puellarũ. 159.
Chiupiam Dan. Regem Henricus I. baptizari fecit. 268.

de Cho-

de Chokier judicium. 356.
Chriſtierni Suec. & Dan. Regis deſtitutio. 482.
Chriſtina Suec. Regina. 294.
Chriſtophorus Pont. Rom. 169. ſq.
Chriſtophorus Romani Lacapeni filius. 180.
Chronologia quomodo addiſcenda, 350. 503.
Chuono cognom. Churzibolt. 189. ſq.
de Ciceronis operibus judicium. 344. 367. 534. ſqq. 539. ſq.
Cicero boni Advocati limites transgreſſus. 508.
Cinnenſia Comitia. 246.
Civilis prudentia. vid. Politic.
Civis bonus an ſemper vir bonus. 360.
an Civitas poſſit conſiſtere ſine legibus. 428. ſq.
Civitatis ſumptus. 515.
Civitates Imp. in libertatem aſſerta. 192.
Claſſis Hiſp. invincibilis clades. 485.
Claudius Clemens, Altiſiodorenſis Epiſcopus. 39.
Claudius Taurinenſis. 39.
Clerici civilibus negotiis non abstinentes. 252.
Cleri mores temp. Ludov. Pii. 48. 70.
—— temp. Ludov. II. 120.
—— temp. Ottonis I. 264.
contra Clericos conjugatos Synodus. 263. 278.
Clinodia Imperii Germ. 18. 188. 215. ſq. 222.
de Cluverii Geographia judicium. 349.
Colonienſis Archiep. conſecrandi Regis Rom. munus vindicans. 215
Colonienſia Comitia. 239. 249.
Coloniæ Rupertus Palatinus coronatus. 17.
Cometa temp. Ludov. Pii. 78.
Comineus commendatus. 349.
Comitum dignitas hereditaria. 192. olim non ita. 250.
Comites Epiſcopis comparati. 15.
Comites Regum. 15. ſq.
Comitis Palatii dignitas. 15. ſq.
Comes ſtabuli. 15. ſq.
Comitia ſub Carolo M. 14.
—— ſub Ludovico Pio. 44. 48. ſq.
—— ſub Lothario I. 87.
—— ſub Carolo Craſſo. 146.
—— ſub Arnulpho. 158.
—— ſub Henrico I. 201. ſq.
—— ſub Ottone I. 239. 244. ſqq.
—— ſub Ottone II. 274.
Commiſſarii. 391.
Compendium. 136. ſq. 138.
Compendienſ. Concil. ſ. Synod. 71. 134.
Compurgatores. 160.
Concambium prædiorum. 177.
Concilia ſub Carolo M. 32. ſqq.
ſub Ludovico Pio. 70. ſq.
Concubinæ Caroli M. 4.
Conradus I. Imp. 172. ſqq. 224.
—— II. & III. 177.

Conradus Sapiens. 232
- - *Ottonis I. Imp. gener.* 235. *ſqq.*
Conradus Rufus Lothar. Dux & Burggr. Wormatienſ. 213
Conradus Dux Moſellanus. 166
Conradus Francorum Comes & Thuring. Dux. 172. *ſq.*
Conradus Comes Stratlingenſis, pater Rodulfi Regis. 155
Conſcientiæ prima cura ſit Legato, altera fama. 413
an ſecundum Conſcientiam, an vero ex actis & probatis, judex ſententiam pronuntiare debeat? 507
Conſecratio Ottonis I. Imp. 215. *ſq.*
Conſiliarii eorumque officium. 510 *ſq. uſque ad* 525
Conſiliariis propria magiſtra eſt hiſtoria. 513
de Conſiliario quinam ſcripſerint? 345
Conſiſtoriani. 511
Conſtantinus VI. Copronymus. 26. 63
de Conſtantini donatione error. 26
Conſtantini elephantiaſis. 26
Conſtantinus VII. 27
Conſtantinus VIII. Porphyrogenitus. 113. 179. *ſqq.* 182. *ſq.* 242. 253. 276
Conſtantinus IX. & X. 276
Conſtantinus Romani III. Imp. Conſtantinop. filius. 254
Conſtantinus Alexii filius inſidiator Conſtant. VIII. 179
Conſtantinus Eunuchus. 179
Conſtantini M. enſis. 210
Conſtantinopolis capta. 476. *ſq.*
Conſultantes perſona, conſultandique facultas. 509. *ſqq.*
Conſultationum finis. 525. *ſq.*
Contractio orationis commend. 559
Controverſiæ exerc. 555. 557
Conzenius commendatus. 345. 399.
de Cornelio Nepote judicium. 350. 501. 534. 536. *ſq.* 546. 548. *ſq.*
Corona Imperatoris. 220. *ſqq.*
Crœſus in regnum refugiens. 433. *ſq.*
Cunoni Archiep. Trevir. datum à Carolo IV. diploma. 467. *ſqq.*
Curtius commendatus. 348. 350. 501. 539. 549. *ſqq.*
Cuſſales Hung. Rex. 158. 168.
Cypri regnum. 478
Cyrus filios hortatus, ut veterum monumenta aſſidue evolverent, &c. 426

D.

Dalmanci Henr. I. tributarii facti. 186
- - *Hungaris canem projiciunt.* 204
Dancmarus Henrici I. frater. 185
Dancmarus ſ. Danquardus, ſ. Thancmarus, Henr. I. ex concubina filius. 187. 232. *ſq.*
Danevvirck. 258
Dani Lutetiam Pariſiorum invadunt & incendio tradunt. 111
- - *magnam Germaniæ partem vaſtant.* 111. *ſq.*
- - *ab Anglis victi.* 114. 148. 181
- - *ab Henrico I.* 205. 211
- - *Ottoni rebelles.* 271
- - *Angliam omni genere calamitatum vexant.* 288 (*vid. Normann.*
Danorum Reges in Anglia. 114
Dapiferi officium. 216. *ſq.* 233. 251
Darius in prælio curru ſublimis eminens. 550

Declamator Academicus. 340
Delatores an tolerandi? 507
Deliberativa prudentia. 509. *ſqq.*
Deliberationii forma & finis. 524. *ſq.*
Demagogica pravitas. 464. (*vid. Populus.*)
de Demoſthene judicium. 343
Paulus *Diaconus.* 39
Dialogi commendati. 556
Diffuſio orationis commend. 559
Dingelfingenſis Synodus. 208
Diodorus Siculus commendatur. 346
Dionyſii Areopagitæ reliquiæ. 163. *ſq* 195. 203
Donatio Ottonis Eccleſiæ Rom. facta. 258. *ſq.*
de Donatione Conſtantini error. 26
Donus Pontif. Rom. 258
Donus II. 277
de Douſa judicium. 349
Dragumoſus. 61
Drogo Epiſcopus Metenſis. 70
- - *Mediomatric. Epiſc.* 94
Drungarius. 179
Chriſtian. *Druthmarus.* 39
Ducatus morte accipientis finiebantur. 250
- - *temp. Ludov. II. non plane hereditarii.* 108
- - *an temp. Henr. Auc.* 192
Duces Metropolitanis comparati. 15
- - *an Caroli M. temp.* 12. *Comites ſub ſe habuerint?* 15
Duella. 49. *ſq.* 245. 248. 275
- - *coërcentur.* 96
Duisburgenſis Synodus. 208
Dunſtanus Cantuarienſis Epiſ. 263 278
Duroſoſtum caſtrum. 194

E.

EAdgarus Angl. Rex. 257
Eberhardus ſeu Everhardus Franciæ Comes, frater Conradi I. Imp. 75. *ſq.* 178. 185. 189. *ſq.* 231. *ſq.*
Eberhardus Comes Godefridum Norm. R. interficit. 144
Eberhardi Præp. ſ. Decani Arg. migratio ad cellam erem. Meginradi 209
inter *Eberhardum & Bruningum diſſidium.* 232. 244
Ebo, ſ. Ebbo, ſ. Hebo, Remorum Epiſcopus. 58. *ſqq.* 70. 72. 96. 123
Ebrietas fugienda. 416
Eccardus Miſniæ Marchio. 276
Eccleſiæ miſer ſtatus ſub Arnulpho & ſeqq. Impp. 162. 169. 182
circa *Eclipſes imperitia.* 292. *ſq.*
Edgarus Angl. Rex. 263. 288
Edgitha ſ. Editha Ottonis I. uxor. 213. *ſq.* 249.
Edhilingi, Etlidi. 85
Edmundus Angl. Rex. 257
Edredus Angl. Rex. 257
Eduardus Angl. Rex. 181. 207. 288
Eduardi III. Ang. Regis controv. de ſucceſſ. in Regn. Gall. 453. *ſq.*
Edvvinus Angl. Rex. 257
Egbertus Angl. Rex. 32. 66. 92
Eginhardus. 18. 39
- - *an gener fuerit Caroli M.* 5
Egloni Moabitæ comparatus Henricus Gall. R. à Jacobo Clemente Monacho. 306
Ebudem imitaturus idem monachus 306

Ekkehardus junior. 250.*ſq.*266.270
an in *Electione Regis ſorte utendum?* 457.*ſq.*
Electi Imperatoris titulus. 220. *ſq.*
Electorum Principum origo 286.*ſq.*
Electoratus ſunt feuda maſculina. 459
Elegans quis dicatur. 548
Elfredus ſ. Ælfredus, Ethelvulfi filius, Angl. Rex. 148.*ſq.* 151. 161. 163. 171. 180. *ſq.*
Elfreda, Edgari Angl. Regis uxor. 288
Eliſabetha Carlotta com. Witgenſtein. 331.*ſqq.*
Eliſaza, Elizatium. 82.112. 194. 238 (*vid. Alſat.* & *Heliſat.*)
Eloquentia quomodo addiſcenda. 350 *ſq.* 501. *ſq.*
- - *Legatis neceſſaria.* 393.*ſq.*
Engelberga, ſ. Ingelberga, ſ. Angeldruda, Ludovici II. uxor. 102 118
Engelheimenſia Comitia. 239
Ennicus, ſ. Enico ſ. Ignicus Ariſta, Rex Navarræ & Aragoniæ primus. 65
Epiſcopi juvantes Ludov. Pium. 59
- - *contra Lud. Pium agentes.* 58. *ſq.* 75
- - *temp. Lud. Pii depoſiti.* 52.70
Epiſcopi an temp. Lotharii I. de Regno & Regibus judicaverint? 87. *ſq.*
Epiſcopi civilibus negotiis non abſtinentes. 252
Epiſcopi armati in hoſtes irruentes. 155. *ſq.*
- - *Ottoni I. rebelles.* 264
Epiſcoporum & Nobilium in Imperio factiones. 166
in Epiſcopos quantum jus habuerit Carolus M. 32.*ſqq.*
- - *Ludov. Pius.* 69.*ſq.*
- - *Otto I.* 259. 261. *ſq.*
- - *Otto II.* 278
Equites Aurati. 249
- - *Aurei Velleris. v. Aur.*
- - *S. Georgii. v. Georg.*
- - *Templarii. v. Templar.*
Eraſmi Moralia & Politica opuſcula commendata. 344
Erenger ſ. Erchanger, ſ. Erchinger, ſ. Freckanger, & Berchtoldus, fratres Suevi, Conr. I. Imp. rebelles. 175.*ſqq.*179
Eresburgum. 9
Erfurdenſis Synodus. 208
Ericus Dan. Rex. 93. 114
Ericus Barn. ſ. Puer, Dan. Rex. 114. 149.161.181
Ericus VI. & VII Dan. Reges. 181
Ericus Victorioſus Suec. Rex. 207.258
Ericus VIII. Suec. Rex. 258.288
Erkanbaldus ſ. Erchanbaldus Epiſcopus Argent. 263.*ſq.*278
Ermengarda Adelberti Eporediæ Marchionis vidua. 206
Erneſtus Ottonis I. privignus. 267
Erneſtus Saxoniæ Princeps. 330
Eſſchendunenſe prælium. 114
Eſſesfelt, Esfelt. 9
Ethelredus Angl. Rex. 148.288
Ethelvvoldus Wentanus Anglus. 279
Ethelvulfus Angl. Rex. 92. 114
- - *ejus filii Ethelbaldus ſ. Adalboldus,*

boldus, Ethelbertus & Ethelredus. 114
Ethica & Politica Studia non poſſunt omnia præceptis abſolvi. 343
Evangeliorum liber aureis literis ſcriptus è Gallia furto translatus Ratisbon. 163
Eugeberta: v. Gerberga.
Eugenius II. Pont. Rom. 73
Evindicatoria charta, ſ. præceptum Evindicatorium. 17
Eunuchi, fatale Orientis malum. 28
Eunuchis data legationes. 399
Euphemius Siciliæ præfectus. 63. 65
Euthymius Sardenſ. Epiſc. 76
Exempla politices. 498. ſq.
Exercitatio ſtyli commendat. 551. ſqq.
Exercitus congregandi celeritas. 199

F.

Fames magna. 100. 164.
Familiarum augmenta & detrimenta. 154. ſq.
Fati doctrina commendata. 360. ſq. 377. ſq.
Feciales. 387. ſq.
Ferdinandi I. electio in R. Rom. 482.
Ferro candenti innocentiam demonſtrandi mos. 126. 133. 146. 149
Feudi ſ. Feodi nomen an ante Friderici II. conſtit. reperiatur? 250
Feuda Imperii aperta Imperator concedit cui vult. 451. ſq.
Fides an perduellibus ſervanda? 407
Filii filiorum an inter filios computandi? 245
Flodoardus ſ. Frodoardus Presbyter. 266
de Floro judicium. 540
ad Fœdera adhibiti Legati. 415
Fœdus inire cum infidelibus an liceat? 415. 438. 476
Fœmina an capaces hereditatis. 453
Fœminis data legationes. 399. (vid. Mulier.)
Formoſus Pont. R. 156. ſq. 161. ſqq. 170
Forſtnerus laudatus. 326. ſqq.
Francia ſæpe Germaniam denotat. 264
Franciæ regna temp. Caroli Calvi miſerrime afflicta. 110. ſq.
Francia ab Hungaris vaſtata. 177. 204
Franciſci I. Gall. R. captivitas. 467
Francofurtenſe Concilium ſub Carolo M. 32. 34. ſq.
Franco-Galliæ ſcriptor notatur. 18. ſq. 307.
Franci Orientales & Occidentales. 47. 192. 224. ſq. 227.
Francorum reg. fines. 7. ſqq.
- - Leges. 10. ſq.
Francorum Reges qua lingua uſi ſint 98. ſq.
Francorum Imperium in partes diviſum. 85. 88. ſq.
Francorum imperatorum Regumque nomen Italis in contemtum venit. 145
Fraxinetus mons. 256
Freherus commendatus. 349
Freinshemius laudatus. 340

Frey-Gerichte, Frey-Stühle, Frey-Graffen, Frey-Schœffen. 460. ſqq.
Freye Geride. 469
Fridegardus Diaconus. 266
Friderici Barbaroſſæ collum an Papa calcaverit? 439
Friderici Imp. bellum ad Nuſſiam. 479
Friderici Auſtr. & Lud. V. electio. 446. ſqq.
Fridericus Archiep. Mogunt. 232. 236. 246. ſq. 264. ſq.
Fridericus Viennenſis Eccleſiæ Archiep. 262
Fridislaria. 172. 188. 246
Fridislarienſia comitia. 246. ſq.
Filingi. 85
Friſia. 7. 132. 144
de Ottone Friſingenſi judicium. præfat. p. 1. ſq.
Froila ſ. Froilla. 29
Froilla II. Hiſp. R. lepra defunctus. 161. 180. 207
Frotarius Epiſcopus. 139
Frotho Dan. Rex. 181. 207
Fuga media interdum militibus præcidenda. 433
an Fuga Duci quandoque ſit honeſta. 433. ſq.
Fulco Rhemenſis Archiepiſc. 150. 154. 170. ſq.
Fures milites facti. 199
Furonenſis conventus. 138

G.

Galli ab Ottone I. coërciti. 213
Gallica bella temp. Ottonis II. 270. ſqq.
Gallorum mores. 394. ſq.
Gallorum artes ab Hiſpanis, Hiſpanorum à Gallis obſervantur ac evulgantur. 301
Galli templum ſpoliaturi omnes perierunt. 437
Gallia locuſtis vexata. 126
- - *var. mod. afflictata.* 155. ſq. 192. 197. 204
Gallicana Eccleſia pene collapſa temp. Car. Craſſi. 147
Galliæ liberatrix puella Joanna Aurel. 473
in Regno Galliæ controverſia de ſucceſſione. 453. ſq.
Gallicum Germanico nomini conjunctiſſimum. 241
S. Galli monaſterium. 183. ſq. 251.
Garcias. vid. Sanctius. (265. 267
de la Gardie, Suec. Comites. 571. ſqq.
Garilianus mons. 148. 160. ſq. 180
Garſias R. Hiſp. 161. 180
Geographia quomodo addiſcenda. 349. 500
Geophardus Argentoratenſis vates divinus. 169
S. Georgii Equitum ordo. 478
Gerbirg ſ. Gerberga, Sanctimonialis, in fluvium projecta. 60
Gerberga ſ. Gerbunga ſ. Eugebertha, Henrici Aucupis filia. 187. 238. ſq. 241
Gerbertus Præceptor Ottonis III. poſtea Pontif. Rom. 281. 289. ſqq.
Germania Franciæ voc. notata. 264
Germania Concors. 340
Germanici Imperatoris titulus. 227

Germanicarum rerum cognitio commendata. 347
Germanorum genius. 394
Germanici ſermonis apud Germanos ignorantia. 558. (v. Ling.)
S. Germani corpus. 102
Gero Marchio. 253
Gero Comes à Waldano proſtratus. 275
Gero Archiep. Colon. 278
Giſelbertus Dux Lotharing. 175. 189. ſq. 193. ſq. 196. 216. ſq. 231. ſqq. 237. ſqq.
Gisla Godefridi Norm. R. uxor. 144
Gislebertus Lotharii I. filiã rapit. 83
Gislerus Archiep. Magdeb. 278. 291
Gladiatorium judicium. 245. (v. Duella)
Gladii traditio. 215. ſq. 222. 249
Glaſeri, Phil. Syntagma Hiſtoricum commendatum. 347
Gneſnenſis Archiepiſcopatus ab Ottone III. inſtitutus. 291
Godefridus ſ. Gotricus, Car. M. æmulus. 31
Godefridus Normannorum Rex. 142. 144. 160
Godeſcalcus Synodo Mogunt. damnatus. 96
Goldaſtus commendatus. 347
Gormones Dan. Reges. 207
Gotfridus Epiſc. Argentin. 182
Gothia à Normannis vaſtata. 197
Gozberti Comitis ſupplicium. 110
Gozlenus Abbas. 140
Græca lingua politico commendata. 492
Græci moris imitatio. 128
Græci victi ab Hungaris. 168
Græcorum in Francos Germanosque invidia. 105. 113
Gramanus veneficus. 160
Gramondus commendatus. 349
Gregorius IV. Pont. Rom. 69. 73. 94
- - contra Ludov. Pium cum filiis agit. 56
Gregorius V. 289. 291
Gregorii VII. machinationes. 33
Gregorius XIII. 260
Grimoaldus Beneventanorum Princeps. 44
Grimoldus Epiſc. Argentin. 163
Grona ſ. Grava, l. Gaua, urbs Dalmat. 204
Grotius notatus. 22
- - laudatus. 299. 441. 496. 500. ſq. 575
Grundrora, Grundruhr. 468
de Grutero judicium. 327
Guazzus laudatus. 344
Antonius Guevarra commendatus. 344. ſq.
Guido Ravennas. 150. (v. Wido)
Guillelmus Princeps Nordmann. 240
Gulielmus Archiep. Mogunt. 214. 265. ſq.
Guntharius Colon. Archiep. 118. 122
Guthormus Danus. 114

H.

Habdallas Amiras. 29. 64
Hadrianus I. Pont. Rom. 37. 259
- - quæ jura Carolo M. dederit. 32. ſq.
Hadrianus II. 103. 116. ſq. 124
- - - III. 145. 149
Hadvviga, Henr. Ducis filia, eruditio. 266

Conr.

Conr. Haopagus, vates divinus. 169
Hamburgum antea Hochburgum. 8. *ſq.*
Hamburgenſ. Archiep. 71. 200. 207
Hamburg. Eccleſiæ vaſtatio. 97
Haraldus & Regnerus ſocii Regni Dan. 66. 93
Haraldus Dan. R. 72. 207. 257. *ſq.* (*v. Blaatand. & Heriold.*)
Haſte. 108
Hatto Mogunt. Archiep. 165. 167. 173. *ſqq.* 176
- - *à muribus devoratus.* 267
Haymo Halberſtad. Epiſc. 76
Hebraica lingua politico commendata. 492
Hebræorum Hiſtoria quomodo tractanda ſit? 346
Heinſius de conſtitutione Tragœdiæ commendatus. 545
Heliſatia, Heliſazia, Alſatia. 56. 112 (*v. Alſat. & Eliſat.*)
Hemma Ludov. Germ. uxor. 132
Hemmingus Dan. Rex. 66. *ſq.*
Henninges Genealog. commend. 350. 500
Henricus I. Auceps. 173. *ſqq.* 178. 185. *ſqq.* 224. *ſq.* 257
Henricus Gall. R. à Jacobo Clemente monacho Egloni Moabitæ comparatus. 306
Henricus Rixoſus, Henrici I. filius. 187. 213. 230. *ſqq.* 233. *ſqqq* 238. 246
Henricus Dux Saxoniæ, Ottonis I. filius. 214
Henricus Bajoariæ Dux Ottonis II. patruelis, rebellis. 270 *uſque ad* 274. 282. *ſq.* 286. *ſq.*
Henricus Carinthiæ Dux regno Bohem. exutus. 450
Henricus Dux Caroli III. legatus. 144
Herevvede. 197
Heribannus. 109
Heribertus Comes. 154. 193. *ſqq.* 196. *ſq.* 240
Hericus ſ. Ericus Altiſſiodorenſis. 150
Herigerus Abbas Lobienſis. 279
Hermannus Suevorum Dux. 214. 242
- - *Colon. Epiſc.* 162
Hermingarda Ludov. Imp. filia. 131. *ſq.*
Herioldus ſ. Heriboltus, Dan. R. 66. *ſqq.* 72. 90. (*v. Haraldus*)
Heriſpojus Britonum Rex. 108
Herveus Archiep. Rhemenſ. 171
Hevelli. 186. 204
Hibernia pæne tota ad litora Franciæ migrans. 134
Hieronymus laudatus. 541
Hieroſolyma per Carolum M. recuperata. 25
Hildebrandus Pont. Rom. 225
Hildegarda Caroli M. conjux. 5
Hildegardis Lud. R. filia, regiis poſſeſſionibus privata. 159
Hildibertus ſ. Heribertus, *Archiep. Mogunt.* 214. *ſq.* 223
Hilduinus *Abbas.* 55
Hilduinus *ſ.* Hildovinus. 183
Hincmarus *ſ. Ingmarus, Ingumarus, Igmarus, Rhemenſ. Archiep.* 96. *ſq.* 137. 141. 147

Hir-

Hirmintrudes ſ. Hermintrudes Caroli Calvi uxor. 134. ſq. 138.
Hiſpania per Saracenos inquietata. 64. ſq.
Hiſpanica bella. 25. 33. ſq. 49.
Hiſpan. claſſis invincibilis clades. 485
Hiſpanorum artes à Gallis, Gallorum ab Hiſpanis, obſervantur ac evulgantur. 301
Hiſpanorum mores. 394
Hiſtoriæ ſtudium in quibus occupetur. 499. ſq.
Hiſtoria Conſiliario propria magiſtra eſt. 513
Hiſtoria propria eſt ſtudii Politici palæſtra. 345. 499
Hiſtoriæ adminicula. 349. ſq.
Hiſtoriarum lectio prodeſt ad parandam perfectam virtutem & curam Reip. 426
de Hiſtoriæ univerſalis compendiis judicium. 345. ſq. 499
Hoico Comes, Magiſter Ottonis III. 281
Homicidii pœna. 318. ſqq.
de Horatio judicium. 534. 538. 540. 547. ſq.
Horich ſ. Roricus ſ. Oricus, Dan. R. 68. ſq.
Horiveus Archiep. Rhem. 208
Hornejus commendatus. 343. 498
ab Hoſtibus an munera accipere liceat Legato. 423
Hotomanni Franco-Gallia notata. 18. ſq. 307
Hucbertus Abbas. 117
Hueſte. 108
Hugo Capetus Rex Gall. novæ Regum familiæ auctor. 285
Hugo Saxoniæ Dux, Ottonis II. filius. 270
Hugo Abbas & Marchio. 134
Hugo Lotharii filius. 144
Hugo Comes Arelatenſis. 206. 210. 158
Hugo Magnus Roberti Regis filius. 240. ſqq.
inter Hugonem & Heribertum Comites diſſidium. 196. ſq.
Humilis, cognomentum Henrici I. 187
Hungari. 112. 148. 158. 167. ſq. 174. ſq. 177. ſqq. 185. 198. ſq. uſque ad 206. 209. 244. 252. ſq.
Hunibaldus nugaciſſimus. 19
Hunnicum bellum. 25

I.

Jacobus Cypri regno admotus. 478
Jacobus Clemens monachus Regem Gall. Henric. interfecturus, Ebudem ſe eſſe ſibi perſuaſit. 306
Jactus marinus. 523
Ibnabala Saraceni fraus. 30
Icaſia virgo nobilis & erudita. 76
Iconoclaſtarum & Iconolatrarum factiones. 36
Ida Hermanni Suev. Ducis filia. 213. ſq.
Idiota. 171
Ignatius CPtanus Patriarcha dejectus. 121. 124. 141
Ignitorum vomerum examen. 146
de Imaginibus doctrina temp. Caroli M. 35. ſqq.
Imaginum cultores. 62. ſq. 72. 97. 264. ſq.

Imma

Imma Caroli M. filia. 5
Immo Epiſc. Noviocom. captus. 111
Imperatorium nomen in anguſtias redactum temp. Lud. II. 101. 105
—— *eviluit temp. Lud. III.* 137
de hoc nomine controverſia inter Baſilium & Ludov. II. 103. *ſq.*
Imp. nomen electioni debetur, non coronationi. 221. 225. 229
Imperatorum autoritas in conſt. Pontif. 149. 163. 169. 259. *ſqq.* 277. 291.
Imp. poteſtas in omnia monaſteria. 265
Imperii forma ſub Carolo M. 18. *ſq.*
Imperii Rom. translatio ad Germanos ſeu Francos. 21. *ſqq.*
Imperium in ſucceſſorem transferendi jus olim ad Imperatores pertinebat. 215
Imperium Germ. recte adhuc dicitur Romanum. 4:8
Indices Lambini & Giphanii commendati. 564
Ingelheimenſis Synodus. 262. *ſq.*
Ingeniorum notitia. 362. *ſq.*
Ingenium ſuum ex eorum qui reguntur ingenio moderari, inter præcipuas regnandi regulas eſt. 46
Inger Rex Ruſſorum. 256
Ingevallus ſ. Ingevaldus, l. Ingialdus, l. Ingellus, l. Ingiallus, Sueciæ Rex. 149. 161
Ingo II. Suec. Rex. 181
Injuriarum vindicatio. 528
de Inſcriptionibus judicia. 337. *ſqq.*
de Inſtrumentorum auctoritate conſtitutio. 168
Interregnum inter mortem Ludov. III. & Carol. III. imperium. 140
Inveſtitura tempor. Caroli M. non ignota. 33
Inundatio ex pluviis. 100
Joca in aula. 524. *ſq.*
Johanna puella liberatrix Galliæ. 473
Johannes Bohem. R. ejusque fil. Ducatum Carinth. poſtulantes. 450 *ſqq.*
Johannes (Johanna) VIII. *Pont.* 95. 115
Johannes IX. 117. 128. *ſqq.* 134. 137. 139. 141. 149. *ſq.* 156. 162. 166.
—— X. 181. *ſq.*
—— XI. 182. 207. *ſq.*
—— XII. & XIII. 243. 248. 258. *ſqq* 261. *ſq.* 265
—— XIV. XV. XVI. & XVII. 289
—— XVIII. 290
Johannes Tzemiſces Imp. CPtan. 254 *ſq.* 276
Johannis I. Gall. Reg. captivitas. 466. *ſq.*
Johannes Archiep. Ravennas. 119. *ſq.*
Johann. Hieroſolymitanus junior. 39
Johannes Comes Witgenſtenius. 331
Irene Conſtantini VII. mater. 27
Iſabella Eduardi III. Angl. R. mater. 453. *ſq.*
de Iſocrate judicium. 343. 518
Itali factionibus dediti. 152. 158. 270. 274. 282. 284.
—— *injur. vindictæ cupidiſſ.* 394

Ipſorum odia in Carol. Craſſum. 148
—— Seditioſiſſimi inter epulas interfecti. 275
Italia à Saracenis vexata. 130. ſq. 148. 167
—— Multiplici motu concuſſa. 145. 155. ſqq. 175. 186. 205. ſq. 242. ſqq.
er Italiam graſſati Hungari. 167. ſq.
Italiæ Imperium ad anguſtias redactum. 130
—— poſt mortem Caroli Calvi in ambiguo fuit. 136. ſq. 138. ſqq. 166.
in Italia temp. Otton. I. ferme nulla literarum ſtudia. 267
Judæus Sedechias medicus L. magni. 128
Judaiſmi fautor. 74
Judicia ſub Carolo M. 12. ſqq.
—— temp. Ludov. Pii. 49. ſqq.
—— Ludov. II. 107
—— Caroli Craſſi. 146
—— Arnulphi. 159
—— Ottonis I. 248
—— Ottonis II. 274. ſq.
Judicia occulta, Vemica. 460. ſqq.
Judicis officium. 505. ſqq.
—— lenitas. 318. 321. 505
Judiciaria. 106
Judicium practicum. 512
Juditha Caroli Calvi mater. 43. 45. 54. ſqq. 57. 59.
Juditha Caroli Calvi fil. Angl. Regina. 93.
de Junii verſione Bibl. judicium. 492
Julius Cæſar comendatus. 348. 350. 501. 534. 537. 546.
quæ Jura Politico diſcenda? 350. 500. ſq.
in Juris Civ. Rom. Corpore leges extant juſtitiæ parum conſentaneæ. 503
Jus Utile ſ. utilitatis. 503
Jusjurandum ab utraque parte litigantium præſtari ſolitum coërcetur. 96
Jusjurandum à Pontifice diſſolutum. 107
Juſtinianus an Beliſarium oculis orbarit? 439
Juſtini Hiſtoria commendantur. 346. 539
Juſtitia & Prudentia, duo vitæ lumina. 526
Juſtitiæ officia. 526. ſqq.
—— diviſio. 528. ſq.
Juventus flexilis eſt & inſtar ceræ mollis. 408

K.

Καθῆκον quid? 486. ſq.
Conradi Kauffungi facinus. 477
Keckermannus commendatus. 343. 498.
Kennethus II. Scotorum Rex. 93.
Kindiboldus. vid. Zundiboldus.
Kizo, Saxo, rebellis. 287
Κυνοφορία. 244

Kyrie eleiſon, teſſera prœliaris. 200

L.

LAcapenus Tyrannus. 129. ſq.
Lactantius commendatus. 495. 540
Lamberti factio contra Arnulph. Imp. 157. 175. 163. 165. ſq.
Lambinus commendatus. 564
de Lampridio judicium. 541. ſq. 545
Lancea ſancta. 203. 210.
Lanbertus Witonis filius. 139. 141
Landulfus Archiep. Mediolan. 284
Landus Pontif. Rom. 181
Lanfridus Anglus. 279
Languetus notatus. 307
Lanibertus. 43. 60. (v. Lanbert.)
Latini ſermonis facultas quomodo comparetur. 532. ſqq.
de Latinitatis Theſauris judic. 566
in ſtylo Latino nemo ſequendus, niſi optimus & prajudicatæ autoritatis ſcriptor. 567
Latinus ruſticus ſermo. 39
Latrones milites facti. 199
Latrocinia temp. Ludov. Pii. 62
—— in Anglia ſublata. 148
—— temp. Henrici I. 199
Laurentius martyr. 271
Lauriſhamenſis monaſterii privilegium. 108
Lazzi. 85
Legationis origo. 388
Legationes Divinæ, ſacræ. 389
Legatio libera, votiva. 391
Legatio nititur mandatis. 399. 413. ſq.
—— præſente populo non exponenda. 408
de Legatis quinam ſcripſerint? 345 386
Legatorum perfidia plures Principes perierunt. 386
Legati qui dicantur, eorumq; varia nomina. 386. ſqq.
Legatorum plurium in uno negotio uſus. 389. ſq.
Legatos mittendi audiendive jus quibus competat. 390. ſq.
Legati quales mittendi ſint. 392. ſqq. ad 399.
Legatis quam neceſſaria eloquentia. 393. ſq.
—— Fides, fortitudo, ingenii acumen. 397. —— pietas. 406
Legatus quare Principi ſuo juramentum præſtet. 400
Legati ſunt inviolab. 401. 419. ſq.
Legati comites quales eſſe debeant? 403. ſq.
—— uxor, familia. 404
Legatus quomodo excipiatur & admittatur. 405. ſqq. 416.
Legatorum congreſſiones. 407. ſq.
—— domeſtici, & exteri. 408
Legati, exploratores. 408. 421
Legatorum violatores. 401
Legatus qua lingua uti debeat? 409
—— quomodo audiendus? 410. ſqq.
Legati oratio qualis eſſe debeat? 410. ſqq.
Legatus quali ſtylo uti debeat. 411. ſq. 415. ſq.
—— ſemper reſpiciet mandata. 413. ſq.
—— an apud exteros conſilium dare vel accipere poſſit. 414. ſq.

Legati munus magnum eſt & venerandum. 402. 415. ſqq.
Legatus ebrietatem fugiat. 416
Legatis an liceat munera accipere. 417. ſq. 423. ſq.
Legatus ejusque comites an actionibus civilibus teneantur. 419
Legatus atrocioris ſceleris convictus, an puniendus? 419. ſq.
—— *num & quid Iditionis habeat in ſuam familiam.* 420
an in ædibus Legati aſylum. 420
Legatus Deum ſua religione ac more colit. 420
Legatis an clam abire liceat? 422
—— *qualia reſponſa accipiant.* 422. ſq.
Legati ad Principem, qui miſerat, redeuntes. 424. ſq.
Legatis neceſſaria eſt eruditio. 393. 425
Legatus reſidens. vid. Reſidens.
Leges Caroli Craſſi. 145. ſq.
—— *Conradi I.* 177
—— *Henrici I.* 197. ſqq.
—— *Ottonis I.* 249
—— *Ottonis II.* 275
—— *Ottonis III.* 286
Legis vis in quo conſiſtat? 502
Leges civitati accommodatæ eſſe debent. 502. ſq.
—— *quo ſignif. Ariſtoteles ſumat.* 521
—— *extant in Corp. J. Civ. Rom. juſtitiæ parum conſentaneæ.* 503
de Legibus quid deliberari ſoleat? 521. ſqq.
an Legibus ſit ſolutus Princeps. 526. ſq.
an ſine Legibus conſiſtere poſſit Reſpubl. 428. ſq.
Legislatoria prudentia. 502. ſqq. 521. ſq.
Legislatoris officium. 502. ſqq.
Legionis regnum à Pelagio inſtauratum. 29
Leo, cognomentum Ottonis I. 251
Leo IV. Imp. CPtanus. 26. ſq.
Leo V. 62
Leo VI. Philoſophus. 148. 150. ſq. 160. 169. 179. 209
Leo III. Pont. Rom. 37. ſq.
—— *Carolo M. coronam imponit.* 21
ejus cauſa à Carolo Magn. deciſa. 13
Leo IV. Pont. Rom. 95
—— *V.* 169 ſq.
—— *VI.* 207. ſq.
—— *VII. & VIII.* 208. 258. ſqq. 261. 264
Leo Epiſc. Theſſalonii. 98
Leo Phocas. 179
Leopoldus Cæſar. 339
an ex Lexicis lingua addiſci poſſit. 543. ſq. 564
Libera ſedes, Libera tribunalia. 460. ſqq.
de Conrado à Lichtenau judicium. præfat. p. 2.

Linguæ

Lingua Germ. & Gall. antiquiſſ. monumentum. 98. *ſq.*
Linpadt, Limbad, Linpfadt. 468
Lipſii Politica commendata. 343. 351. *ſqq.* *usq;* ad 385. 498. *ſq.*
Literarium duellum. 340
Literatorum fama à populo læſa. 290
Lites nec creſcere nimis, nec trahi diu judex patiatur. 506
Liudevvitus, Lintvvitus, Pannoniæ inf. ſ. Croatarum Dux. 61
Liudulfus ſ. Luidulfus, Henrici Rixoſi filius. 213
Livius com̃endatus. 348. 540. *ſq.*
Liuthfrid Conr. I. *Imp. rebellis.* 176. *ſq.*
Liuthvvardus. 145
Locuſtæ Galliam *depopulantes.* 126
Longobardicum bellum. 24
Longobard. regnum. 140. *ejus finis.* 30
Lotharingi. 193. 213. 232. 234. 236. *ſqq.* 240. 270
Lotharingiæ regnum. 89. 138. 144. 177. 193. *ſqq.* 239
—— *à Nortmannis vexatum.* 111
Lotharingia à Carolo Simpl. regno Galliæ adjecta. 175. 177. 195
—— *recuperata ab Henrico Auc.* 192. 196. 237
Lotharingica turba temp. Ottonis II. 271. *ſqq.*
Lotharius I. *patrem Imperio exuit.* 43. 54. *ſqq.* 59. *ſq.*
—— *à patre coronatus.* 45. 50. *ſq.*
—— *ejus vita.* 79. *ſqq.*
Lotharius Ludov. II. *frater.* 101. *ſq.* 112. 117. *ſqq.*
Lotharius Italiæ Rex. 214. 242
—— *Rex Galliæ.* 241
—— *Francorum Rex.* 272
Ludgerus. 39
Ludi Ludovici & Caroli Calvi. 89
Ludolphus Henrici *Auc. frater.* 185
Ludovicus XII. Celtar. R. uxorem, Caroli VIII. ſororem repudiat, ejusdemq; Caroli viduam ducit uxorem indulgente Pontifice. 119
Ludovicus Pius. 20. 42. *ſqq.* 154. 217 *ſq.* 220. 223
Ludovicus Lud. Pii fil. Bajoariæ Rex. 45. 51. 56. *ſq.* 59. 80. *ſq.* 86. *ſq.*
Ludovicus II. Lotharii fil. Rex Italiæ & poſtea Imperator. 85. *ſq.* 94 *ſq.* 97. *ſq.* 100. *usq;* ad 128.
Ludovicus Germaniæ Rex. 128. 132
Ludovicus junior, *Lud. Germ. filius.* 128. 132. *ſq.* 138. 165. 175
Ludovicus III, Balbus. 135. *ſqq.*
—— *ejus liberi.* 147
Ludovicus IV. 164. *ſqq.*
Ludovicus Ludov. Balbi filius. 136. *ſq.* 140. 143
Ludovici V. & Friderici Auſtr. electio. 446. *ſqq.*
Ludovicus Bavarus Ottoni Auſtr. D. & fr. Alberto Ducatum Carinthiæ concedit. 450. *ſqq.*
Ludovicus Boſonis filius excæcatus, 165. 175

Ludovicus Provinciæ Rex. 158
Ludovicus Transmarinus Gall. R. 237. *ſqq.* 241
Ludvvardus ſ. Luitvvardus Epiſcop. Vercellenſis. 146
Luidgarda, Arnulphi Imp. amita, relegata. 159
Luidgarda Ottonis I. *filia.* 213
Luidgarda Ludovici uxor. 165
Luidgarda Henrici Auc. ſoror. 185
Luidolfus Ott. I. *fil.* 213. 234. *ſqq.* 239. 243. 246. *ſq.* 252
Luidperti Epiſcopi ſumtibus Carolo Craſſo cibus & potus adminiſtrabatur. 147.
Luidvvardus ſ. Ludmardus, l. Truſardus Epiſc. Vercellenſis. 167
Luitpoldus ſ. Leopoldus orient. Boici limitis Dux. 165. 167. 178.
Luithprandus ſ. Liuthprandus. 266
Luſitanica Regia ſucceſſio. 484
Lutetia Pariſ. à Danis incendio tradita. 111
—— *à Nortmannis obſeſſa.* 150
de Lutheri verſ. Bibl. judicium. 492

M.

Machiavellus refutatus. 33. *ſq.*
apud S. Macram Synodus. 208
de Macrobio judicium. 540
Mady ſ. Muhamat, Turc. R. 29
Mausthurn. 267
Magdeburgenſis Cameræ. 249
—— *Civitas.* 249. *ſq.* 275.
—— *Conventus.* 283. 286
—— *Eccleſia.* 278
Magis Campus, Maj Campus. 14
Magnificus quis dicatur. 548
per Magnitudinem animi quid Cicero intelligat. 490
Majeſtatis diviſio in perſonalem & realem. 438
Majeſtatis crimen. 504
Joannes Mailroſius. 39
Major Domus. 15
Manaſſes Archiep. Arelat. 242
Mandata Legatis dari ſolita. 339. *ſq.* 413. *ſq.*
Manſionaticum, Manſionatici. 107
Manſus. 109
Mantalenſis conventus. 132
Mantuanus Princeps, Marchio creatus. 473. *ſq.*
Mantuanus Vicariatus. 466
de Manumiſſionis ritu edictum. 168
Marabenſium regnum. 132
Marchionum nomen. 210. *ſq.*
Marchionum dignitas hereditaria. 192
—— *antea morte accipientis finiebatur.* 250
Marchiones Saxoniæ. 68. 211
Marcus Eremita. 171
Mareſchalli officium. 216. *ſq.*
Margaretha Maultaſch. 450. *ſqq.*
Maria Arragon. uxor Ott. III. 282. 284
Maria Lud. I. *Hung. R. filia captiva.* 472
Maria Scot. Reg. ſupplicium. 484
Mariarum ludi anniverſarii. 206

INDEX.

Marinus (*ſ. Martinus* II.) *Papa.* 149. *ſq.*
Marinus II. *Junior.* 258
Maritus conjugis parricida. 317. *ſq. uſq; ad* 322
Marſnenſ. conventus. 87. *ſq.*
Matheſis politico commendata. 496. *ſq.*
Maultaſch. vid. *Margaretha.*
Mauregatus ſ. Margaretus ſ. Mauracatus. 29. 64
Mauri. vid. *Saraceni.*
Mauritii Martyris vexillum. 210
Maximiliani I. *electio in R. Rom.* 480
—— II. *capitulatio.* 482. *ſq.*
Mechtildis ſ. Mathildis l. Mithildis, Henrici I. *uxor.* 185. 187. 212. *ſq.* 233. *ſq.*
Medicis legationes data. 399
Medicorum uſus major quam dignitas. 267
Mediolanenſ. Reip. mutatio. 284
—— *urbs obſeſſa.* 284
Meditatio commendata. 552. 563
Meienfeld. 15
de Melanchthonis Chronico judicium. 346. 499
Meldenſis Synodus. 262
Meligaſtus & Celeadragus Wilzorum Reges. 53
Mercatura origo. 520
Mercii. 114
Mercurius, Legationis patronus. 391
Merovingi. 19. 224
apud Merſeburg. prælium. 203. 208
Mersburgum obſeſſum. 232
Metallica fodina. 268
Metaphyſica quatenus politico commendanda. 496
Metenſis conventus. 168
—— *urbs obſeſſa.* 194
Meteorologica pars Phyſica. 495. *ſq.*
de Meterano judicium. 349
Methodius Patriarcha CPtanus. 76
Metropolitanorum degradatio. 118
de Meurſio judicium. 349
Michael Curopalates. 28
—— *Rangab.* 62
—— *Traulus ſ. Balbus.* 63. 74. 76
Michael III. 91. 113. 123. *ſq.*
circa Milites quas leges tulerit Henricus I. 197. *ſqq.*
Militibus interdum media fuga præcidenda. 432. *ſq.*
Miltonus Anglus notatus. 306. *ſq.* 312
Mirabilia ſ. Miraculum mundi, cognomentum Ottonis III. 281
Miſico ſ. Mieſco l. Mieczlaus, Pol. Princeps. 253. 283. 288
Mithildis, Henr. I. *fil. prima Abbatiſſa Quedlinburg.* 187
Mithildis, Henr. I. *concubina.* 187
Moguntia obſeſſa. 234. 236
Moguntina Synodus, & Comitia Moguntina. 162. 176. *ſq.*

Mogunt.

Mogunt. Archiep. ſummus Pontifex. 188. *ſq.* 222. *ſqq.*
—— *ejuſd. munus in conſecr.* Reg. *Rom.* 215
—— *in Lotharingiam profugiens.* 238
Monachorum otioſorum commenta. 151
—— *vitia temp.* Ludov. IV. 169
Monarchia an præſtet Polyarchiæ. 427. *ſq.*
Monaſteria temp. Caroli M. 37. *ſq.*
—— *temp. Ludov. Pii.* 74
—— *Lotharii* I. 85
Moravi. 112. 152. 167. 169
Moriones in aulis. 524. *ſq.*
Mornaus notatus. 307
Moſchorum negotia. 301
Moſes Bar-Cephas Syrus. 97. 265
Moſtech. ſ. Moyſes Turc. R. 29
Muhamad. 29. 64. 91
Muhammedes Alfraganus ſ. Alfer-ganus. 171
—— *Aractenſis.* 171
Mulieres an deceat Regium ſolium aſcendere, & viris imperare. 430. *ſq.*
Mulieribus an bellum gerere liceat. 435
—— *in publicum prodire interdi-ctum.* 435. (*v.* Fœmina.)
Munera an & quæ accipere liceat. 417. *ſq.* 423. *ſq.*
Muſeum. 293. *ſqq.*
Muſica temp. Ludov. Pii. 77
de Mutio judicium. 5. & *præfat. p.* 1
Myſtagogus. 340
Mythologia. 495

N.

Nantoadis, cella monachorũ. 128
Navarra à Saracenis poſſeſſa. 65
Naudai Bibliographia Politica com-mendata. 345
Neapolitani. 130
Negotiationum origo. 520
Neuhuſii Theatrum Ingeniorum com-mendatum. 345
Neuſtria, Nortmannia. 140. 144
Nicephorus CPtanus. 27. *ſq.* 39
Nicephorus Phocas. 254. *ſqq.*
Nicolaitarum hæreſis. 150
Nicolaus I. *Pont. Rom.* 101. *ſq.* 116. *ſqq.* 120 *ſq.* 124. 126. 129. *ſqq.* 145.
Auguſtinus Niphus commendatus. 344. *ſq.*
Nobiles temp. Henrici I. *latrones* 199
Nobilium & Epiſcoporum factiones in Imperio. 166
Nobiles novitii. 392. *ſq.*
nova Nobilitati via panditur ad re-gnum. 154. *ſq.*
Nobilitati ab Henrico I. 211
Nomenojous ſ. Numenejus Brito-num Rex. 108

Northa-

Northanimbri. 114. 257
Nortmanni. 9. *ſq.* 42. 64. 68. *ſq.* 84. 92. *ſq.* 97. 108. *ſqq.* 111. *ſq.* 131. 134. 137. 140. 142. 144. 151. *ſq.* 160. 197. 241.
per Notas ſcribendi ars. 266
Notkerus Epiſc. Lobienſis. 279
Novellæ Leonis. 151
Numantini longa obſidione defatigati, prælio ſe accingentes. 433
de quartis Nuptiis diſſidium. 209

O.

OBotriti. 205
de Georg. Obrechti Secretis politicis judicium. 514
Occo Scharlenſis. 266
Occulta judicia. 460. *ſqq.*
Octavianus Papa. 260. *ſq.*
Oda, Henrici Auc. ſoror. 185
Odo, ſ. Otto, Caroli Simplicis tutor. 153. *ſq.* 159
Odo Muſicus. 163
Odo Severus. 266
inter Offam Merciorum Regem & Carolum M. diſſidium. 10
Officium quid ſit? 486. *ſqq.*
Officiorum rudimenta. 489. *ſqq.*
Olaus Skottkonung Sueciæ Rex. 288
Olaus Tretel. Suec. R. 161
Olbertus ſ. Albertus Monachus Lobienſis. 279
Omontobergomi (Ormontz) habita Synodus. 158
Orationes &c. Heinſii commendata. 464. *ſq.* (*v. Heinſ.*)
Oratores. vid. Legati.
Ordonius Hiſp. Rex. 64. 92
- - II. 161. 180. 207
- - III. IV. 207
Organa inventa. 40. *ſq.*
Os Porci. 94
Oſſatus laudatur. 301
Oſt. 108
Otbertus Ep. Arg. 170. 182
Otfridus Monachus S. Galli 99. *ſq.*
Otto I. Imp. 187. 189. *ſq.* 196. 201. 203. 209. 212. *ſqq.*
Otto II. 214. 240. 244. 251. 255. 258. 266. 269. *ſqq.*
- - III. 270. 280. *ſqq.*
Otto Sax. Dux Henrici I. pater. 165. 173. *ſqq.* 178. 185. *ſq.*
Ottoni Auſtr. Duci & Fratri Alberto Ducatus Carinthiæ cōceſſus. 450. *ſqq.*
de Ovidio judicium. 534. 538. 540
Oxathres Darii frater. 550
Oxonienſis Academiæ ortus. 163

P.

PAcis via ſemper bello præferenda. 518
circa Pacem quænam deliberari ſoleant? 518. *ſq.*
ad Pacem adhibiti Legati. 415. *ſq.*
de Pacis turbatoribus Comitia. 245. *ſq*
à Pactis an nūquā deſiſtere liceat. 527
Pactum recipr. ſucceſſ. inter R. Bohem. & Archid. Auſtr. famil. 457. *ſqq.*
Palatini Caroli M. 16
de Panegyricis judicia. 340. 376. 540
Pannonii. 42. 132. 145
Papia à Berengario capta. 243
de Paraphaſi monita quædam. 562
Paratragœdi 442. *ſqq.*
Pariſienſe concilium. 71. (*v. Lutet.*)
Parricidii pœna. 318. *ſqq.*
Pares Franciæ. 15
Paſchalis I. Pont. Rom. 70. 72. *ſq.*
Paſquitani certam. de regn. Britonum. 133

Paſtoralis muneris deſertores. 155. *ſq.*
Pater patratus. 387
Patriarcharum in Oriente mutationes. 96. *ſq.*
Patricii Rom. titulus. 228. 259
Patricii qui fuerint temp. Caroli M. 15. 21
- - *ab Henrico I. Imp. facti.* 211
Patrum lectio politico commendata. 494. 496
Paulinus Aquilejenſ. Epiſc. 39
Pax cum Turca facta an rumpi poſſit ſalva fide & religione? 476
Pecunia nervus belli. 516
Pecuniarum nomine quid veniat. 514
Peireskius laudatus. 302
Pelagius Aſturum & Legionis regnum inſtaurat. 29
de Petavii ſcriptis judicium. 350. 500
Franc. Petrarcha commendatus. 344
S. Petri ſpata. 137
Petrus Dux Venetus cogn. Tribunus. 168
Pfalburgeratus. 469
Philippi II. R. Hiſp. conſultatio de profectione Belgica. 483
Philippus Pulcher. Gall. R. 453. 455
Philippus Valeſius. 453. *ſq.*
in Philotam an juſte quæſtio decreta, ſuppliciumq; ſumptum ſit? 529 *ſqq.*
Phocas. 179
Photius Patriarcha CPtanus. 120. *ſq.* 123. *ſq.* 141. 150
de Phraſeolog. op. judicium. 564
Phyſices ſtudium politico commendatum. 494. *ſqq.*
- - *aliter tractandum à Theologo aut Medico, aliter à Politico.* 495
Pietas maxime commendanda. 513
de Pietate quid Lipſius docuerit? 360. *ſq.* 377. *ſq.*
Pincernæ officium. 216. *ſq.*
Pipinus cervicem leonis una cum cervice tauri uno ictu gladio ſuo præcidens. 6
Pipinus Ludov. Pii fil. Aquitaniæ Rex. 43. 45. 51. 54. *ſqq.* 57. 59. 81. *ſqq.*
Pipinus Craſſus. 154
Pipinus Comes. 154
Placentia Conradi I. Imp. uxor. 174
de Platone judicium. 343. *ſq.* 498
de Plauto judicium. 534. 536
de Plinii Hiſt. Nat. judicium. 541
Plinii Epiſtolæ commendata. 368. 501. 539
Plinii Trajanus oratorio potius quam hiſtorico opere adornatus. 329
Plutarchus commendatus. 343
Poëſeos ſtudium temp. Caroli M. 40
- - - *temp. Ludov. Pii.* 75
de Politico ſtudio bene inſtituendo. 341. *ſqq.* 440. *ſqq.* 491. *ſqq.*
de Politicis Lipſianis. 353. *ſqq.* (*vid. Scientia civil. & Prudentia*)
Poloni ſubacti. 253
- - *Chriſtiani facti.* 265
Polonorum mores. 394.
- - *negotia facilius enoteſcere ſolent.* 301
Polybius laudatus. 302. 386
Pompejus male judicans de præſentibus. 512
Pontifex largitionibus corruptus. 128. *ſqq.*
Pontificia ambitio & ſeveritas. 116. 118. *ſq.*

Pontificibus unde nomen mutandi occaſio. 94
in Pontifice creando auctoritas Imperatoris. 149
in Pontificem quantum jus Carolus M. habuerit. 32.ſqq.129.ſq.
in Pontifices Carolus M. indulgentiſſimus. 35
circa Pontif. conſtit. an Imperatoribus jus ademtum? 95.145.(*v. Imperat.*)
Pontificis autoritas in coronandis Imperatoribus (*v. Rom.*) 129.ſq. 156.166.227
Summus Pontifex, Archiep. Mogunt. 188.ſq.
Pontigonenſis Synodus. 134
Pontonarii. 108
Popielus junior, Pol. Princeps à muribus conſumtus. 77.ſq.
Poppo Comes Henneberg. 172
de Populi poteſtate ſcriptores quidam refutati. 307.ſqq.
de Portoriis leges. 168
Præcepta politices. 498
Prælio quandoque diſcedendum. 434
circa Præſidia regionum quæ deliberanda? 520
Praga obſeſſa. 204
de Primogenitis leges Henr. I. 197.ſq.
Princeps quem Legatus adiit, ad quid intentus eſſe debeat. 417
Princeps juvenis à frequentibus cum Legato colloquiis cohibendus. 408
Princeps utrum ipſe coram, an per internuntios negotia ſua expedire ac reſponſa dare debeat? 431.ſq.
- - *nihil ſine conſilio agat, & conſilio ſuo adjiciat etiam aliorum conſilia.* 509.ſq.
Principum amici conſiliarii. 510.ſq.
Principi joco conſilium inſinuari poteſt. 524
Principes juſtit. ſtudio præfulgeãt. 526
- - *an legibus ſint ſoluti.* 526.ſq.
Principatus trahunt aliquid de confinio Tyrannidis. 363
Προαίρεσις. 489
Procopii hiſtoria commendata 575.ſq.
Progymnaſmata. 553. 559.ſqq.
Proviſio annonaria. 520.ſq.
Prudentia & Virtus, duo rectores vitæ civilis. 359.ſqq.
Prudentiæ officia. 502.ſqq.
- - *diviſio.* 502
Prudentius jun. Hiſpanus, Trecenſ. Epiſc. 97
Puellæ Arabum libidini veluti tributum annuum conceſſæ. 30.64
Puella Aurelianenſis. 473
Pugnandi neceſſitas an nonnunquam militibus imponenda, reſectis fugæ mediis. 432.ſq.
Puoto. vid. Bodo.
Purgatio Friderici Archiep. Mogunt. cavillatoria. 264
Purgatorium. 151
Puteani Fratres laudati. 294.296

Q.

Quedlinburgenſis cœnobii prima Abbatiſſa. 187
- - - *conventus.* 283.286.291
de Quintiliano judicium. 541.ſq.557

R.

Rabanus Maurus. 40.76.99

Radbodus Friſiorum R. à Francis ejectus. 31
Radbodus Trajectenſis. 171
Radpyrga veneficus. 160
Radulphus ſ. Rathulphus Flaviacenſis. 171
Ragenarius ſ. Reginerus Montenſ. Comes. 239. *ſq.*
Raginerius & Lambertus, Raginerii Longicolli filii Ottoni II. rebelles. 272
Raherius ſ. Ratherius Veronenſis Epiſc. 210
Ramirus ſ. Ranimirus Hiſp. R. 64. 92
Ramirus II. 180. 207
- - *III.* 257. 288
Rampertus Brixienſ. Epiſc. 97
Rannulfus Aquitaniæ Dux. 112
Rapacitatis magiſtri. 515
Ratio Status. vid Status.
Ratisbona ſ. Reginoburgum. 153. 191
- - *obſeſſa.* 236
Ravennatenſis Synod. 162. 171. 262
Rebelles jure legationis non gaudent. 390. *ſq.*
Rebellion. crim. pœna. 246. 248.
in ærario ſ. Reditibus conſervandis & augendis quid attendendum. 514. *ſq.*
de Regalibus *variisque juribus ampliſſ. privilegiorum ſpecimen.* 467. *ſqq.*
Regenhardus Epiſc. Argent. 163
Regina abdicans. 339
Reginaldus Eiſtatenſis. 266
Reginfridus Dan. R. 66
Reginoburgum. vid. Ratisbona.
circa Regionum præſidia quæ deliberanda ſint? 519. *ſq.*
Regnerus & Heraldus ſocii Regni Dan. 66. 93
Regnum Laconicum. 521
Regna trahunt aliquid ex confinio tyrannidis. 363
Reipubl. quæ & quot ſint formæ. 521. *ſqq.*
- - *forma ex omnibus mixta.* 19
- - *morbi & remedia.* 522. *ſq.*
- - *mutatio.* 529. *ſq.*
Reſp. an conſiſtere poſſit ſine legibus. 428. *ſq.*
de Rebuspubl. Elzevirianis judicium. 347
Religionis negotium temp. Caroli M. 32. *uſque ad* 36
- - propagatio *temp. Ludov. Pii.* 71. *ſqq.* - - *Arnulphi.* 152
Religionis larva. 135. 167
Reliquiarum cultus. 72. 94. 203. 264. (*v. Dionyſ. & Sanct.*)
Remigius Antiſiodorenſis Monachus. 150
Remis Gall. Reges conſecrantur. 219
Remenſis Synodus. 291
Reſidens ſ. ordinarius Legatus. 388. 417. 421. *ſq.*
Rex, ῥῆξ. 105
Regum ſanctitas inviolabilis. 309
- - *poteſtas nulli humano judicio obnoxia.* 311
de jure Regio *male quidam ſcripſerunt.* 307. *ſq.*

Rhe-

Rhedarii ſ. Riaduri & Tolenzi. 186. 204
Rheginonis Abbatis Prumienſis Chronica. 171
Rhenum ſe exſiccaturum minatus Carolus Calvus. 128
Rhiuſtri Comitatus. 68
Ricardus Normanniæ Dux. 241
Richarda Caroli Craſſi uxor. 142. 146
Richenau, prope Conſtantiam. 151
Richildis uxor Caroli Calvi. 131. 136.
Richuinus Epiſc. Argent. 182. 209.
Ringo & Sivardus Reges Dan. æmuli. 66
Ripuaria lex. 11
Rixa, Henrici Auc. filia. 187
Robertus Comes, eximius bellator. 112
- - *frater Odonis.* 154. 192. *ſq.*
Rodericus, ultimus Gothorum Rex. 29
Rodulfus, Normannus. 111 (*v. Rudolph.*)
Rollo Normanniæ Dux. 181
Roma ab Arnulpho capta. 160
Roma mutata Reip. forma. 206
Roma ab Ottone I. defecit. 243. 260. *ſq.*
Romani largitionibus corrupti. 128
Romani perfidi. 270. 284. *ſq.*
Rom. proceres 13. *ſuſpendio interire juſſi.* 248
Rœmerzug. 145
Romani Imperii & Romani Imperatoris nomen. 24. 225. *ſqq.*
Romanæ ſedis autoritas. 37. 129. *ſq.* 134. (*v. Pontif.*)
Romanæ Synodi. 156. 162. 262. *ſq.* 278. 291
Romanus I. Pontifex. 162
Romanus Lacapenus. 179 *ſq.* 276.
Romanus III. Imp. CPtanus, Puer dictus. 253. *ſq.* 276.
Roncalienſis conventus. 274
Roricus Rex *Dan.* 68
Roſvida, Roſvvitha, erudita Sanctimonialis. 97. 213. *ſq.* 279
Rothadus ſ. Rhotaldus, Sueſſion. Epiſc. depoſitus. 125
Rudolph. Fuld. 79
Rudolphus ſ. Rodulfus, Hrotvulf. 153. *ſqq.*
Rudolphus Burgundiæ Rex. 193 *ſq.* 196. *ſq.* 203. 205. *ſq.* 210. 214
Rudolphus Rex *Jurenſis.* 197. 239
Rudolphi II. Imp. literæ ad Fœd. Belgii Provincias. 485. *ſq.*
Ruſſi. 180. *ſq.* 255. *ſq.*
- - *ad Chriſt. relig. perducti.* 123
Ruſtica Romana *lingua.* 39
Rutgerus Archiep. Trevir. 194
Ruthardus monachus Hirſaug. 97
Ruthardus ſ. Rothardus *Epiſc. Argent.* 209. 263

S.

Sacerdotes conſtituendi & deſtituendi jus ab Henrico I. in Arnulfum Bav. translatum. 191
Sacerdotum vitia temp. Lud. IV. 169 (*vid. Cler. & Monach.*)
jus majeſt. circa *Sacra temp. Caroli M.* 32. *ſqq.*
- - *temp. Lud. Pii.* 69. *ſqq.*
an rebus *Sacris parcendum ſit in hoſtilis terræ direptione.* 436. *ſq.*
Sacrilegorum tragici exitus. 436
Salica lex. 11. 453. *ſq.*

Salii. 7
de Salluſtio judicium. 353. 541
de Salmaſii lib. pro Reg. Angl. contra Milton.judicium. 306.310.ſqq.
- - *alia ejus ſcripta notantur.* 313
Salomo Conſtant. Epiſ. 176. 184
Sammonas, homo Agarenus. 148
Sanctius Garcias Rex Sobrarbæ. 65
Sanctius Craſſus Hiſp. R. 207.257
Sanctius Garcias Abarca. 257
- - - - *Tremulus.* 257
Sanctius Major. 257
Sanctorum cultus temp. Caroli M. 37 (v. Reliq. & Dionyſ.)
de Sanguine Chriſti fabula. 37. 209
Sanguinis fons, ſanguinea acies. 211
Saraceni. 9. 29. ſqq. 42. 64. ſqq. 84. 91. ſq. 95. 102. 112. ſqq. 130. 142. 145. 148. 160. 167. 180. 206. 256. ſq. 271. 276. 285.
Saracenici regni periodus. 64
Joh. *Sarisburienſis commendatus.* 344
Saxonia. 132. 287. ſq.
Saxonum 4500. à Carolo M. caſi. 4
Saxonum lex vetus. 11
Saxonicum bellum 32. ann. durans. 27
Saxones relig. Chriſt. imbuti. 84
Sax. Eccleſiarum vaſtationes. 182
Saxonum colonia Slesvici. 205. 211
Saxones rebelles decollati. 246
- - *Abotritos vaſtantes.* 287
Scabini, Scavini. 12
de Scaligero judicium. 500
de Scania Regis Suec. cum R. Dan. bella. 93.
Sceptri ſanctitas. 570. ſq.
Sceptri traditio. 216. 222
Schardius commendatus. 347. 368
Schola à Carolo M. inſtituta. 38
Scholarum diſciplina. 183. ſq.
de Scholaſticis ſcriptoribus judicium. 494
Scientia ſua unus homo cuncta complecti non poteſt. 313
Scientia à Conſtantino Porphyrogen. inſtaurata. 183
Scientia civilis tribus rebus cenſetur. 342. 382. 497. (v. Politic.)
Sclavi, eorumq; regnum & bella. 24. 42. 132. 152. 204. ſq. 274. 283. 287. ſq.
Scoti Normannos propellunt. 93
Scotorum errores. 96
ad Scribendum l. animum l. calamum fruſtra applicat, qui idonea argumenti cognitione non eſt inſtructus. 560
in Scribendo quæ ſint vitanda. 552. ſq.
Scriptionis varia ſpecies. 553. ſqq.
quæ *Scriptionis genera per gradus profectuum & ſtudiorum commendanda ſint?* 557. ſqq.
Scriptio Lydius lapis eſt, ad quam notitia Linguarum exigi & referri debet. 533
aſſidua Scriptio ſtudioſo eloquentiæ commendata. 533. ſqq. 568
Scriptura S. Legato commendata. 393
- - *Politico.* 492. ſq.
Sculdaxes, Sculteſii. 12
Secretarii legatorum. 403
Sedulius Scotus. 76
Segifridus Rex Normann. 160
Semiramis non auſa imperium palam tractare. 430
Semper Auguſti titulus. 221
de Seneca judicium. 344. 541. 546. 557.

I N D E X.

Seneſcalli dignitas. 15
Sergius II. Pont. R. antea Os Porci dictus. 94. *ſq.*
- - *III.* 161. *ſq.* 169. *ſq.* 208
Sergiana factio. 157. 161
Sergius IV. 290
Sicambri. 7
Sicarii facti milites. 199
Sicilia Saracenis occupata. 65. 92. 113. 148
Sifridus ſ. Sigfridus, Saxo. 216
Sigfridus Dan. Rex. pacificus. 31
Sigismundi caſus varii antequam Imperator fieret. 472
Sigismundus Imp. Mantuanum Principem creans Marchionem. 473. *ſq.*
Sileſia ad Chriſt. relig. perducta. 265
Sillo Legionis Rex. 29
Simeon Metaphraſtes. 163
Simoniaca hæreſis. 150. 201. 204
Sivardus III. Fro dictus, Suec. R. 66
Sivardus Dan. R. 66. 93
Sleidanus commendatus. 297. 346. 349. 499
Sleſvici conſtituta Saxonum colonia. 205. 211. 257
Sobrarba regnum. 65
Sol ſtans ſpatio 3. dierum. 41
Sorabi. 8
Sorlus ſ. Carolus VI. Suec. R. 115
an Sorte utendũ in electione Regis? 437
Spartanum regnum quale fuerit? 307
de Spartiano judicium. 541. *ſq.* 545.
Spectrum. 125. *ſq.*
Speculum Saxonicum. 11
de Spirit. S proceſſione controverſia. 37
Splendidus quomodo differat à ſumtuoſo. 548
de Statio judicium. 541
Ratio *Status.* 345. 381
Stauratius Imp. Conſtantinop. 28
Stelenſia Comitia. 244. *ſqq.*
Stellæ inter ſe volitantes. 185
Stellingua. 85
Stephanus III. Papa. 37
- - - *IV.* 72
- - - *V.* 149. 161
- - - *VI.* 156 *ſqq.* 161. *ſq.* 170. *ſq.*
- - - *VII. & VIII.* 207. *ſq.* 258
- - - *IX.* 258
Stephanus Leodicenſis Epiſc. 171
de Stobæo judicium. 368
Walafridus Strabo. 76
Famianus *Strada commendatus.* 349
Strasburg an antea Silberthal? 252 (*v. Argent.*)
Studiorum ſcopus. 491. *ſq.*
Theodorus *Studita.* 39
Stuhlgenoſſen, Stuhlvervvandten, Stuhlherren. 460. *ſqq.*
Stylus quotuplex. 547
Stylo quotidie aliquid temporis tribuendum. 552
de Stylis & Autoribus judicium non eſt incipientis, ſed perfectæ eruditionis. 567. (*v. Latin.*)
Suaſoria exerc. 555. 557
Suatebogus. vid. Zundiboldus.
Succeſſor Regni an leges pacta & conventiones anteceſſoris ſui ſervare teneatur. 438
Sueno ſ. Suenotho Dan. R. Anglorum domitor. 288
Sueſſionenſ. Synod. ſ. Concil. 171. 262
de Suetonio judicium. 350. 501. 503. 505 534. 537

Sue-

Suevia in Ducatum redacta. 176
Sumtuoſus quomodo differat à Splendido. 548
Suvithunus Angl. 92 *ſq.*
Sylvanectenſis Synodus. 291
Sylveſter II. Pont. Rom. 289
Georg. Syncellus. 39
Synodorum Eccleſ. autoritas profanata. 117. *ſq.*
Synodus Aquisgranenſis temp. Lud. Pii. 70
- - *Nicena II. in Synodo Francofurtenſi rejecta & damnata.* 34. *ſq.*
Synodi ſub Carolo M. 32. *ſq.*
- - *ſub Lothario I.* 96
- - *ſub Ludovico II.* 106. 119. *ſq.*
- - *ſub Carolo Craſſo.* 149
- - *ſub Arnulpho.* 162. *ſq.*
- - *ſub Henrico I.* 208
- - *ſub Ottone I.* 262
- - - - - *II.* 278
- - - - - *III.* 291

T.

de Tacito judicium. 299. 348. 384. *ſq.* 541
Tanaus Scyth. Rex. 419
Taraſius Patriarcha CPtanus. 39
Tartarorum res facile cognoſcuntur. 301
Taſſilo Bajoariæ Dux. 13. 17. 25
Taurominium à Saracenis obſeſſum & captum. 148
Templariorum Equitum ordo ſublatus. 454. *ſqq.*
de Terentio judicium. 534. 536
Tertullianus JCtorum ore loquitur. 545
Teutonicum regnum. 223. *ſq.* 226. *ſq.* 240
Theobaldus Comes Carnotenſis. 241
Theodora Theophili Imp. CPtani uxor. 63. 91. 97
Theodora Romani Lacapeni uxor. 180
- - *meretrix.* 181. *ſq.*
Theodoricus Camerarius. 140
Theodoricus Archiep. Trevir. 266
Theodorus Junior II. Pont. R. 162
Theodulphus Epiſc. Aurelian. 40. 75
Theologia Politico commendanda. 351. 383. 492. *ſqq.*
Theologi temp. Caroli M. 35 (*v. Cler. & Sacerd. & Monach.*)
Theophano & Theophania. 254. *ſq.* 270. 280. *ſq.* 283.
Georg Theophanes. 39
Theophilus Imp. CPtanus. 63. 90.
de Theophraſto Paracelſo judicium. 496
Theſes, exerc. valde æſtim. 556
Theutberga ſ. Thietberga, Lothar. R. uxor repudiata. 112. 117. 126
Thietgaudus ſ. Theutgaudus, l. Theotgaudus, archiep. Trevir. 117. *ſq.* 122
Thiota ſ. Theoda Pſeudoprophetiſſa. 97
Tholoſanus commendatus 499
Thomani Collegii Arg. augmenta. 182
Thora Regis Suec. filia. 93
Thuanus laudatus. 295. *ſqq.* 300. *ſqq.* 348. *ſq.*
Thuringia. 132. 177
Thuringorum in Carolum M. conſpirantium pœna. 4

Ticinen-

Ticinenſis Synodus. 106. 119. *ſq.* 134.
Timplerus commendatus. 343. 498.
Tolenzi. 204
Tomyris victoria. 435
Tormentis an viri illuſtres ſuſpecti ſubjici debeant? 530. *ſq.*
Torneamenta. 200. *ſq.* 251
Tractoria. 106
Trecæ ſ. Tricaſſes. 137. 139. 141
de Tremellii verſione S. Scripturæ judicium. 492
Trevir. Archiepiſcopus conſecrandi Regis munus vindicans. 215. 448
Trevir. Archiepiſcopo datum à Carolo IV. diploma. 467. *ſqq.*
apud Triburias conventus. 146. *ſq.* 162. 168
Tributa temp. Caroli Calvi. 108. *ſq.*
apud Troslejum Synodus. 208
Truſardus. vid. Luidvvardus.
Turci in regnum & nomen Saracenicum ſuccedunt. 113
Turcorum auxilia parum felicia. 148
- - *mores.* 394. *ſqq.*
- - *res geſta, quomodo enoteſcant* 301
Turcica bella. 9. 25. *ſq.*
an cum Turca fœdus inire poſſit Princeps Chriſtianus. 415. 438. 476
Turpinus. 39
Tyranni, eorumque legationes. 390
- - *eorum delatores.* 507

V.

VAldo Fruxinenſis Epiſc. 165
Valentinus I. Pont. R. 73
de Valerio Maximo judicium. 539
Variatio. vid. Verſio.
Varnenſis clades. 475. *ſq.*
Vaſcones. 42
Ubſalienſes Muſæ. 569. *ſqq.*
Ucri, Uncrani, Ucrana Marchia. 205
Udalricus ſ. Huldericus Epiſc. Auguſtanus. 124. 189. 210
- - *in numerum Sanctorum relatus.* 291
S. Udalrici viſum. 189
Udo Hermanni Suev. Ducis frater. 232
Udo Comes, Majeſtatis reus. 248
Udo Epiſcopus Argentinenſis. 263
de Vellejo Paterculo judicium. 539
Vemica judicia, Vemeding. 460. *ſqq.*
Venatio. 53
Veneficio morbus Arnulpho Imp. conciliatus. 160
Venetiæ medius cardo inter Or. & Occ. Imp. 28
Veneti à Carolo M. liberati. 24
- - *libertatem tutati.* 31
- - *Regnum Cypri adepti.* 478
Venetorum virtus adverſus Hungaros. 168
Venus quare cochleæ inſidens pingatur. 435
Verbenarius. 387
Veremundus I. Legionis R. 30
Veremundus II. Hiſp. R. 257. 288
Veronenſia Comitia. 274. *ſq.*
Verſio, converſio ſ. inverſio orationis ſtudioſo eloquentiæ commendata. 554. *ſqq.* *uſque ad* 559
Franc. Baconis Verulamii ſcripta commendata. 349. 505
Vexoris Ægypti bella gloriæ paran-

da cauſa ſuſcepta. 429
Ugri. 148.158. (v. Hungari.)
Vicariatus Mantuanus. 466
Vido Spoletanorum Dux. 131
Vienna. 140
de Vimarienſibus Bibliis judicium. 492
Virdunenſis Synodus. 262
de Virgilio judicium. 541
Virginitas poſt matrimonium 10. ann. 146
Virtus & Prudentia, duo rectores vitæ civilis. 360. ſqq.
Virtutes 4. cardinales. 490
Viſio cujusd. Religioſi. 77. 189
Vitus Saxoniæ patronus. 203
Unctio ab Imp. Henrico I. recuſata. 188 ſq. 201. ſq.
Unno Hamburg. Archiepiſc. 200. 207
Unvvo Britannus. 266
Vocum differentiæ. 544. ſq.
de Vopiſco judicium. 545
Urbes Germ. muniri cœptæ. 198. ſq.
de Abbate Urſpergenſi judicium. præfat. p. 1. & 2.
Urſtiſiani operis fragmentum notatum. 25. ſq.
Urſus Diaconus Rom. 97
Uſuardus. 39
Uta Auguſta. 159. ſq. 164
Utho Epiſc. Argent. 266
Utilitas rem turpem non poteſt efficere honeſtam. 475
- - an fundamentum & norma totius Politices ſit? 497
- - ſæpe putatur quæ non eſt. 525
Jus Utilitatis. 503. ſq.
Vulzi. 186
Vurſandi Ducis fortitudo. 133
Uxor à marito ſuo interfecta. 317 uſque ad 322

W.

W Litera recentior. 100
Wala ſ. Valo, l. Walo. 43
Walachus Abbas. 55
Walacria Inſula. 68
Waldo & Gero duello congreſſi. 275
Waldrada pellex Lothar. R. 112. 117. ſqq. 120
Waldramus. v. Baltrannus.
Walgarius Ottoni in Gallia rebellis. 159
Warinus Archiep. Colon. 278
Warnarius. 43
Welatabi. 8
Wenceslaus Boëmiæ Princeps. 204
Wencelai Imp. deſtitutio. 470. ſq.
Weſtphalica judicia. 13. 460. ſqq.
Wiborada, virg. relig. cædes. 209
Wichmannus Saxo rebellans. 233. ſq. 248
Wido ſ. Guido Rex. 153. ſq. 157. 175
Wigerius, ſ. Witgerus, Widricus, Epiſc. Metenſis. 104
Wigfridus Archiep. Colonienſ. 239

Wil-

Wildervvolfus ſ. Wilderaldus ſ. Wilderoldus Epiſcopus Argent. 292
Wilhelmus Naſſovius à Balthaſare Girardo percuſſus. 306
Willibertus Colon. Epiſc. 128. 144
Willigiſus Archipraeſul Mogunt. 278
Wimarienſia Comitia. 274
Winedi. 112
Wintonienſis Synodus. 278
Wiſſende, Witzen. 463. ſq.
Witechindus ſ. Witekindus, Saxo. 31. 37
Witgenſtein Com. obitum inſtare ſentiens. 332. ſqq.
Witichindi Monachi Corbej. Annales. 279
Wito. 145
Wormatienſ. Comitia ſ. Synod. 146 162. 247

X.

Xenophon commendatur. 343
Xenophontis Cyrus non ad fidem hiſtoriae ſed ad imaginem boni principatus ſcriptus. 329
inter Xerxem & Artemenem ſ. Artobazanem de ſucceſſionis jure agitata controverſia. 231
Xerxis exercitus 500. mill. à 600. viris caeſus. 433
Xerxes 4000. armatorum mittens ad templum Apoll. Delph. diripiendum. 436

Z.

Zabrena, in Alſatia. 194
Zinzinus Anti-Papa. 73
Zoë Imp. Conſtantini VIII. mater. 179. 209
de Zonara judicium. 499
Zundiboldus, (ſ. Zundibolchus, Zuventebaldus, Suatebogus, Kindiboldus.) filius Arnulphi Imp. 155. 158. ſq. 166.

FINIS.

VA 1. 1520325

Digitized by Google